




BOERHAAVE
INSTITUTIONI
MEDICÆ







The image shows a close-up of a book cover with a marbled paper design. The marbling features large, irregular patches of brown and tan, separated by veins of blue and green. There are also small white speckles scattered throughout. In the upper center, there is an oval-shaped label with a blue border and a white background. The label contains handwritten text in cursive script.

No. 2
216-6206

1243 12125.

6-26-6206

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala:	D
Estante:	17
Tabla:	714
Número:	

BIBLIOTECA	HOSPITAL REAL
	GRANADA
Sala:	A
Estante:	046
Número:	743

HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES² MEDICÆ,

PARS³ II

PATHOLOGIA, SEME⁴OTICE,

HYGIENE, THERAPEUTICE.

EDITIONEM ISTAM CURAVIT, ET AUXIT

JOANNES BAPTISTA SOLDEVILLA

MEDICINÆ DOCTOR; CENSOR; ARCHIATER.

R: 3622



SUPERIORI PERMISSIONE

MATRITI

EX TYPOGRAPHIA VIOLA PANDEA.

A. M. DCC. XCVII

1243 12125.

6-26-6206

~~Biblioteca Universitaria
CRISTINA~~

Sala	D
Estante	17
Tabla	14
Número	14

BIBLIOTECA	HOSPITAL REAL
	INDIA
Sala:	A
Estante:	046
	743

HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES MEDICÆ,

P A R S II.

PATHOLOGIA, SEMEJOTICE,

HYGIENE, THERAPEUTICE.

EDITIONEM ISTAM CURAVIT, ET AUXIT

JOANNES BAPTISTA SOLDEVILLA

MEDICINÆ DOCTOR: CENSOR: ARCHIATER.

R. 3622



SUPERIORI PERMISSIONE

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA VILLALPANDEA.

A. M. DCC. XCVII.

HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES MEDICAE

PARS II

PATHOLOGIA SEMIOTICA
HISTORIA, THEORICA

EPIDEMIOLOGIA CURATIVI ET AUXILII

JOHANNES BAPTISTA SOBERONIUS

MDCCCLXXXIII



SUPERIORI PERMISSIONE

MATRICE

EX TYPOGRAPHIA VITAE PAVATAE

A. M. MDCCCLXXXIII

LECTORI EDITOR.

In isto volumine secundo Institutionum medicarum apponuntur ex eodem Boerhaavio Pathologia, Semeyotice, Hygiene, atque Therapeutica, quas stilo, doctrina, concinnitate iisdem exaravit Vir iste summus, ut de Physiologia dictum. Ut laconismus, qui in hisce tractatibus observatur etiam quodammodo levetur videndæ in primis prælectiones, quas illis apposuit Boerhaavius ipse, et deinde lustranda opera illa, quæ ad id etiam conferre possint.

Pro Pathologia exornanda, illam, quam David Gaubius Medicinæ Doctor leidensis Boerhaavii discipulus, ejusdemque in chemiæ cathedra successor scripsit, præ cæteris commendamus. Commentaria quæ Pathologiæ huic optimæ Ferdinandus Dejean Medicinæ Doctor, Gaubii auditor, et amicus adjecit, licet non optima (hujus Doctoris venia) quia unica hucusque, et bona consulenda suademus.

In Semejotice Medicinæ parte maximè necessaria Hippocrates præ omnibus commendandus, utpotè qui exhaustit eam, et post quem nihil ferè fuit adjectum. Thomas Fiennus totam istam doctrinam de signis medicis in ordinem amplissimè redegit; et Prosper Alpinus de hac etiam exactissimè tractavit, ita ut meruerit ornatissimam hujus operis editionem publici juris à Boerhaavio ipso factam fuisse. Ludovicus Lemosius salmanticensis hac super re verissimè, atque methodicè libellum utilissimum conscripsit, et vulgavit.

In Hygiene perficienda, inter innumeros ex Antiquis, qui hac de re scripserunt, legatur Petrus Gontierus, qui superavit omnes ducibus Hippocrate, atque Cornelio Celso. Iste toto libro suo primo de Re medica optima circa diætam nobis offert documenta, quæ eleganter et doctè præter Guilelmum Pantinum, Hieremiam Triverium, et Ronseum commentatus est Ill. Jodoc. Lommius sub titulo *de sanitate tuenda* merito consulendus.

Ille Medicorum Antistes inter alia opera ad id facientia libros tres de *Diæta*, alium de Alimento . . . nobis reliquit in quos se utiliter exercuerunt hispani nostri Franciscus Vallesius, Antonius Ponce de santa Cruz, Lazarus Soto . . . et his nostris diebus Carolus Lorry eosdem etiam commentatus est post Andreæ Dacerium conterraneum suum, qui notas cruditissimas illis in gallicam linguam translatis adposuit. Inter Recentiores palmam præripuit, et meruit Stephanus Ludovicus Geoffroy suo heroico Poemate, quod hac super Re nuper anno 1771 Parisiis evulgavit, et qui istud attentè legerit sanitati hominum, et sui ipsius oblectamento prospiciet.

In Therapeutice nostratum usibus accommodanda, qua ad methodum medendi spectat legatur Vallesius noster covarrubiensis, complutensis . . . in libello verè aëreo, quem hac super re scripsit; et qua ad medicam materiem attinet videndi tractatus de viribus medicamentorum, et historia plantarum ejusdem Boerhaavii, quæ

licet apocripha, neque tamen absque utilibus tum practicis, tum botanicis observationibus, ita Hallero pronuntiantem in comment. ad Method. stud. medic. Boerh. tom. I. pag. 284.

Post ista opera Boerhaaviana consulantur Ludovicus Tessari, Petrus Dionas Bergius, Andreas Murrajus. et præter hos omnes, imò horum omnium loco legantur Hygiene, atque Materia medica Cel. Guillelmi Cullen, præsertim illæ quæ in nostrum versæ hispanicum Idioma notis amplissimis ditatæ, atque exornatæ his nostris temporibus juris publici factæ fuerunt.

Circa usum, atque abusum, seu Impedimenta magnorum auxiliorum utilissimum libellum conscripsit Antonius Ponce de Sancta Cruz Pincianus Antecessor, et Philippi III. Archiater, cujus lectionem, atque meditationem maximè commendamus.

Homobonus Piso Medicus cremo- nensis tractatum etiam edidit de Regimine magnorum auxiliorum. . . in

quo impensè laudat Antonium istum, et animadversiones quasdam seu commentaria illi adjecit. Patavii An. 1735.

Presbiter Franciscus Zacharias in sua Italiae Historia litteraria (tom. 1. lib. 3. cap. 5.) asserit, Medicum istum cremonensem ita se gessisse circa Antonium hispanum, ut ex quatuor Dissertationibus, quibus suum opus confecit, primas tres litteraliter translulerit, seu transcripserit ex libello Poncii nostri de Impedimentis magnorum auxiliorum Patavii An. 1652. edito. (Ensayo historico... del Abate Lampillas tom. IV. p. 198.)

Hispani Medici non fucatis, multoque minus falsis honoribus delectamur nec nutrimur. Sat nobis Antonium nostrum, Doctorem cremonensem hac in Re eminus prævisse: ab isto cremonensi Medico doctissimo laudari, revereri, illustrari, ut videre est præsertim Dissert. 1. cap. VI. pag. 45. et Rem ipsam tanti in Medicina momenti ulterius in suo libro prosequi.

Addimus porro Medicum istum Dissertationem aliam quintam addidisse capitibus VIII. comprehensam, in qua *De offensionibus Medici operosi* luculenter, doctè, ac severissimè pertractat, Vallesium nostrum sequutus super rariore, parcioreque magnorum auxiliorum usu salubriori, optabiliorique liberali, atque frequenti *ut Francisco Vallesio* (ait hic) *locupletissimo Auctori vissum.* O gravissimam sententiam exclamat et prosequitur in honorem tanti Medici hispani, O gravissimam sententiam omnium Medientium meditatione, et suffragiis dignissimam! cap. I. pag. 331.

His jam prælibatis fatemur candidè, ac ingenuè, ut mos Hispanorum est, Medicum cremonensem, hispanum Medicum non litteraliter transcribere, ut asseritur ab Auctore isto litterato Italo celeberrimo.

Non possumus reverà non valde mirari Præbiterum Zachariam plagiū istud imposuisse Profesori Medico conterraneo suo immeritò, et præ-

cipitanter absdubio. Dum hæc scribimus præsto nobis sunt Antonius et Homobonus, eosdem avidè legimus, ac contulimus, et ita instructi iterum pronunciamus, Medicum cremonensem hispanum Medicum minime transcripsisse.

Res ad Medicinam attinentes ita oscitanter à Litteratis quantumvis primi ordinis pertractantur? Si in illis quæ honori patrio adversantur ita geritur, quid num peragetur à pseudo-litteratis quibus solemne est super Arte ista salutifera injuste atque ridicule joculari, quando exornandæ Patriæ manus et opera admoveantur? Sed ista obiter.

Ut ista Medicinæ utilissima, atque necessaria pars, Materies nempè medica, facillimè addisci possit, Cathedrarius quando eam explicat, id efficit ostendendo Discipulis ea omnia Entia naturalia ex triplici Regno deprompta, quæ declarare nititur; licet aliunde ex Historia naturali, cui etiam debet Medicus incumbere jam debeant esse nota.

In hos quatuor Tractatus reliquos Institutionum medicarum præter Prælectiones, quas apposuit idem præclarissimus Auctor, ut jam dictum, Discipulus ejus Antonius Haen suas addidit, quæ ad declarandam horum quatuor Tractatum doctrinam maximo perè conducent. Ex his præsertim Notulas excerpſi et ad illustrandos Tironum animos interposui, quibusdam ex meo penu licet inope additis facillime ex harum imbecillitate dignoscendis.

Ad id quoque deserviet Materie medicæ Boerhaavianæ in ordinem alphabeticum digestæ, atque explicatæ additio, ita ut Tirones in hac explicatione quantumvis brevi lucem ipsis commodam inveniant, et circa necessaria scitu in medicamentis, eorum usum, qualitates, virtutes, præparata, crissim, sive juditium tirocinii tempore dirigantur ad percipienda ea, quæ alias illis essent tunc temporis valdè difficilia. Ad istam explanationem Tessarium ferè exhaurire contendi, Boerhaavium, Cullenium, Murrajum, Bergium, Trillerum, Geofrojum, Rutyum, Voge-

lium . . . consului , et quæ Tironibus aptiora judicavi succintè ex istis omnibus excerpsi.

Tabula posologica , seu dosium utcumque determinativa huic collectioni præfixa fuit. Istà doses remediorum Boerhaavianæ nostratibus ut plurimum immanes quidem ; sicuti Batavis obsessioribus quibus Medicinam faciebat familiares , et oportunæ quodammodo in proportionem debitam pro Adultis , et genericè reducuntur, et nostratibus accommodantur.

Methodus etiam adjecta est Formulas medicas exactè concinandi , et conscribendi Tironibus utilis ac necessaria , ducibus præsertim Petro Morello , Boerhaavio , Picclero , Gortero. . . atque illius Discipulo Gaubio , qui hac super Re amplissimè pertractavit. In isto libro sequitur Gaubius ferè præso pede Boerhaavium , quia vix inter Practicos hujus temporis fateatur se nosse alium Auctorem cujus scripta ubique locorum magis essent celebrata , et qui , quod præcipuum est

in determinando remediorum à se præscriptorum usu legitimo , ac tempore fuisset sollicitior.

Danielem Willelmum Trillerum citat monitorem Tironum , ut in adhibendis remediorum generosiorum quæ alvum ducunt , et vomitum cient formulis ex Boerhaavio depromptis , aut ad ejus mentem ab eodem Gaubio compositis circumspectione utantur . . . additque ex eodem Trillero ut priusquam ad praxim se se conferant non modo quæcumque de conditionibus ad doses medicamentorum determinandas requisitis diligenter animo complectantur ; sed celebriorum quoque in sua quam quisque incolit Regione Practicorum exempla perpetuò ante oculos habeant , ad quæ in præscribenda dosi se se conforment , usuque tandem discant popularium suorum naturæ sua accomodare remedia.

Prælibatis his notabilia maxima proponit , non solum Tironibus , sed Provectoribus etiam utilissima , et maximè pensitanda. Locus iste , quem

producere audeo ex Libro extero verè longus est , sed æque aureus admodumque notabilis ; et eo solo in Præfationem amplam superbire gestit angustissima ista mea Præfatiuncula. En illum :

» Quod dum facio (dictis omnibus
 » subscribens , eaque singula Tironi-
 » bus seriò imperans) nolim tamen quis
 » existimet probare me trepidantem , ac
 » sæpè ridiculam illorum solertiam , qui
 » aut naturæ autocratia (*Imperio , seu*
 » *robore*) nimium freti , aut de faculta-
 » tibus remediorum plus quam in iis
 » est sperantes , aut denique , ne quid
 » turpius dicam , indicationi quam suo
 » modo constituerunt diffidentes , minu-
 » tulis adeo dosibus curationes aggre-
 » diuntur , ut abstinentia potius extenua-
 » re , quam data opera jugulare velle
 » morbum videantur. Certè nescias agant
 » ne an ludant in Re seria , vincive , an
 » vincere malint.

» Laudo ac veneror Medicum cir-
 » cumspectum , et catum suo loco ,
 » ac tempore cunctatorem , et sapien-
 » tem naturæ Ministrum , qui temerario

»ausu numquam præcipitetur, nec farragine remedium gravet, multo minus violentia opprimat: Attamen cor-
 »datum quoque, ac intrepidum consilii
 »prudenter capti certum, et qui agendi
 »oportunitates gnave rapiat, cumque
 »agendum est, idoneum nodo cuneum
 »adhibeat, nec dubiæ stillicidii diuturni
 »actioni committat, quod virtute majore
 »tutius, citiusque impetrare potuisset.

»Gravius quidem, et evidentius, at
 »rarius tamen enormi dosi peccatur:
 »longè puto frequentius in contrarium,
 »neque minore semper cum detrimen-
 »to ægri. Si sanare morbum tuæ curæ
 »creditum potuisti, nec sanasti tamen,
 »quidquid ex eo mali deinceps conse-
 »quitur, tuæ negligentiae rectè impu-
 »tabitur. Inest in quovis remedio cer-
 »tus virium gradus, modusque inest et
 »suis unicuique morbo: quin vivum
 »etiam corpus sua pollet facultate, qua
 »rebus cum morbo, tum medicatis,
 »utrisque nimirum mutationem inten-
 »tantibus, resistit.

»Itaque sicubi remedium non ea

»porrexeris quantitate , ut superare
 »morbum possit , pusillum quod dede-
 »ris , aut natura subiget , inque ali-
 »mentum convertet , aut morbus suf-
 »focabit. Quod cum in omni Medica-
 »mentorum genere locum habere , et
 »ratio suadeat , et experimenta evin-
 »cant , credibile profecto est , inter
 »plurimas causas ob quas multoties
 »morborum curationes , aut lentius pro-
 »cedunt , aut planè incassum cadunt,
 »hanc etiam Jure numerandam esse,
 »quod remedia cæterum appositè se-
 »lecta , præ Medici timiditate , ægri-
 »ve fastidio , qua decet quantitate non
 »adhibeantur.

»Et quis in dubium vocet , id-
 »circo etiam multarum rerum speci-
 »ficas quas dicunt virtutes nos latere,
 »quia numquam plenis suis dosibus pro-
 »pinantur ? Istud saltem persuasissimum
 »habeo bonam partem felicissimorum
 »successuum , quibus tantam in praxi
 »celebritatem suo merito consequutus
 »est vir summus Boerhaavius , ex hoc
 »etiam fonte profluxisse." Optime qui-
 »dem , et luculenter !

In dosi igitur remediorum determinanda, energicorum præsertim fugiendæ trepidatio, atque temeritas. Lex certè in hac Re generalis stabilienda, quam Prudentiores, in quorum communi sensu optimum veritatis *criterium* extat, dictaverint à qua discedere nefas sit, ni particulares, et urgentissimæ circumstantiæ id exigant. Aliquando abs dubio *Ars est recedere ab Arte*: *Ars* tamen hîc ab arte recedendi *Ars* sit prudentissima, consummata, severæ critices regulis directâ. non ignorantia, non temeritas, non systematis alicujus perniciosa secta, non Exterorum purum putum exemplum. . . agitur enim de Re cujus excessus necat: cujus defectus interitum hominis permittit, quod utrumque scelus maximum serio, et inevitabiliter in ipsius patratores animadvertendum.

Peroportunum etiam visum fuit Orationes duas alteras eloquentissimas, atque sapientia mascula refertas ejusdem Boerhaavii addere, quarum primam: *Repurgatæ Medicinæ facilis asseritur Simplicitas*, inscripsit. Se-

cundam *De honore Medici* (naturæ) *servitute* titulo decoravit, quas memoriæ mandandas, et extempore à Discipulis producendas, prout Magistris libuerit pariter commendamus.

In isto secundo Medicinæ curriculo necessario incumbendum Rei botanicæ exactæ, ad materiam medicam præsertim promovendam, atque exornandam valdè utilis, imò absolute necessaria, ob cujus defectum materia medica Antiquorum, qua tanta in hominum salutem facinora patrarunt, et ob quæ celebritatem semper duraturam promeruerit, nobis inusitata, imò fere inutilis deploratur.

Excipiendus tamen ab ista severissima censura Illustris Teophrastus Platonis, et Aristotelis Discipulus, qui historiam characteristicam Plantarum curiosam, utilem et exactam (sicut Hominum) scripsit libris novem comprehensam, et libros sex de Causis, sive generatione earundem, quos luculentissimis commentariis, et animadversionibus illustrare Julius Cæsar

Scaliger , et Robertus Constantinus: quos omnes ulterius Notis amplissimis declaravit Joannes Bodæus Stapel Volumine maximo 1187 paginarum cum Iconibus Amstelædami. An. 1664.

Excipiendus etiam Pedacius Dioscorides Medicus anazarvensis in Cili-
cia, quem commentariis illustrare Pe-
trus Andreas Matthiolus senensis, et
Andreas Laguna Medicus hispanus,
Regius, atque Pontificius. Et licet ille
Matthiolus benè in Provincia ista se-
gessisset, et maximi fuerit inter sapien-
tes habitus, Laguna noster ejus-
dem fere coetaneus in ista cum Mat-
thiolo de Palma gnaviter decertat.

Matthiolus iste Italus ab Italo Ti-
raboschi encomiis maximis celebratur,
ita ut superba Italia Matthiolo suo de
Principatu in Re Botanica aliis om-
nibus Sæculo XVI Nationibus pal-
mam præripere annitatur. Sed appa-
ruit his nostris temporibus hispanæ
gloriæ litterariæ Instaurator acerri-
mus modestissimus æquè, ac energi-
cus demonstrator Presbyter hispanus

Xaverius Lampillas qui invita Italia palam fecit, imò demonstravit, Matthiolum istum italum hac in Re ab Andrea Laguna nostro hispano immane quantum vinci, atque superari. (Lampillas Ensayo tom. IV. pag. 227.) (a) Sed è diverticulo in viam.

Hoc studium Botanicum hodie per systema Caroli Linnæi Archiatri sue-

(a) Tentamen istud, seu *Saggio Storico-apologetico della letteratura Spagnuola* . . quo amplissimè defenditur ista ab iniqua censura Hieronimi Tyraboschi, et socii in eadem hæresi Xaverii Bettinelli, in justam gloriam Hispaniæ litteratæ, in idioma hispanicum commentata est, adjectis Notis eruditissimis, Illustris Fœmina celtibera D. D. Josepha Amar, et Borbon Archiattrorum hispanorum neptis, et filia, quorum sapientiam hæreditatis jure quodam hausit, perfecit . . illi enim suis scriptis humanum unicè Corpus curavere; ista autem suis Hispaniam, ut mox dictum vulneratam vindicavit: Corpus etiam, Animunque physicè, et ethicè direxit, educavit . . . Sed . . ab ejus ob ista laudibus supersedeo, quarum ulterius digna est Subsellio eminenti, quod MERITO suo occupat in Societatibus Patriæ BONO sacratis Matritensi, Cæsar-Augustana (cui in eadem ista sum socius licet immeritò) Medicinæ Barcinonensi . . supersedeo inquam, ne in modestiam hujus spectatitissimæ MATRONÆ præceps, et incautus ego peccem.

cici instituendum. Phyllosophia botanica ejusdem, et opusculum hispanum Theorico-practicum institutioni publicæ Botanices in Horto Regio Matritensi destinatum pro fundamento Tironi Medico deservient. Postea Botanicam præcipuè Medicam ex Cullenio, Tessario, Murrayo, Bergio . . addiscere conabitur: Botanica tota quanta nimium temporis exigit et consumet Medicinæ Practicæ exercendæ, atque promovendæ absolutè necessarium.

Juvat hic pro coronide Præfationis secundæ atque postremæ Institutionum medicarum Cel. Boerhaavii Institutiones medicas Hieronimi Ximenecii Medicinæ Doctoris Cesar-Augustani commendare (quibus adjecit postea commentarium libelli hippocratici *De Natura humana*) utpote vera sapientia medica refertas, et stilo pereleganti conscriptas. Ducentum ac duo de viginti abhinc annis exaravit eas, et in Epilensi oppido in Aragonia anno M. D. LXXVIII publici juris fecit.

In componendo isto volumine ma-

ximo , Græcos , Latinos , Arabasque
 probatissimos secutum fuisse fatetur ip-
 se ; Judicium tamen suum , atque cor-
 rectionem , si quando ista foret opus
 liberè atque modeste adhibuisse profert.

»De meo autem (ita Præfationem
 »suam claudens loquitur) De meo au-
 »tem nihil me addidisse arbitror : nisi
 »quod partim rationè foret explora-
 »tum ; partim usu , observationeque
 »perspectum. Dicendi vero genus id
 »potissimum usurpavi , quod nec hu-
 »militate abjectum esset ; nec tumida
 »contra verborum nimis exquisitorum
 »insolentia auribus importunum ; præ-
 »terea quod nec brevitatem nimiam obs-
 »curitatem pareret , neve verborum co-
 »pia , et ostentatione fastidium.»

INDEX CAPITUM.

PATHOLOGIA.

Morbi Natura	PAG.	I.
Morborum Differentiæ		5.
Morbi Similares		5.
Morbi Organici		8.
Humorum Morbi		13.
Ætiologia Pathologiæ		28.
Aer		32.
Cibi : Potus : Acrimonix		40.
Motus : Quies : Vigilia : Somnus:		
Affectus Animi		45.
Excreta , Applicata		47.
Diatheses : Plethora : Humores : He-		
trogenæ interna , Exteriora		51.
Symptomatologia Pathologiæ		59.
Symptomata Actionum Naturalium		63.
Vitia Mictionis		72.
Motuum Vitalium Læsiones		74.
Exercitia Sensuum externorum læssa		79.
Auditus , Olfactus , Gustus , Tactus		
Vitia		86.
Vigiliæ , et Somni Affectiones		92.
Motricis Facultatis Symptomata		97.
Excretorum vitia et Qualitates Cor-		
poris vitiatæ		100.
SEMEJOTICE	Generalia	102.
Signa Generalia Sanitatis optimæ		107.
Sanitatis singularis Signa		111.

Temperamenta	111.
Signa Morborum	116.
Coctio, Crisis, Præsagia.	127.
De Pulsu Arteriæ, ut Signo.	143.
De Respiratione, ut Signo	150.
De Urina, ut Signo	154.
HYGIENE	162.
Prophilaxis.	173.
Diæta ad Longevitatem.	174.
THERAPEUTICA	183.
Methodus Medendi.	190.
Indicatio Vitalis	204.
Cardiaca, et Diæta ægroti	206.
Prophylaxis Therapeutica	220.
Antidota	222.
Mitiorum Malorum Prophylaxis.	240.
Indicatio curatoria in morbis solidi	244.
Indicatio curatoria in morbis cor- rigens Fluida	248.
Indicatio curatoria in Fluidis eva- cuans.	269.
Sudorifera	270.
Apophlegmatizonta	277.
Sialogoga	280.
Emetica	283.
Purgantia, Clysmata, Suppositoria	288.
Diuretica	300.
Menagoga, et Aristolochica	304.
Phlebotome	307.
Setacea, Fonticuli, Vesicatoria	316.
Curatio palliativa per Anodyna, Narcotica	319.

Materiae Medicæ Boerhaavianæ Syl- loge sive collectio	329.
Prænoscentia	330.
Posologia seu Tabula indicans Do- sim in communi, qua Medica- menta exhibentur . . Simplicia.	333.
Præparata	334.
Composita	337.
Tabula Posologica specialis.	338.
Sylloge	346.
Methodus Formulas Medicas exacte conscribendi	436.
De Pulveribus	439.
De Pilulis	441.
Trochisci	445.
Mixturæ	446.
Emulsiones	449.
Infussa	451.
Decocta	454.
Succi expressi, confectio : electua- rium : opiata	460.
Medicamenta Media	464.
Medicamenta externa Epispastica, Vesicatoria, Balnea.	468.
HERMANNI BOERHAAVII. ORA- TIO. QUA REPURGATÆ ME- DICINÆ FACILIS ASSERITUR SIMPLICITAS	473.
DE HONORE MEDICI (NATU- RÆ) SERVITUTE.	498.



PATHOLOGIA

MORBI NATURA.

695 **H**actenus enarratæ, atque indicatu suarum causarum explicatæ, actiones principes, quæ in corpore humano exercentur per motum humorum in vasis suis, perque horum renixum in illos: vocantur vocabulo recepto *Functiones*: hæ vero solent distingui in vitales, naturales, animales, sexus, privatas, publicas (a).

(a) Hic recensentur functiones, sive facultates ad sexus Maris, et Foeminæ attinentes, et quæ ad prolis generationem diriguntur. Circa functiones has amplissimè pertractatum fuit in *Physiologia* ubi de *Semine*, et *Conceptu*.

Per functiones privatas intelliguntur illæ, quæ aliquo peculiari liquido generando unice destinantur v. gr. in *Hepate* pro præparanda bile: in *Pancreate* pro pancreatico succo producendo... De his facultatibus, ubi viscera singula explicata fuerant jam actum fuit.

Vitales, quæ vitam faciunt ita, ut hæc iis carere nequeat; sunt actio musculosa cordis, actio secretoria cerebelli, actio pulmonis, sanguisque, et spirituum per organa illa, horum arterias, venas, nervos, circuitus; unde patet has in sua perfectione multum equidem augeri, minui, posse, vita tamen adhuc superstiti; ut, ipso corde exsecto, brevis tamen, et aliqua species vitæ non modo, sed et motus superest, imo et cursus.

Naturales, quæ assumpta sic mutant, ut in naturæ nostræ partem abeant; sunt actiones viscerum, vasorumque, et humorum, recipientes, retinentes, moventes, mutant, miscentes, secernentes, applicantes, excernentes, consumentes; quæ etiam admodum differre possunt (a).

Per publicas functiones intelliguntur illæ, quæ reliquis omnibus functionibus inserviunt. Tales sunt cerebri potestas ad generandum fluidum nerveum. Cor, Arteriæ, Pulmones facultatem publicam habent, et exercent in sanguine elaborando, perficiendo, et per totum corpus disseminando.

(a) Hic recensentur Facultates ab Antiquis tanto molimine, et utilitate tanta pertractatis, et quæ sunt: Attractrix: Retentrix: Concoctrix: Expultrix, et aliæ ad Nutritionem, et Augmentum Corporis deservientes. Circa has omnes videnda, quæ circa Coctionem Alimentorum: Nutritionem: Incrementum... in Physiologia traduntur.

Animales, quæ ita in homine contingunt, ut vel Intellectus humanus ejusmodi ideas inde concipiat, quæ illi actioni corporeæ unitæ sunt, vel Voluntas aut his actionibus excitandis operetur, aut iis natis moveatur; sunt Tactus, Gustus, Olfactus, Visus, Auditus, Perceptio, Imaginatio, Memoria, Judicium, Ratiocinium, Animi Affectus, Motus voluntarii; in quibus omnibus est quoque ingens graduum diversitas.

Proinde jam physicè intelligitur, quid sit proprie Vita, quamdiu illa duret, in quibus accuratè consistat, quibus carere possit tamen utcunque perdurans (a): item inde scitur, Sanitatem esse facultatem corporis aptam omnibus actionibus perfectè exercendis. Constat denique omnes effectus actionum illarum revocari posse ad motus determinatos, et ad immutationem assumptorum.

(a) ; Vita minima in quo consistit? Mutilati, Moribundi, Strangulati, Sumersi, Hystericæ, Asphixia correpti . . . Vitam possunt adhuc habere minimam; à qua ad vitam maximam reduci possent, si aptè, prompteque succurrerentur. In Ephemeridibus Academiæ Nat. Cur. Decuria prima, et tertia exempla habentur hominis, qui 16. horas: Mulieris quæ per tres dies: alterius hominis qui per octo . . . aquis submersi, in vitam fuerunt nihilominus revocati. Res ista est maximi momenti.

696 Status corporis viventis tollens facultatem exercendæ actionis cujuscunque (695.) vocatur Morbus. Cujus ergo idea est absentix requisiti ad exercitium possibile actionis, vel præsentix repugnantis exercitio eidem. Nec mentio Animæ facta in hac difinitione: quia corporis statum determinatum idem animæ status individuè comitatur; et quia Medicina, in solum corpus agens, consuetas animæ conditiones restituit (a); tum etiam quoniam mentis mutata conditio ignoratur, nec bona vel mala noscitur sanitati, nisi effectu corporeo jam nato, edito, cognito.

697 Proinde omnes morborum quorumcunque naturæ cognoscendæ, et inveniendæ sunt in variis conditionibus diversimodè affecti corporis bene observatis, enarratis, explicatisque. Nec juvant, quæ de principio animato his intermiscuerunt Egregii in arte nostra Viri, ut cuilibet sincero indagatori, et æstimatori rerum apparebit.

698 Qui itaque haberet perfectè intellectas omnes condiciones requisitas ad

(a) Melancholicus, argumentis rethoricis, dialecticis, mathematicis frustra tentatur. Utatur jure suo Medicus, expurget atrabilem, unico fortassis die mentis usus restituetur misero, ex solius corporis mutatione. Boerh.

Actiones, ille perspiceret clare defectum conditionis ex cognito morbo, et rursum bene caperet ex cognito defectu naturam morbi inde necessario sequentis. Quæ scientia *Pathologia* appellatur, inque suas partes dividitur (34).

MORBORUM DIFFERENTIÆ.

699 **U**t itaque actiones, sic morbi, distingui possunt; ut condiciones ad actiones, ita et harum defectus; hinc 1. morbi partis solidæ simplicis, organicæve, 2. humorum morbi, horum naturam, copiam, accidentia, spectantes; 3. morbi ex his binis compositi, qui humani, masculini, fœminini. Ad quas classes summas omnes compendio duci queunt.

MORBI SIMILARES.

700 **M**orbus partis solidæ simplicissimæ, Similaris dictus, propriè 1. obtinet in fibra ultima; quæ quum sit corpus merè terrestre, tenue, simplex, nervosum, vel ex nervis oriundum, conflatum ex partibus terrestribus subtilissi-

mis, certa vi (a), medioque pingui glutine, connexis, patietur imprimis morbos nimii roboris, nimix debilitatis, rigiditatis, laxitatis, unitatis solutæ: quatuor quidem priores semper habent rationem certam ad *Symmetriam* sui corporis: hinc diversitas uni salubris, morbosa sæpenumerò alteri est.

701 Idem morbus, una cum suis differentiis (700.) obtinet 2. in membrana minima ex fibris hujusmodi junctis, vel intertextis facta; et 3. in canalibus minimis nerveis cylindrica concretione cava

(a) Num hic intelligit Boerhaavius per istam certam vim, vim vitalem; et per morbos nimii roboris, et debilitatis nimix, enunciat morbos hujus vis vitalis, sive solidi vivi quos Ill. Gaubius (§. 189.) irritabilitatem, et torporem nominat? Ita videtur.

Nihilominus ad has ideas, qua par est, extendendas, et declarandas, videndus Gaubius iste in Pathologia, Titulo quo morbi solidi vivi pertractantur. Ferdinandus Dejean hujus Pathologiæ commentator etiam consulendus tom. 1. pag. 292. ubi agit de argumento isto quod gravitate ac utilitate in praxi Clinica sese maxime commendat.

C. G. van-den-Heuvell M. D. Tentamen Nosologicum publicæ Disputationi obtulit, sistens morborum à vitio vis vitalis divisionem, et dispositionem practicam... pro Nosologia completa practica ex eodem fonte desumenda. Lugduni Batavorum à 1787.

talis membranæ constitutis ; 4. in membrana contexta ex talibus canaliculis , usu fibrarum fungentibus ; 5. in canalibus ex tali membrana composita factis , quæ sunt omnia vasa majora corporis , vario gradu compositionis admodum differentia ; 6. in iis partibus solidis ; quæ ex canalibus humore distendente orbis , compressis , concretis , constant ; vel quæ ex humore crassescente , atque una cum proprio vase coërcente concreto , in unam quasi singularem partem crassiorem abeunt : si enim examinantur morbi omnibus his seorsum spectatis accidentes ,prehenduntur modo esse mox descripti.

702 Quin etiam in his partibus semel sanis morbi oriri queunt malæ structuræ , si solida minima nutrientia mala , vel male apponuntur ; et quidem particula apponenda mole , figura , soliditate , mala evadere potest ; appositio autem mala iterum videtur tantum habere morbos eosdem , ac sunt jam descripti (700).

703 Qui enim ulterius inquirat in originem horum morborum , jam sanè tractabit vitia humorum , aut incidit in subtilitatem sensibus abditam , nec utilem Medico : quare etiam morbi Similares Temperiei , Elementarii , aut totius Substantiæ , in scholis vocati , hic profecto locum habere non possunt , nec

intelligi; sed ad compositos, si queunt, legandi.

MORBI ORGANICI.

704 **U**bi autem pars quædam corporis composita ex partibus enumeratis (700. 701.) valet actionem motu humorum peragendam munere instrumenti peragere, aut aliud quoddam munus vi suæ conformationis efficere, tum spectari potest vel in se, ut pars solida, vel ratione habita ad suum humorem contentum: si prius sit, tum morbi Organici dicti in ea recensentur commodissimè ad quatuor hasce classes.

1. Figuræ læsæ in externa, vel in interna, superficie, tum in accidentibus utriusque, asperitate, lævitate, recititudine, curvitate, laxitate, densitate, cavitate, soliditate; qui morbi malæ Conformationis appellantur.

2. Numeri in excessu, vel in defectu.

3. Magnitudinis auctæ, vel immi-
nutæ.

4. Situs, nexus, hinc mobilitatis ex-
cedentis, deficientis.

705 Ipsa vero superficies prius sana, deinde vero læsa, consistet vel in aduna-
tione partium componentium variata, vel in morbis humorum ibidem peccantibus.

706 Quatenus autem superficies format cava, ut fiant meatus, sinus, receptacula, peccare potest numero unde raro morbi, vel magnitudine cavitatis factæ exsuperante, aut deficiente.

707 Si naturalis cavitatis capacitas augetur nimium, aut si nova quædam formatur, oritur triplex malum, quod: *Anastomosis: diapedesis: diaeresis* appellatur: in primo dilatatæ cavitatis ora emittunt retinenda: in altero partes membranas constituentes sic divelluntur, ut interstitia hiantia nascantur demittentia continendum: in tertio denique contingit cohærentium vera separatio: unde merentur retineri hæ morborum species (a), sæpe in unam diæresin exeuntes, quandoque se restituentes, et optime ex mechanicis explicandæ.

708 Aucta vi humoris vas nimis auctum quoad capacitatem constituit morbos in materie trajicienda, secernenda, excernenda, peccantes.

709 Cavitatis autem imminutæ quintuplex censetur species.

(a) Non sunt fictæ voces, ut multi sibi persuadent, qui Medicos veteres artem nostram his vocibus oneravisse magis quam adjuisse credunt: sed veræ morborum differentiarum, quales in praxi Clinica occurrunt, et maximos usus habent. Boerh. hic.

1. *Emphraxis*, cavitatis obturatio per viscosum, crassum, grumosum, inflammatorium (a), calculosum, gypseum, purulentum, adiposum; intrinsecus ipsa vasorum cava occludens.

2. *Stenochoria*, angustatio viæ, quando enatus tumor in substantia propria membranæ, constituentis cavitatem, meatum arctat, et impedit.

3. *Thlipsis*: laterum mobilium compressio; quando causa externa membranas vasis sibi invicem apprimens, cavitatem per gradus minuit, tandem perfectè tollit.

4. *Symphysis*: quando latera cavum formantia vel *Thlipsi* vel *Emphraxi* penitus coalescunt ita, ut tota aboleatur capacitas interior, quo et referri solet.

5. *Synizesis*, qua dicuntur vasa inanita, collapsa suas cavitates amittere; intelligi potest in iis, quæ ultra tonum distenta per morbosam materiem nimia *Ceneanceia* evacuantur subito. An et huc

(a) Globuli sanguinis per mayorem motum destruuntur, et mutantur in figuram polyedram, quæ naturam sanguinis inflammatorii constituit: hac enim figura irregulari in mille punctis contingentur, adhærebunt ad se invicem vi millies majori, neque poterunt per vasa transire. Hæc est ratio simplicissimæ inflammationis, à qua omnis error loci abest. Boerh. hic.

referri debet vasis contractio nimia per vim excedentem fibrarum orbicularium?

710 Numero autem excedente pars organica raro peccat, ut morbo; nisi inde sequatur læsa actio: sed à defectu laborat sæpe, ut pro morbo annumerari debeat.

711 Sed magnitudo in parte organica morbosa sæpe habetur, quæ tum etiam excessu aut defectu peccat. Prior complectitur tumores, *hypersarcoses*, nodos, tophos, exostoses; hic plerumque potest referri ad cavitatis angustionem circa fines angustos, dilatationem (a) vero in medio; aut ad *Cacochymiam*, *Ecchymosim*, *Diæresim*. Posterior autem adest, ubi requisita magnitudo partis ad agendum minuitur; estque ejus conceptus in *Ceneanceia: atrophia: Phthisi*, nimia con-

(a) Vidi, ait Boerhaavius in Prælect. quod pene fidem superat; vas Lymphaticum . . . ita intumuisse ut in Hydatidem libræ pondò abierit. Femina formosissima me consultum venit, cui in collo tumor durus erat, Capite humano major, minimè ruber. Inquissivi in tanti tumoris indolem; et re perpensa judicavi esse omnino Hydatidem, accersivi peritum Chyrurgum, jussi aperire: effluxit aqua limpidissima, evanuit Tumor: In inanem Caveam exiguum plumaceolum jussi immitere, ut subpuraret. Sic consumptis parietibus consolidata cute, formæ gratia rediit feminæ. Hæc ille.

tractione in temperie nimis stricta, mutilatione.


712 Denique est morbus organicæ partis consistens in compositione mala cum aliis partibus; quæ quidem in situ, nexuque, hæret, et in qua mobilitas, vel immobilitas partis, continetur. Ad hunc morbum ergo pertinent, figura nectendorum læsa; ligamentorum nectentium nimia accurtatio; eorumdem peccans elongatio, horum laxitas; aut rigiditas; tandem disruptio; materiæ inter nectenda requisitæ absentia, aut depravatio; aut peccans præsentia; distortio; subluxatio; luxatio; qui tres morbi postremi sursum, deorsum, antrorsum, retro, introrsum, extrorsum, contingentes varia iis nomina, ad intellectum eorum utilia, imponunt.

Herniæ umbilicales, inguinales, scrotales, vesicæ, in viris, femorales in fœminis, tum omenti, intestini, pinguitudinis, aëris, aquæ, in eas ingressus; uteri prolapsus, vesicæ, et intestini recti; musculorum, tendinumque inprimis eorum ex debitis locis exsilitio; membranaceorum vinculorum eos proprio loco retinentium laxatio, ruptio; primarii sunt huc pertinentes morbi, intellectu sane perquam necessarii in Medicina.

713 Est et morbus parti solidæ, tam simplici, quam organicæ, communis, qui

dicitur Solutio continui simpliciter, si in parte simplicissima sit; sed in parte organica composita variè denominatur à natura partis, à diversitate causæ, à discrimine applicationis; huc ergo spectant vulnus, scissura, fissura, punctura, contusio, ulcus, corrosio, dilaceratio, ruptura, fractura, fissura, exfoliatio, caries, spina ventosa.

HUMORUM MORBI.

714  t ritè intelligantur deinde morbi humorum, atque accurato digerantur ordine, scire est dotes in iis requisitas esse vel universales cuicumque liquori necessarias; vel singulares, quibus donantur humani (a); denique privati hujus, illiusve, singularis hominis indolem in humore constituentes. Universales quidem sunt, ea parvitas partium quæ omnem fugiat sensum nudum, tam parvus nixus in contactum mutuum, ut minima vi sensibili superari queat, ea

(a) Ita vocamus eos humores, qui ex Aere cibo, et potu in corpore humano ita mutantur, ut nostri fiant. Extra hoc corpus integra natura nihil simile facit. Boerh. in Præl.

Jam igitur agnovit Boerhaavius aerem in corpore humano mutari, et ita nostrum fieri.

superficierum lubricitas ut se invicem vix implicent. At respectu naturæ humanæ accedunt plurimæ equidem aliæ dotes, unde profecto et multi admodum morbi oriuntur.

715 Qui omnes morbi tamen revocari facile possunt ad copiam, vel qualitatem, læsam, si fluida quidem in se spectantur.

716 Si autem considerantur quatenus coërcentur in solidis definitis, tunc loco inprimis, aut proportione, peccare deprehenduntur.

717 Humoris boni ea abundantia, quæ lædit functiones, vocatur *Plethora*. Quæ intelligitur concepta bona chylosi, hæmatopoiesi, concurrentibus una cum pariori exhalantium dispendio (a). Hanc describunt, quod sit vel ad vasa, vel ad vires.

718 Humoris boni ea inopia, quæ lædit functiones, raro adest, nisi subito vis externa eam effecerit, quum cæterum mala simul adsit in humoribus temperies.

(a) Præter istam Plethoram observanda etiam alia frequentissima à rarefactione sanguinis oriunda Vid. §. 728. et Effectus Plethoræ §. 781.

A Gaubio vocatur ista Plethora, Plenitudo ad volumen, apparens quoque, et spurca. §. 390. Pathol.

719 Humoris qualitas illa, quæ lædit functiones; *Cacochymia* appellatur. Ea est vel hærens in fluidis, quatenus spectantur seorsum partes componentes simul massam fluidi; vel in tota mole fluidi simul considerata ut parte ad constituendum corpus humanum concurrente.

720 Si consideratur morbosa indoles in unaquaque particula humoris, ea hærebit vel in mole aucta aut minuta, vel in soliditate particulæ nimia aut minore; vel in figura, tum in rigiditate, flexilitate, elasticitate, cohæsione varia, aut denique divisibilitate, consistet.

721 Molis auctæ in partibus humorum idea exhibet horum immeabilitatem, *Emphraxim* in vasculis minoribus *Atrophiam*: *Symphysim*: *Synizesim*.

722 Molis minutæ in partibus humorum idea exhibet *Diapnoem*, et *Keneanceiam* nimiam.

723 Soliditas aucta in partibus humorum si concipitur, habetur vis nimis immutans tam solida, quam fluida, et simul intelligitur in solidis partibus *Anastomosis*: *Diapedesis*: *Diæresis*; in fluidis vero nimia attenuatio et attritus.

724 Si intelligitur soliditas nimis imminuta, concipitur inertia tam in vasa, quam in fluida, hinc et quies, et cita cohæsio.

725 Peccat particula humoris sua fi-

gura: tum inprimis, quando à natura spherica recedens angulosam acutam induit; hinc motum suum integrum parvæ parti applicans *acris* fit; recessus hi varii sunt, sed commodissimè revocantur.

1. Ad acrimoniam merè mechanicam (*a*) dictam, ubi, omnibus iisdem manentibus, sola figura in angulos solidos acutos componitur.

2. Ad acrimoniam salinam dictam, quæ hic inprimis est muriatica, ammoniaca, acida, alcalescens, fixa, volatilis, simplex, composita.

3. ad oleosam, quæ est olei in spiritus attenuati, olei attritu nimio quasi exusti, olei salini, olei terrestris, olei acris quasi exusti salini et terrestris simul.

4. Ad saponaceam acrimoniam, qualis in venenis animalium et vegetantiumprehenditur.

(*a*) Acre vel est mechanicum, vel chemicum. Hujus obscurior vis agendi ex manifestiori illius utcumque intelligitur. In effectu similes sunt... Licet corpus nostrum janitoribus custodiatur, et acria quæcumque repudiet excludat, aliquando personata acritas subdole irrepit, posita intus larva sese explicat.

Acritas Mechanica diluentibus, obtundentibus mitiganda: chemica, mixtione potius quam tornatione abigenda. Videatur Gaubius Path. §. 289.

5. Ad acrimoniam ex quatuor præcedentibus compositam, tum et eam, quæ ab assumtis acris in corpore sæpe nascitur, ut à vitriolis metallicis (a).

726 Est et morbus gravis, vixque sanabilis humoris, si ejus particulæ tam rigidæ, ut vi corporis humani subigi, inque idoneas massulas figurari, dividi-que, nequeant.

727 Sed et eadem nimis mutabiles in suis figuris morbosæ sunt: etenim, complanatis superficiebus, auctis contactibus concresecunt.

728 Quin et notabilis est morbus in partibus nimium elasticis (b) nostrorum humorum: quippe qui nimium mutat assiduo omnem humorum compagem, ad minimam mutationem caloris, aut motus comprimentis.

(a) Maximè notanda asumendorum acrium natura præsertim vitriola metallica, quæ sunt à natura ferè immutabilia. Hinc (ait Boerh.) non rectè faciunt recentissimi Medici, qui ubique metallica medicamenta adhibent. in Prælec.

(b) Homines sunt qui ex mutationibus tempestatis ita mutantur ut vix oculis fiderent qui mutationem videbant. A paucissimis baccis ribesiorum aut cerasorum vidi homines intumuisse toto corpore. Ista à rarefactione humorum absque augmentatione solidorum deducit Boerhaavius in Prælect.

729 Imo et nimis firma cohæsió corpusculi in qualibet particula mala est: nam impeditur sic productio minorum molecularum ex majoribus, quæ tamen tam necessaria ad integritatem Vitæ. Contra vero nimis facilis divisibilitas nocens est; namque repugnat constantiæ Sanitatis, et Vitæ.

730 Et sunt sane hi morbi maximi quidem momenti in Scientia Medica, et intellectus eorum basis certè optimæ Pathologiæ: intelligi tamen vix queunt, nisi accuratissima observatione suorum effectuum, quos in corporibus ægris præstant: unde et patet sic humorum *idiosyncrasiam* (a) morbosam optimè perspicere.

731 Si autem spectaveris humores totos simul, deprehendes morbos eorum præcipuos esse, vel nimiam fluiditatem, vel nimiam tenacitatem, tum excedentem horum motum per vasa, aut quietem eorundem nimiam, aut denique morbum compositum ex vitiis recensitis (717. ad 731.) hactenus.

732 Oriuntur et morbi notabiles in humoribus manentibus iisdem, sed sola

(a) Hæ Naturæ particulares in universum adeo subtiles sunt ut solo effectu observentur, et videntur pendere à proportione ignota inter humores, et humores; humorum ad vasa; vasorum ad vasa. Boerh. hic.

mutatione loci morboſis redditis ; cujus mali duæ ſunt claſes.

1. Si nimis aucta diametro vaſis , craſſiores humores recipiuntur canalibus arc-tioribus , qui ſenſim anguſtiores fiunt.

2. Si ruptis quomodocunque vaſis exeunt humores , colliguntur in interſti-tiis à diſtensione factis inter partes ſo-lidas corporis ; intelliguntur huc perti-nere , inflammatio , aneurisma verum , va-rix , ſugillatio , aneurisma ſpurium , *Ec-chymosis* , à ſanguine errante in ſuo loco. Tum œdema , puſtulæ , hydrops , mem-branæ cellulosa , capitis , thoracis , ab-dominis , uteri , ovarii , teſtium , ſcro-ti , peritonæi , habitus totius corporis , à lymphæ ſimiliter peccante. Tandem em-phyſemata ab aëre.

Creberrima omnium ſedes in mem-brana cellulosa (a) , tenella , facile diſ-tendenda , laceranda.

(a) Membrana iſta ſive Tela Celluloſa in omnes partes ſe inſinuat , inter ipſa elementa , neque ſcitur ubi finem faciat progrediendi. Boerh. Prælec. in §. 711. V. Echimoſis.

Spartam iſtam ampliffime , atque doctiſſime exornavit Ill. Hallerus , qui Fabricam pene totius Corporis animalis ex cellulosa Tela con-fici per experimenta evieit. Elem. Phys. ſive de Partium Corporis humani præcipuarum Fa-brica , et Functionibus. Tom. I. Lib. I. Sect. II.

733 Humores autem hi stagnantes, collecti, effusi, calore et quiete putrescunt, purulenti, ichorosi, rodentes, acres, fiunt, stamina tenella solida destruunt, unde sinus, fistulæ, ulcera, gangrænæ, sphaceli, cancri, et similia.

734 Sunt autem hæ (699. ad 734.) primariæ morborum differentiæ, ex ipsa natura eorum petitæ, quæ certè maximam partem adeo fœcundæ aliis producendis morbis, ut hinc fere etiam inter causas morborum recenseri mereantur.

735 Usu vero obtinuit inter Medicos, ut præterea distinxerint morbos ex quibusdam accidentibus externis, quæ quam plurimis diversissimis communia sunt, quæ tamen distinctiones, et usum in Medicina celebrem habent, licet nimium subtili divisione multiplicati sint: omissis ergo aliis præcipuæ sunt sequentes.

736 (a) I. Ratione causæ sunt: *Idiopathia:*

(a) Aliqua licet brevissima explicatio pro Tironibus addenda, Numeris accomodata.

1. Morbus Idiopathicus, seu per proprium Affectum est ille in quo Symptomata, et Actiones lesæ in ea prævalent parte in qua fomes est Morbi. v. gr. dolor capitis consistens in vehementi irritatione membranarum cerebri ab humore acri ibi existente.

Morbus Sympaticus seu per consensum est ille in quo Symptomata apparent in una parte; visquæ præcipua Morbi est in altera. v. gr.

Sympathia : Protopathia : Deuteropathia :
 hæreditarius , connatus , acquisitus.

capitis dolor à saburra in primis viis existente natus.

Iste consensus jam ab Hippocrate notatus per hæc verba : *Confluxus unus , Conspiratio una , et omnia (in Corpore humano) Consentientia.* A Neotericis declaratur id per varia Systemata v. gr. per nervos , per vasa circulationi sanguinis, lymphæ . . . deservientia : per Textum cellularem : per Fabricæ aut humorum , quos partes secernunt , accipiuntve similitudinem : per viciniam : collocationis partium proportionem : per actionum cognationem aliquam : per vim vitalem per universum corpus diffusam . . .

Morbus Protopathicus seu Primarius est, qui ob radices in aliqua corporis parte nimum fixas, nedum primario ledit, sed et seges est aliorum morborum. Deuteropathicus seu secundarius, est qui alio morbo tanquam radice dependet. Hunc secundum morbum vocant aliqui Symptomaticum quoniam ab alio nascitur, ipseque lædit actiones, v. gr. in Pleuritide inflamatio est morbus primarius, et febris est secundarius. Hæc morborum differentia utilissima est, et scitu necessaria. Vid. Piquerii Patholog. tract. 1. prop. 3. num. 18. et Comment. ejusdem in Epid. Hipp. Lib. 1. Sect. 3. ubi de Successionibus morborum ex Hippoc. Lomnio . . . pertractat. Vid. etiam Tent. Med. A. C. Lorry de præcip. morb. mutat. et convers. Gaub. Pathol. §§. 846. et 863 et Dejeani Comment. in hos §§.

Morbus Hereditarius dicitur cum à virili semine, et materna cum isto conjuncta sub-

2. Ratione Subjecti sunt ; morbi ætatis , puerorum , juvenum , adultorum,

tantia ipsis staminibus Embrionis , Morbus Parentum infusus est. Connatus à Matris imaginatione plerumque nascitur in quo ab hæreditario difert.

Acquisitus dicitur ille qui ab aliis causis hic recensitis generatur.

2. Dolendum est , ait Boerhaavius in Prælect. quod hanc considerationem nemo Medicorum exhausserit , neque definiverit quinam ex Ordine morbi cuilibet ætati proprii sint . . . Cum tamen consideratio hæc ad curationem plurimum faciat. Aliquos Hippocrates enumeravit.

Certe ætatis Hominum observatio ad quamplura maxime conducit.

Hippocrates in Aphorismis præcipue ætatum omnium Morbos exacte satis persecutus est.

Cl. Royenus ætatum morbos eleganter depinxit Carmine elegiaco , quod non vidi. Citatur Volumine IX. Societat. Reg. Med. Paris. An. 1788. pag. 215.

Horatius in Arte Poetica earundem mores ore rotundo modulatur.

R. P. Michael de Ulate , Matritensis , Mercedarius Ætatum ipsarum peccata versibus impariter junctis effusissime deplorat.

Didacus de Narbona Juris-Consultus Hispanus harum in Actiones humanas influxus diligentissime persequitur atque dijudicat.

Per ætatem intelligitur mutatio temperamenti , cursu temporis , certisque Periodis in Homine facta ; vi cujus notabiles effectus oriuntur à causis naturaliter , et inevitabiliter operantibus procedens , ita satis apte definiente eam

senum; morbi generis, masculini, foemini, virginei, gravidæ, parientis, nutrientis; tum universales et particulares.

3. Ratione Temporis; acutissimi in-

Piquerio nostrati. Divisio in Pueritiam, Juventutem, Constantiam, atque Senectutem, quam hic adoptat Boerhaavius retinenda est; addita ea ætatis parte quæ Adolescentia dicitur, et quæ extenditur à xiv. anno usque ad xxv. cum Pueritia ab ortu incipiat, et xiv. anno terminetur. Juventus xxv. anno incipit, duratque usque ad xxxv. Ab hoc usque ad L. ætas dicitur consistens. Ab isto anno usque ad mortem Senectus labitur quæ etiam dividitur in senectutem viridem, senectutem mediam, et decrepitudinem. Hæc omnia tamen non strictissime desumenda.

3. Morbi acutissimi sunt, Apoplexia fortissima, Angina maligna, Syncope cardiaca: Cholera morbus...

Peracuti sunt Apoplexia fortis: febris ardens legitima: tertiana exquisita...

Acuti exacti qui quatuordecim diebus judicari solent, sunt Variolæ, Pleuritis, Peripneumonia... et acuti non exacti, qui ad vigesimum diem perdurant, sunt: febris ardens spurca, petechialis...

Distinctio morborum in Vernos, et Autumnales utilissima certe est. Illi Februario mense incipiunt, desinunt Augusto vertente. Tunc Autumnales ineunt mense Martio finem facturi.

Morbi continui sunt, qui continuo increscunt donec in summo violentiæ gradu consistant.

Morbi continentes sunt qui paroxysmos equidem duplicant, numquam tamen penitus

tra quatuor dies terminandi ; peracuti intra septem ; acuti intra dies viginti ; chronici reliqui omnes ; dein , verni , vel autumnales , continui , continentes , intermittentes.

4. Ratione Effectuum ; salubres , be-

remitunt , neque corpus liberum relinquunt. *Remittentes* ideo nominantur.

Morbi intermittentes sunt illi , qui alternis intervalis et vere , et integre deficiunt , et recrudescunt iterum.

4. Morbi insanabiles sunt illi , qui neque à vi vitæ superstite , vel ab Arte , vel ab utrisque possunt in sanitatem mutari. Horum catalogus Antiquis major , Posteris in minorem numerum redactus est. Lues venerea : Tertiana perniciosa . . . hodie sat facile sanantur. Omni ope nitendum in isto Catalogo minuendo.

Morbus contagiosus est , quando homo nullo morbo adfectus , recepta aliqua materia , ex adfecto corpore educta in similem morbum incidit. Tales sunt Pestis : Variolæ : Morbilli : Pthisis pulmonalis ; febris putrida petechialis : Dysenterix malignæ : Lues venerea . . .

; Quænam est causa hujus contagii ? Ea hucusque (magnam partem) latet : Ant. Haen. hic. An insecta ? An aer ? Videatur elegans Libellus Cel. de Mertens de Febribus putridis , et de Peste. Josephus Fornes circa Provincias Gallix Peste infectas per Regium Hispaniæ Ministerium delegatus , Barcinon. A. 1725. super ea scripsit. Recenter utilissimum Tractatum edidit Antonius Perez de Escobar Medicinæ Doctor , Archiater . . . sub hoc titulo : *Historia de todos*

nigni, maligni, sanabiles, insanabiles, lethales, contagiosi.

5. Inprimis ratione Status : initii,

los Contagios, lectu dignissimum. *Matrit. A. 1776.*

Hi morbi contagiosi minime confundendi cum morbis Epidemicis, Endemicis, et Sporadicis. Illi enim ab aere, aut alimentis manifesto oriuntur: Ii à propria cujusque temperie: Contagii vero causa latet.

De Morbis epidemicis quamplurimi scripserunt inter quos eminentissimus Medicinæ Parens Hippocrates cujus Librum Epidemiorum cum Commentariis Vallesii nostri maxime commendamus.

De Morbis endemiis quamplurima etiam extant scripta: Cl. Paw: *Recherces sur Les Americains*: Batty: *Specimen morborum Hungaris endemicorum*: Kleinii *Tentamen de aere, aquis, et locis Agri herbacensis*: Chr. Henr. Erndtelius. *Warsavia physicè illustrata...*

Nicolaus Franciscus de San Juan, de Morbis endemiis Cesaraugustæ An. 1686. scripsit: Antonius Escobar citatus *Elementa Medicinæ Practicæ Matritensis Anno 1788. vulgavit.*

5. In isto numero proponuntur duæ morborum differentiæ. 1. ratione Status, sive Gradus in principium: augmentum: statum, et declinationem, quæ quidem non adeo morbum à morbo, sed partes ejusdem morbi inter se distingunt: quæ probè observanda, cum idem morbus in diversis temporibus decursus sui diversam medendi methodum requirat. 2. Ratione *Finis* seu *Eventus* qui quadupliciter accidere potest. Morbi enim vel sanescunt; vel occi-

progressus , status , decrementi : Finis.

dunt , vel transeunt in alios morbos ; vel immutati perdurant , et ad mortem usque aliunde conscitam inhærent.

Ad hunc locum pertinet notitia Crisis: Dierum criticorum , primariorum , indicum , subincidentium , vacuorum , quibus an tuta fides? ; An naturæ Judicii debentur? ; An potius superstitionis Pythagoricæ commentis?

Dum lis sub Judice est , jubet profecto rei dignitas veros quoscumque Artis Magistros , junctis viribus , eo conniti , ut , semotis tantisper rationum argutiis , exquisitarum observationum exemplorumque pondere solide tandem dirimatur. Fallor , ni sua constiterit HIPOCRATI auctoritas , GALENO fides , NATURÆ virtus , et ordo.

Hisce verbis aureis suam claudit Pathologiam §. 893. Illustrissimus Gaubius.

Præter istas accidentales morborum differentias à Boerhaavio propositas aliæ valdè notabiles pro Tyronibus addendæ sunt.

Aliqui morbi à vario vitæ genere oriuntur , qui Artificum præsertim nominantur. Momentosa (ait Gaubius §. 850.) nec pro dignitate adhuc evoluta clasis originem debens , partim materiæ quam quis quotidie tractat , qua inquinatur , quave infectum aera spirat , aut sibi perpetuo circumfussum habet ; partim posituris , motibus , contentionibus , quibus in opere suo utitur. Ramazinus : Henckelius : Tissotus : Plempius : Pringlius . . . de his tractaverunt.

Dantur etiam morbi magni seu graves , parvi seu leves , qui à causa , parte , affecta , et

Symptomatibus deducuntur. Aliquando accidit morbum facie externa apparere parvum, et esse re ipsa maximum v. gr. febris maligna. Notandum etiam quandoque initium morbi parvum seu leve apparere, et esse; posteaque morbum sequi maximum ut in Phrænitide... Consulenda certe Etmulleri Disertatio: *Parva magnorum morborum initia*: quæ extat tom. 4. pag. 1898.

Morbi periodici, et vagi, seu erratici considerandi. Inter periodicos febres quidem, variæque generis nervosi affectiones præ cæteris eminent ex Gaubio §. 870. ubi de periodo aliqua non contemnenda producit.

Dividuntur etiam morbi in revertentes, et non revertentes: congruos, incongruos; legitimos, spurios: materiales, sine materie: externos: internos: fixos, vagos, retrogrados ab externis ad interiora: regulares, anomalos... qui facillè percipiuntur.

Denique divisio recentissima, et in medica Praxi utillissima, est illa quæ dicitur in Morbos activos, et passivos. Hi sunt quorum partem nec raro præcipuam, Symptomata activa ab actuosa natura excitata constituunt. In illis naturæ isti motus absunt, vitali quippe principio languente, aut per potentias nocentes oppresso. Vid. Gaub. Patholog. §. 879. C. G. Ludwig asserens morbos in activos, et passivos vix distingui posse, cum non morbus ipse, sed vis vitæ in illis agat, in his suprimatur, audiendus non est. Vid. hujus Inst. Patholog. part. 1. cap. 3. pag. 38.

737 **C**ausa morbi vocatur, quæ morbum præsentem facit. Semper fere res physica jam præsens est. Aut re vera producit novum statum in solidis, et in fluidis, qui morbus ferme ipse. (a) Aut tollit rem requisitam omnino ad exercitium functionis.

738 Si illa præexistit quodammodo in corpore ante effectum productum, Interna vocatur; si autem extra corpus existens, inde ei applicata, morbum parit, Externa dicitur.

(a) Boerhaavius hic, et in §. 740. ait, causam Morbi, et presertim proximam esse fere idem ens ipsi integro Morbo. Et licet in horum Prælect. asserat, causam Morbi proximam ipsum Morbum esse; non huic Doctrinæ, sed illi est assentiendum: imo adoptanda, atque præferenda notabilis distinctio inter Morbum, ejusque causam, quantumvis proximam ad exactam curationem instituendam. Ut igitur (ait Gaubius) Actiones integræ se habent ad Sanitatem, ita læsæ ad Morbum: nec decet Medicum rationalem, quod abnorme in Actionibus est ipsum Morbum dicere; ne notiones causæ, et effectus temere confundendo, Curatio exquisita negligatur. Path. §. 41. Videat. etiam Dejean. Comment. Hæc Doctrina coheret etiam propositæ à Boerhaavio ipso §. 697. ubi de Natura Morbi agit.


739 Internæ lædunt plerumque primo humores, deinde partes solidas; Externæ ut plurimum prius afficiunt solidas, et humores deinde; venenatos paucos, et contagiosos, morbos forte exceperis.

740 Causa proxima morbi appellatur tota illa simul, quæ totum jam præsentem directe constituit; hæc semper est integra, sufficiens, præsens, totius morbi, sive simplex fuerit, sive composita. Hujus præsentia ponit, continuat, morbum. Hujus absentia eum tollit. Est fere eadem res ipsi integro morbo. Hinc inquisitu utilissima, maximè necessaria.

741 Causa remota morbi dicitur illa, quæ corpus ita mutat, ut aptum sit suscipere morbum, si adhuc alia accesserit. Non est ergo integra unquam, nec sufficiens illi morbo producendo. Nec alia illa accedens sola eum pareret; at utraque simul. Ergo utramque simul eradicandam jubet Medicina. Ambæ junctæ faciunt causam proximam.

742 Causa remota corpori inhærens vocatur Prædisponens, vel *Proegumena*; estque talis v. c. temperies (a), plethora; cacochymia.

(a) Per hanc intelligitur hic *Idyosinchronia*; temperatio quædam, inclinatio, vel repugnantia ad certos Morbos, quæ cuius propria est.



743 Causa, quæ remotæ accedit, eam excitat, ut morbum faciant simul, appellatur *procatartica*, vel *prophasis*, quibusdam Occasio. Solis nocet prædispositis, ut fiat talis morbus. Aliquando est interna, quandoque externa.

744 Hæ posteriores omnium commo-
dissimè, atque memoriæ juvandæ aptis-
simè, reduci possunt ad quatuor classes
iis indagandis, digerendisque, apprimè
utiles: quæ sunt:

I. Ingesta. Aër (*a*) Cibus, Potus, Me-
dicamen, Venenum. Quæ per spiracula
cutis, narium; per meatus oris, pulmo-
nis, œsophagi, ventriculi, intestinorum,
pudenda muliebria, introgeruntur, Spe-
cie visibili, invisibili, fumo, haustu, de-
glutitu, enemate, infuso.

Per Plethoram intelligitur tanta boni hu-
moris abundantia, ut hactenus Sanitas maneat,
sed ex levi additione, vel ex rarefactione Mor-
bum sequi necesse sit.

Per Cacochymiam intelligitur Corruptio hu-
morum antea bonorum.

I. (*a*) Aer ad ingesta refertur, quia cum ci-
bis potibusque simul ingeritur. Vegetabilia, ani-
malia, Aqua, et alia potulenta, quibus ves-
cimur aere scatent. Saliva aere miscetur deglu-
titurque cum ea, et per viam istam quam
plurima ingeruntur mala, variolosa, dysente-
rica . . . epidemica . . . ad quæ quodammodo præ-
cavenda expusitio poterit conducere.

2. Gesta. Motus corporis totius, partive, Affectus animi quicumque. Quies utriusque. Hinc Somnus, et Vigilia, huc quoque referentur.

3. Retenta, Excreta, sive salubria, sive recrementa, sive morbosa.

4. Applicata externa corpori, Aër. Vapor. Fomentum. Balneum. Vestis. Linimentum. Unguentum. Emplastrum. Vulnerans. Contundens. Erodens.

745 Quæ eadem in sex classes alii dividunt titulo Rerum non naturalium digestas: quas nempe recensent ita, ut sit. 1. Aër. 2. Cibus, potus. 3. Motus, quies. 4. Animi affectus. 5. Retenta, excreta. 6. Somnus, vigiliæ. Hoc nomine donatæ, quia usu, vel abusu, bonæ naturales, aut malæ contranaturales, fieri queunt. Ad has quoque causæ illæ redigi possunt. Longè tamen commodius, atque indagini aptius præcedenti divisione utemur.

4. Emplastrum de Mercurio Vigonis, pedum plantæ adplicatum scabiem totius corporis inducta salivatione sanare potest. Boerh. hic.

A E R.

746 **A**ër nimis æstuans , humidissima oculorum , narium , oris , asperæ arteriæ , dissipat ; vascula ibi exsiccatur ; pulmonis sanguinem magis cogit , utraque causa pulmonis actiones impedit ; multos morbos inde oriundos excitat ; humores externos semper tenuiores aufert , internos residuos excoquit , dissipat mobilia , lentiora aggregat , compingit , exsiccatur ; ergo partes aquosas , spirituosas , salinas volatiles , assiduo diminuit ; contra vero salina fixiora , olea crassa et tenacia , acria exusta et iis involuta , tum terrestria fixa , auget , accumulatur , unit , in massas irresolubiles adunatur ; hinc itaque , imbecillitas humorum , simul elongatio , et debilitatio solidorum , et , quæ inde sequuntur , obstructio , exsiccatio , inflammatio , coctio impedita , putrefactio , alvus adstricta , sitis , stranguria , urina rubra , humores flavi , morbi acuti , calidi , sicci quammaximè generari solent ; imprimis autem genus nervosum , lymphaticumque , et horum actiones inde summoperè læduntur (a).

747 Aër gelidus fibras solidas accur-

(a) Aer nimis calidus in nullam corporis partem magis agit , quam in subtilissimam eam

tat, densat, roborat; hinc actionem earum in humores auget; ubi autem regelascit (a), tum fibras dissolvit, destruit; idem aër gelidus humores cogit, densat, pulmonem siccatur, stringit, coagulatque sanguinem pulmonalem, unde obstructio, inflammatio, exsiccatio, anhelitus, tussis, coryza, catharrus, mucus, pus, gangræna, sphacelus (b); si autem corpus simul valdè movetur, tum actio solidi

partem quæ ad nervos pertinet. Subtilissimum enim inter liquida velocissime exhalat. Hinc adparet, cur ii Homines, quibus nervi tenerimi sunt, iis morbis maxime obnoxii sint, qui ab aere nimis calido nascuntur. Boerh. hic.

Lympha est tenuior Sanguine rubro, tenuior sero; adeoque facillime dissipatur.

(a) Subitæ calefactiones, et refrigerationes alternantes crebroque repetentes, vim solidorum penitus perdunt. Nunquam tusses magis populariter grassantur, quam in subitis mutationibus ubi post magna frigora subitus æstus succedit, et hunc æstum nova frigora sequuntur. Non alio tempore majus à tabe Pulmonali periculum.

(b) Penetrabile frigus adurens Gangrenam, Siderationem subitam facit constringendo partes solidas, fluidas condensando. Num Spicula aere advecta, et congelationem promoventia Salibus nostris commista vasa destruunt penitus? Videant Physici.

Validus motus in isto aere gelido valde nocet: quies torporem, somnolentiam, et placidissimam Mortem producit.

in liquores, et humorum in liquida, adeo augetur, ut fiat summa attenuatio, perspiratio, voracitas, debilitas, animi deliquia, mors subitanea; si contra quies, summumque simul frigus aëris afficiunt, tum torpor, dolor ad artus, scorbutus, contingunt.

748 Si idem nimium humidus, laxat, solvit, debilitat, fibras, imprimis pulmonales, serum pulmonum retinet, auget, accumulatur, perspirationem in iis prohibet; unde rursum tusses, peripneumonix, serosæ; diarrhœæ similes, torpores, et febres; si magnus calor illi jungitur, cita putrefactio, si magnum frigus, tum serosa colluvies.

749 Atqui nimis siccus patrat fere eadem, ac si æstu nimio ageret.

750 Aër nimium gravis (a), comprimit omnes canales, humoresque totius corporis, maximè autem in pulmonibus, unde resistentiam cordis nimis auget, motum humorum suffocat, occidit.

(a) Aeris Gravitationem definire primo ausus fuit magnus Etruscorum Geometra Torricellius anno 1643; alii negotium perfecerunt. Aer gravissimus est plerumque ubi et maximè, et diutissimè ferens est tam hyeme, quam æstate. Demonstrant id Barometra. Ant. Haen. hic.

Circa Aerem consulenda omnino hodierna Chemia, quæ Physicem anteriorem valdè hac in Re superat.

751 Idem si levis nimium fuerit, vasa, humoresque minus premendo dilatat, rarefacit, hinc tumores, eruptiones humorum, eorum in loca minus oportuna derivationes, inde morbos (732.) creat; sed tum simul minus valet vim contractilem, dilatationi resistantem, in fibris pulmonicis superare; unde respiratio sistitur, sanguis ibi accumulatur, peripneumonia velox, mors. Sed et ex iisdem, densi, rarique, aëris effecta patescunt.

752 Cœlum (a), anni tempestas, solum, mare, montes, lacus, paludes, flumina, vapores, exhalationes, meteora (b), aërem ita permutant, ut creet varios mor-

(a) Hucusque loquutus fuit Boerh. de Aeris indole, et qualitatibus. Nunc de eodem Aere aliis corporibus, et exhalationibus ex Tellure, Mare, Paludibus . . . referto, imo coinquinato.

Cœlum. Ita aerem vocamus cum æthere, et corporibus cœlestibus omnibus, quæ perpendiculariter dato loco incumbunt. Huc pertinent latitudinis gradus, et longitudinis. Boerh. hic.

Pessimum Cœlum est quod ægrum fecit; adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est in hoc statu, salubris mutatio sit, ex Corn. Cels. lib. 2. cap. 1. Vid. Hoffm. opusc. de peregrinationibus Sanitatis causa instituendis quæ extat tom. 5. pag. 320.

(b) Ita vocamus mutationes quæ in cœlo sublunari apparent. Meteora hactenus cognita alia referuntur ad inflammabilia quale fulgur est, et fulmen, et tonitru, ignis fatuus, ig-

bos non pendent adeo ex ipsa aëris indole, ejusve dotibus, qualitatibusque, quam quidem ex natura et efficacia admisti (a): unde etiam inde inquiri, atque intelligi, debent.

753 Venti autem agunt in corpus nostrum vel suo motu, vel quatenus simul nobis advehunt qualitates aëris explica-

nes vagi . . . Alia Meteora ad aquosa pertinent, Ros, Pluvia, Grando, Nix. . . Boerh. hic.

(a) Hæc res nondum pro dignitate exulta fuit . . . Diversæ illæ aeris in corpora humana efficacitæ non præcisè à quatuor hujus qualitatibus, sed à corpusculis pendent, quæ per aerem obvolitant. Ante triennium demonstravi (ait Boerhaavius) aerem non solum corpus illud elasticum esse Boyleo notum, sed Chaos esse in quo suspensa hærent omnium rerum confusa Elementa, quæ fermentatione, aut putrefactione, aut igne resoluta fuerunt, ipsius etiam auri argente, quatenus, et Metalla volatilia redduntur sive quod idem est in aerem recipiuntur. Neque aeris effectus determinari possunt nisi sciveris quænam quovis determinato anni tempore in Patria tua effluvia dominantur. Optimè quidem.

Huc præsertim advocanda Chemia hodierna, quæ Aeris analysim assequuta est, et varia admodum æterogenea, corpora gaseosa... exploravit, et invenit ad Respirationem continuandam: Vitam fovendam, eamque etiam persundandam! Heu! Utinam correctoria, antidota omnium invenisset æqualia, imo superiora efficaciora!

tas (746. ad 753.) impossibile est ea de iis dicere, quæ omni tempori, et regioni, quadrant, sed cognitio (a) chorogra-

(a) Ad istam utiliter instituendam non sufficit cognoscere qualitates Aeribus proprias; sed Naturam etiam, atque Temperamenta Regionum, per quas transeunt, et adveniunt investiganda sunt. Etesia, v. gr. erant Venti in Græcia saluberrimi: et Hippocrates servavit Patriam à Peste Illirica, jubens, claudi Portas, quæ dividebant Montes ponè quos Pestis aderat; et quæ Pestis per illas portas cum Etesiis per Illiriam transeuntibus ad Græciam pervenisset. Si tunc Hippocrates Græcos esset consolatus, atque nocituras negasset Etesias adeo ex salubritate celebres perdidisset Patriam. Optimum atque maximè notabile exemplum MEDICI Scientia sua Regionem totam aliunde perituram incolumen servantis.

Ad efficiendam igitur chartam Chorographicam seu Topographicam alicujus Loci, Matrity v. gr. collocandum istud in Centro est, tunc ope Acus Magneticæ ordinari debent circa illud Regionem vicinæ, Ventorumque ex omni ambitu directiones. Sed primò cognoscendum apprimè est ipsum Loci Solum an sit sabulosum, petrosum, argilosum, siccum, humidum. . . Dimetienda est longitudo ejus, atque latitudo: Notandum an sit alto loco, vel humili situm: An Flumina præterlabantur: An Stagna, Dumeta, Nemora circudent. Quænam Aquæ Cærealia, Carnes, Fructus, pro usu communi consumantur. Quinam vestitus; quænam exercitia; mores, officia, temperamenta. Quænam insecta: quænam Plantæ circumnascantur, vi-

phica loci , cujus solum vicinũ undique perspectum est , comparata cum anni tempestatibus , aliquid boni , verique,

geantque : quænam Animalia domestica , atque montana procreentur , et quibus morbis ista sunt magis exposita. Uno verbo: Solum ipsum , Solumque vicinũ undique perspectum sit ut in textu dicitur.

Tempestates anni : Ver : Æstas . . harumque præsertim transitus : maxima humiditas , siccitati maximæ succedens : gravitas enormis Atmospheræ cui præcessit excessiva levitas . . . admodum etiam consideranda. Ad ista meteora exacte dignoscenda Thermometrum Reaumurianum Hydrargiro non vini spiritu repletum : Barometrum simplex , et Hydrometrum quantitati pluvie , inserviens dignoscendæ poterunt sufficere.

His omnibus præparationibus descriptionem Topographicam fecit Medicam Civitatis Masiensis , ejus confinii , Pagorumque vicinorum Raymondus Med. Doct. quæ extat tom. II. Regiæ Societatis Medicæ Parisiensis pag. 66. et R. P. Cotte alteram etiam confecit Populi Montmorentii dicti , hodieque Enghien , quæ extat tom. III. ejusdem Societatis pag. 61.

Gaspar Casal , Archiater Hispanus descriptionem topographicam Principatus Asturum confecit , et posthumam evulgavit J. J. Garcia Sevillanus Familiæ Regiæ Medicus an. 1772. Antonius Perez de Escobar Medicus Regius nuperime An. 1788. descriptionem corographicam Matritensem publici juris fecit in qua de hujus Metropolis Solo , Meteoris , Temperie , Aeribus , Morbis Remediis : Plantis circumnascentibus . . adeo apte , exacteque pertractat , ut Liber iste

hic adfert. Pariter certa successiva serie sequentium notabilis sæpe effectus. Primario agunt ut calidi, frigidi, humidi, sicci. Hinc solida, et liquida, mutant.

omnibus Medicinam in Provincia ista exercentibus non solum utilis, sed necessarius judicatur.

Seculo xvii. finiente, An. 1686. Nicolaus Franciscus de San Juan, et Domingo De Morbis Endemiis Cesaraugustæ pertractavit, Topographicam Civitatis illius descriptionem præposuit à Temperie, et Situ ipsius incipiens, et postea de Morbis huic Emporio peculiaribus Sermonem instituit. Opus pro incunabulis ibi Praxim, veram, et tutam medendi viam ostendens, ut ipse asserit, in Inscript. Libri.

Ista omnia, istosque Viros debet attendere, atque perlustrare Medicus dum Praxim exercere incipit in aliqua Civitate sive Oppido, si intendit languentibus, sanisque sibi demandatis serio, atque ex animo proficere. Sed præsertim, et ante omnes istos Scriptores eximios, præ manibus habeat Libellum illum certe Aureum Hippocratis Medicinæ veræ Principis de Aeribus, Aquis, et Locis, cum Commentariis necessario consulendis Ludovici Septalii, Adriani Alemanii, Jeronimi Cardani, Bacci Baldini, Joannis Martini, Jac. Zuingeri, Prosperi Marciani... Andreæ Dacerii, cujus Interpretatio gallica cum Notis ipsius dissertissimis, atque utilissimis maxime prodesse poterit.

Libellus iste Hippocratis masculis observationibus plenissimus, honestissimo, in quavis Bibliotheca loco dignus est: ita hic asserente Boerhaavio.

CIBI : POTUS : ACRIMONIÆ.

754 **C**ibi quidem, et potus, peccare possunt ad morbos producendos, vel copia, vel qualitatibus.

755 Copia quidem si male agunt, excessu, vel defectu, id efficiunt.

756 Si nimia copia peccant, nimis extenditur ventriculus, hinc convulsione nata ora ejus clauduntur, vasa ejus comprimuntur, dilutio, digestio, contritio, separatio, expulsio, horum prohibetur; inde dyspnoea, circuitus humorum perversus, cruditas, ructus, nausea, cardialgia, vomitus, putrefactio, vertigo, confusio, cachexia, quæ omnia vitia hic semel nata vix corriguntur in functionibus sequentibus.

757 Quod si defecerit in inedia absoluta, equidem quum merus sit defectus, per se nihil efficit: sed tum interea temporis actiones vitæ persistentes solidas corporis partes deterunt, destruunt, consumunt; subtilissimos humorum dissipant, residuos inspissant; repetito continenter attritu solvunt, olea, et sales, eadem extricant, volatilia, acria, rodentia ad minima et tenerrima vascula reddunt, humores putrefaciunt, anhelitum foedant; hinc spuma salina, acris,

biliosa, putrida, in ventriculo inprimis et in intestinis; ructus; nausea; animi deliquia; ingens, et atrox appetitus; ejusdem deinde integra prostratio succedens; postea immanis sitis, siccitas, debilitas; tormina; borborygmi; bilis cumulus, vomitusque; macies; pervigilium; epilepsia (a); febres furiosæ; mors (b).

758 Ex quibus patet, abstinentiam quoque nimiam peiores morbos creare, quam nimiam repletionem, et longe difficilius sanari posse prioris, quam posterioris, vitia; sic dictante Hippocrate.

759 Illa autem vitia, quæ in qualitate mala cibi, potusve, hærent, commode possunt revocari ad acrimoniam (c), viscositatem, aut oleositatem.

(a) Homines epileptici relapsus patiuntur morbi, si famem toleraverint. Boerh. hic.

(b) In his animalibus, quæ fame enecuerat Franciscus Redus intestina nitidissima reperit iste. Ergo ut corpus repurgetur, prodest subinde jejunare, ita, cum simul aqua bibitur, viscera purissima fiunt, et hic mos plurimum ad longævitatem confert. De Anachoretis Asiaticis Verulamii est observatio. Boerhaav. hic.

(c) Acrimoniam humorum nostrorum, nimis repetitis circuitibus quibus liquidissimis orbidentantur: evecitis oleis, salibusque asperifiunt, unice à Boerhaavio tribuuntur, et quibus nutritioni inepti evadunt. §. 455.

760 Acrimonia cibi et potus est primo Salina ; hæc autem est muriatica, acida spontanea, vel fermentata. Prima facit sitim, raucedinem, asperitatem, siccitatem, rigiditatem, acrimoniam in humoribus maximè serosis, similem humorum dissolutionem, serosæ lymphæ ineptitudinem ad nutriendum, solidorum minimorum destructionem, dolores rodentes, scorbutum muriaticum. Altera, quæ vel acida simplex, aut plerumque acerba, simul, adstringit, incrassat, coagulat, acidam acrimoniam, dolores lancinantes, algentes, cardialgiam, pallorem, scabiem, inprimis creat ; atque præcipuè residet in fructibus horæis paulo minus maturis. Tertia denique in vinis acidis, aut acetis, consistens, fere similia facit, at leviora, deinde præ cæteris nimio usu asumta acre acidum serum facit, unde rheuma, podagra, et similia.

761 Acrimonia secundo in cibus, et potu est Aromatica, ut plurimum constans ex sale et oleo acribus unitis ; hæc facit sitim, siccitatem, calorem, ardorem, stimulum solidi, velocitatem humorum, liquidi dissipationem, hinc cardialgiam, ardorem stomachi, nauseam, ructus, vomitus, febres, maciem, contracturas, et morbos inde pendentis.

762 Acrimonia tertio est Spirituosa

fermentatione parata, tempore diuturno aucta, destillatione in summum gradum evecta, est ut plurimum in vino, in cerevisia antiqua, spiritibus stillatitiis; producit sitim, temulentiam, fibrarum constrictionem siccam, humorum coagula vix resolvenda, stimulum celerrimum et citissime evanescentem partium solidarum, hinc summam necessitatem similis potus assiduo auctioris; inde debilitates, flatus, obstructions, febres, tumores, leucophlegmatiam, hydropes, et similia his mala.

763 Quarto denique apprehenditur acrimonia penetrans Fermentans, quæ imprimis in musto crudo fructuum horæorum, aut in vino, cerevisiave, in ipso actu fermentationis cito suppressæ clausis; hæc creat ructus, inflatus, spasmos ventriculi, intestinorumque, vomitum, choleras, diarrhoeas, dysenterias, ileon, et talia.

764 Viscositas autem nimia ciborum ex farinosis non fermentatis, aut ex gelatinosis animalium, tum ex caseo lento, aut presso nimis coagulo lactis, gignit pondus in stomacho, flatus, ructus, acorem, cruditates, vasculorum tenuiorum in intestinis obstructions, hinc intestinorum inertiam, abdominis infarcti tumorem, duritiem; tum deinde ipsi sanguini infert viscositatem malam ex uni-

tis iterum (a) viscosis particulis, hinc obstructions ad glandulas, pallorem, inertiam, frigus, tumores; sed et patet, quod frigida dicta potentia similia faciant; tum etiam quod præ cæteris noceant quiescentibus corporibus.

765 Nimia vero Oleositas, solida lubricat, laxat (b), debilitat; oscula minimorum vasculorum obstruit; hinc introitum aquosorum impedit; miscelam humorum depravat, acria nidorosa, urentia, excitat; hinc ructus, nauseas, vomitus amaros oleosos, creat; tum sitim immanem, obstructions, inflammationes, indigestiones viscerum, et mala inde orta, efficit.

(a) Particulæ viscidæ alimentorum seorsum per venas lacteas transeunt: deinde in toto venoso itinere hæc viscidi elementa uniri possunt: tunc verum viscidum oritur. Hujus effectus primo in pulmonibus manifestus redditur. Sapienter ergo monet Malpighius, Sanissimum quemque mortalem, si fabis, pisis, aliisque farinaceis nimium utatur, sub ipsa Coctionis horas laborare fugaci quadam Peripneumonia. Qui fabarum copiam comedit, hora tertia ad sextam à pastu asthmate laborat. Boerh. hic.

(b) Oleosa perpetuo usu propios morbos faciunt. Illi Homines, qui lardo, et pinguedine animali abstinent, cibosque in oleo frixant, Morbos ab oleo isto patiuntur. Præcipui, qui frequentiores observantur, tumerique debent sunt: Herniæ Inguinales, Scrotales. Boerh... hic.

MOTUS : QUIES : VIGILIA : SOMNUS :

AFFECTUS ANIMI.

766 **M**otus nimius muscularis in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, auget semper villorum muscularium contractiones et laxationes reciprocas; simulque velocitatem in omnibus humoribus; hinc fluida, et solida, nimium attrita dissolvuntur; aquosa, spirituosa, mobilia, difflantur, residui humores in densitatem inflammatoriam mutantur; interim olea, et sales, nimis attenuata, trita, volatilia facta, acria reddita, quasi in putredinem exaltantur; crassa, et tenacia, olea, accumuluntur; humores quasi exusti redduntur; omnium maxime bilis; medulla consumitur; cellulæ ichore replentur; macies fit; hinc defatigatio, dolor, inflammatio, febris, suppuratio, gangræna, hæmorrhagia, mors subitanea.

767 Si autem acciderit cacochymicis, aut consumto fere viscere quodam laborantibus, tum etiam in summo æstu, subito lethalis.

768 Quies nimia musculorum in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, fibras musculares motui ineptiores red-

dit; minuit velocitatem in omnibus humoribus; hinc concretio, inspissatio, inertia, tam fluidorum, quam principiorum ea constituentium; cellularum repletio, medullæ aggregatio; obesitas; leucophlegmatia; frigus; torpor; pigritia, *Anæsthesia*. Unde ergo otii, et vitæ sedentariæ, effectus cognoscuntur.

769 Vigilia nimia consumit spiritus nulla arte, nisi somno, reparandos; exsiccet reliqua: atterit solida minima imprimis cerebri, auget acre; coctiones, nutritionesque, impedit; bilem exasperat; hinc productio maciei, febrium, deliriorum, bilis atræ generatio, agitatio, evacuatio, harumque teterrimi effectus, tristitia, phantasia depravata, inquietudo perpetua.

770 Somnus nimius, volatilia consumit; inspissat sensim reliqua; ea in vasa lateralìa aggregat, vix movet; figit excrementa; aggravat cerebrum; caput replet; sensus, motusque hebetat; reliqua fere omnia jam dicta (768.) procreat, hinc simul iis maximè nocere, qui in eum præ cæteris proclives; prodesse his, qui in pervigilia prompti, videtur.

771 Affectus animi violenti, aut diu permanentes iidem, cerebrum, nervos, spiritus, musculos, mirabiliter, et efficacissimè mutant, figunt, depravant; unde quoscunque fere morbos valent pro-

ducere , et fovere , pro sua diversitate,
et duratione.

EXCRETA : APPLICATA.

772 **S**alivæ excretio nimia turbat
coctionem primam , hinc et sequentes;
profert sitim , siccitatem , bilem atram (a),
tabem , *Atrophiam* : si autem non excer-
nitur in os , aut longè parcius solito,
impedit tum ciborum manducationem,
saporem , deglutitionem , digestionem;
augetque simul sitim.

773 Bilis excretio nimia per superio-
ra , vel inferiora , orbat chylopoiesin pri-
mario instrumento ; hinc impedit cibo-

(a) Senex Medicus nomine PHELIPPO His-
panus Natione , à quo multa didici (ait Boer-
haav. hic) retulit MIHI se observare quam-
plurimos usu Pastillorum ex mastiche , et
rebus odoratis quos continenter manducabant
incidisse in teterrimam atram bilem cum per
nimiam excretionem salivæ consumpta liqui-
diori materia , reliqua humorum masa lentis-
sima fieret , et Phantasias mirificas passim in-
valuisse , neque alios mansisse intemeratos,
nisi quibus corpus succulentissimum erat. Hæc
Boerh. instructionem ab Hispano Medico ac-
ceptam ultro declarans. Alibi narrat istum
Hispanum , Principis Condei Medicum esse.
§. 1180. in Prælect.

rum coctionem , secretionem , fœcum excretionem ; producit temperiem acidam , frigus , debilitatem , pallorem , leucophlegmatiam , deliquia . Si vero confecta impeditur fluere in cavum intestini , icterum creat , et simul præcedentia vitia .

774 Lympha pancreatis et intestinorum , si nimia copia depellitur in intestina , producit mala similia ac saliva sic peccans (772.) ; sed et simul diarrhoeas serosas præprimis ; unde summæ debilitates , animi deliquia , siccitates , sitis , febris hectica , marasmus . Si non fluit in intestina , vel parcissimè , tum facit moles in intestinis crassas , compactas , hinc pondus , repletionem , tormina , volvulum , sitim , febrem , alvum duram , tumores , &c.

775 Sanguinis nimia excretio ; sive per anastomosin ex hepate , intestinis , renibus , utero , fiat ; sive per diaeresin , diapedesin , aut vulnera ; tollit vires ; minuit spiritus ; destruit omnes actiones ; accumulatur cruda , aquosa , pallida , frigida ; producit leucophlegmatiam , hydropem ; laxitatem in omnibus vasis ; in arteriis autem capacitatem . Cruor autem per hæmorrhoidalia vasa , aut naturalia mulierum , vel et per alia minus consueta loca , dudum jam , et periodicè , evacuari solitus , interceptus nunc , facit topicas , di-rasque , inflammationes ; circulationis

suffocationes ; febres ; mira morborum, et varia genera ; maximè autem valde mirabiles alibi hæmorrhagias.

776 Seminis excretio nimia facit lassitudinem ; debilitatem ; immobilitatem ; convulsionem ; maciem ; siccitatem ; membranarum cerebri dolores , calores ; sensuum , maximè visus , hebetudinem ; tabem dorsalem ; fatuitatem ; varios his affines morbos (a).

777 Urinæ excretio nimia ; facit siccitatem ; humorum immeabilitatem , ardorem ; sitim inexplebilem ; cruditates , spirituum subductionem ; maciem ; atrophiam ; et mala his similia. Nihil autem sudor ferme eadem efficit : Urina autem suppressa vesicam , ureteres , pelvim , renes , distendendo , rodendo , putrefaciendo , labefactat , corrumpit ; toti lymphæ cruoris acrimoniam alcaliscentem conciliat ; hinc cerebri tenella stamina lædendo , anxietates , sopores , insomnia , vertigines , apoplexiam , profert.

778 Sanctoriani perspirabilis excretio nimia facit debilitates summas ; hinc animi deliquia ; mortem inopinam. Si vero

(a) Tissotus Medicinæ Doctor utilissimum Tractatum edidit de Morbis à Masturbatione procedentibus. Dignus certe est Tractatus iste latine verti , et ab omnibus Medicinæ Professoribus versari.

parcior est, vel sublata, facit extremæ cutis vascula siccati, emori; hinc et majora excretoria obstrui arefacta; mutatur hinc circulatio; retinetur acre; oritur putredo; cruditas; febris; inflammatio; apostema.

779 Applicata externa frigida, meatus claudunt, fibras contrahunt, retenta retropellunt, exhalationem impediunt; hinc efficiunt quæ perspiratio impedita. Calida autem, aperiunt, laxant, exhalant, versus cutim ducunt, sed exsiccant. Humida abluunt excrementa, aperiunt ora, laxant vasa, alliciunt extrorsum, unde si nimia, morbos producunt, ut Sudor nimius (777.) Sicca contraria faciunt: ex quibus efficacia balneorum (a), fomentorum, epithematum, intelligitur,

(a) Quod hic præcipuè attentionem expostulat est balneum frigidum hodie fortasse nimis usitatum. Aqua frigida, sicuti Aer etiam frigidus corpori applicati omnia vasa cutanea constringunt et fluida repellunt ad interiora per venas versus magnas cavitates, et Cor ipsum; adeoque cum interiora caleant, *asimetria* (hoc est equilibrii defectus) nascitur interiora inter, et exteriora. Intelligitur hinc balnea frigida magnam cautelam requirere. Iis balneis enim Humores magno impetu etiam in caput rapiuntur, cujus vasa interna laxa, et libera non æque comprimuntur ob Calvariam osseam, qua tuta manent: unde Cephalæ, aliaque mala pessima produci possunt. Hæc Boerh.

si prius cognoscitur materies , qualitas, modus , duratioque applicandi , ut et reliqua memorata (744. 4.) prius facillimè capiuntur.

DIATHESSES : PLETHORA:
HUMORES : HETEROGENEA

INTERNA. EXTERIORA.

780 **S**unt et internæ quædam corpori diatheses (a) , adeo generales , ut plurimi morbi ab iis , ut causis , pendeant; unde in enumeratione causarum generali proponi , explicarique per suas causas solent ; suntque inprimis plethora , cacocymia , heterogenea interna (b).

(a) Per Diathesim intelligit D. Gaubius seminia morborum : atque potencias nocentes ; horumque mutuam affinitatem , additque necessariam esse istorum principiorum notitiam non superficialiam , sed exactam. Path. §. 78 et 79. Hoc certe semper erit admodum difficile ; ut est idyosincrasæ , sive temperiei particularis per horum principia cognitio. Observatio casta , fida , pertinax . . . docuit , et amplius docebit, quæ mala inducant diathesis hereditaria : illa , quæ ab ætatum variationibus acquiritur : illæ quas præ se ferunt malæ conformationes pectoris , capitis , aliæque.

(b) Hæc sunt : Vermes , calculi , et alia hujusmodi. Boerh. hic.

781 Plethora fit, sustentatur, auge-
tur, in corpore, cui viscera Chylopoea
fortia, vasa sanguifera laxa, victus ple-
nus boni succi, ætas media, temperies
sanguinolenta, tempus hybernum, et æs-
tivum, aër humidus, mens otiosa et
indolens, artuum truncatio. Facit autem
intolerabilitatem caloris, motusve; ex-
tensionem vasorum majorum; compres-
sionem minorum; hinc minima data oc-
casione, lacerationem in vasis, suffoca-
tionem in liquidis; inertiam; desidiamque.

782 Cacochymia considerari potest
vel in iis, quæ extrinsecus humoribus ac-
cidunt; vel in his, quæ internè illis ad-
hærescunt; tumque iterum vel in omni-
bus simul, vel in aliquo singulari.

783 Ubi ergo occurrit primo nimius
humorum per vasa motus, is facit hu-
morum compressionem, attritum, atte-
nuationem, calorem, diathesin inflam-
matoriam, et mala jam explicita (766.)
Eorundem vero motus nimis lentus, fa-
cit vitia simillima iis, quæ jam exposi-
ta (769.) Inprimis periculosus spirituum
nervosorum motus excessu, vel defectu
peccans, inde enim omnes coctiones, se-
cretiones, excretiones, læduntur, et inde
varii, omnis fere generis, morbi.

784 Humoribus autem nimia Fluidi-
tas producit nimiam exhalationem, con-
sumtionem, secretionem perturbatam,

vasorum majorum arctationem, inanitatem eorundem, debilitatem, in minoribus vasculis obstructions, rupturas, suppurationes; inprimis nocet si magna acrimonia, motusque, simul concomitantur.

785 Eorum vero Tenacitas nimia parit obstructions, vasculorum extensiones, dolores, tumores, inprimis autem ad glandulas, et ad plexus arteriosos. Ubi vero tenacitati juncta pariter acrimonia, tum pro varia proportione, qua concurrunt hæ duæ, maximè fit vasculorum destructio, unde dein, effusis humidis, pustulæ, inflammationes, gangrænæ, sphacelus, cancer, ulcera caeothæ, caries, et similia sanè mala; est autem quandoque acrimonia comes, aliquando pedissequa, tenacitatis.

786 Humores acidi crudi, acidi acerbi, acidi fermentati vinosi, acidi chylosi, acidi lactei; tum et alcaliscentes volatiles; fixive, aut jam ipsa re alcalini (a);

(a) In humoribus vitalibus nunquam alcali vidi sed salsum ammoniacale, et persuadeor, ME alcali humanum debellasse. Hæc Boerh. se ipsum corrigens. In Prælect.

Boerh. hic antiquissimam Hippocratis (Lib. De Veteri Medicina.) Doctrinam amplectitur, quam verissimam pronunciat. Vid. Dacerii, tom. 1. p. 83. et in Notis pag. 125 Opere jam citato: Les Oeuvres d' Hippocrate, &c.

iterum salsi muriatici , ammoniacive ; acres salini , oleosi , aromatici ; insulsi tandem et oleosi ; pariunt morbos quam simillimos propositis (760. ad 767.)

787 Pituita (a) autem insipida , acida , salsa , vitrea , Veteribus adeo considerata , intelligetur quoad ortum , et effectus , ex (785. 786.)

788 Bilis flava , vitellina , porracea , æruginosa , Isatodes , solo motu , convulsione , animi affectu , sæpe nascitur , causa vix explicata hactenus ; producit autem multos , malosque morbos , nauseas , horrorem contra cibos , anxietates , singultus , cardialgias , vomitus , dolores iliacos , colicos , tormina , flatus , borborygmos , diarrhoeas , dysenterias , acutos morbos , febres , convulsiones.

789 Bilis autem Atra dicta à colore suo , et Bilis vocata à sede , ubi colligi-

(a) Pituita est : humor lentus , qui in aqua difficulter diluitur quod particulas mucosa quadam tenacitate connexas habeat. Hæc pro frequentissima causa morborum haberi solet , et Plebs apud Medicum vix solet quæri nisi de acido , vel bile , vel pituita. Falsa certe Pathologia (ait hic , Auctor) quam Senior olim prudensque Medicus (num Philippus ille Medicus Hispanus de quo mox?) ME jussit deserere. Optimum sane Reverentiæ documentum à BOERHAAVIO , à BOERHAAVIO ipso , inquam , nobis in exemplum non dubitanter consignatum.

tur , et unde excernitur ; aliquando sapore acerrimi aceti , quandoque vero putrefacti cruoris , rodit , urit , eliquat , inflammationes , gangrænas , sphacelos , dolores atrocissimos , effervescentias enormes , excitat. Triplex quidem talis in causis morborum describitur : 1. mitissima ex ipsa materie sanguinis nimis moti, hinc exusti dicti (766. 783.) 2. ex hac prima magis , magisque , per easdem causas exacerbata. 3. ex bile corrupta , exasata , quæ si ex flava , vitellina , porracea , æruginosa , Isatode , orta fuerit, posterior semper pejor est , hinc pro varietate indolis , qua gaudet , et pro ingenio partis , in quam deponitur , varii admodum ejus effectus.

790 Sanguis etiam , serum , bilis, si scatent prædominante acido , alcali, muriatico sale , oleo , vel terra , producunt morbos , quales ex his rebus oriri demonstrati sunt (760. ad 767. et 786.)

791 Serum sanguinis , bilis , urina, generant ex sua materia calculos compositos ex volatili spiritu , sale , oleo , et ex terra hæc excipiente , certo modo unitis.

Hi vero extensa sua mole , pondere, motu , vicina comprimunt ; tum quoque vasa calculos complexa motu , et pressu suæ substantiæ contra duros , asperos , atteruntur , destruuntur ; hinc transitus hu-

morum intercipitur , creatur dolor , inflammatio , ulcus , gangræna , callus , et quæ ab his pendent , mala.

792 Ova insectorum cum aëre (a), potu , cibo , corpori ingesta , pituitæ intestinali , fœcibusve , mista , aut in cavitatibus nidulantia , fotu , quiete , calore , exponunt vermes rotundos , latos , vel Ascarides ; iidem forte quandoque cum iisdem assumtis deglutiuntur , inde crescentes corpori quoque inhærent.

Illi autem sugendo , movendo , velli-

(a) Doctrina ista maxime notanda. Experimenta demonstrant Semina paposa , Ovis Animalium et majora , et ponderosiora deferri in Turres , ibique in plantas adolescere . . . Pluviosus aer plenus est animalculis , aliquando adeo rodentibus , ut vestes subito erodantur à Pluvia quæ super eas vestes decidit. Eadem ratione vermiculi in nos ipsos irrepere possunt , et intus ova ponere.

Per cibum , potumque etiam Animalcula recipimus. Acetum vapidum Animalculis plenum est. Cerevisia , et ipsum vinum verminascunt. Poma , Pira , Panis , animalculis plena sunt. In butyro , et Caseo diutius adservatis continuo vermes adparent.

In fœtu , quandiu Utero materno continetur , nullus unquam Vermis visus est , atque in Infante , quandiu solo lacte cocto , cibusque coctis nutritur. Tum demum Vermes incipiunt generari , quando cruda adsumuntur. Boerh. hic.

cando, rodendo, terebrando, chylum consumendo, nervos irritant, solida vulnerant, nauseas, horrores, cardialgias, vomitus, animi deliquia, maciem, famem caninam, tumorem abdominis, et talia producunt; maximè flatus, subitoseque tumores, creant.

793 Vis externa, aut interna (a), corporum motorum, lædit partes corporis nostri simplicissimas actione omnibus dicta mechanica, utpote nota; hæc itaque, fatentibus cunctis, nequit referri ad calorem, frigus, humidum, siccum, principia chemica, acre alcali, vel acidum. Simili autem ratione et alias causas minus visibiles, hinc parum cognitatas agere, facilè persuademur, quæ deinde morbos partium Similarium inprimis pariunt.

794 Materia morbi in partè ægra hærens, subito collecta, *Fluxio*, lentè congesta *Collectio*, appellatur; pro causa agnoscit inertiam partis solidæ non subigentis, nec expellentis id, quod formari incipit, aut præsentis jam alibi materiæ peccantis in partem, quæ nunc obsidetur, derivationem.

795 Derivatio hæc, fluxio, vel attractio, dicta Veteribus, fit motu, ca-

(a) Mercurius, qui decies ter gravior est Sanguine, suo pondere in eundem vehementer agit. Boerh. Hoc maxime notandum.

lore, dolore, fotu, atque hinc oriuntur morbi, qui dicuntur cum materie.

796 Venena, pestis, contagia, ingesta quomodocunque (744. I. 4.), lædunt solida, fluida, vel utraque ita, ut sistatur cursus humorum vitalium; agunt quidem semper vi mechanica (793.) sed sæpenumero vix explicanda nisi per principia doctrinæ Chemicæ: concipiuntur enim facilè lædere solidas partes nimium dissolvendo, laxando, constringendo, obstruendo; fluida autem depravant nimis inspissando, dissolvendo, acres reddendo; hinc utraque simul corrumpunt unita hac opera: pleraque ideo velocissima in nervos, pulmones, sanguinem, agunt actione hactenus minus observata, ideo habita planè insueta, et incomprehensibili (a), unde etiam morbi sic geniti dicebantur Antiquis morbi Totius Substantiæ læsæ.

797 Sed et sunt causæ quædam singulares morborum peculiarium admodum notandæ, quum malæ Conformationi præbeant originem; primariæ habentur, imaginatio Matris, imprudens actio Obstetricis (b), Nutricis, vel Custodis negligentia,

(a) Hodierna Chemia lucem aliquam his super affundere incepit. Utinam perficiat.

(b) Alibi dictum, Medicos, in obstetricandi Arte peritos debere esse. Ita, Matronas istas dirigere, atque coercere poterunt.

his enim corpusculum tenellum agitatam, pressum, tractum, pulsum, ligatum, deformatur in faciem vix postea emendabilem. Sed et indoles spissorum et acrium humorum similia multa producunt.

798 Causæ etiam cavitatis vitiatæ in partibus male dispositis claræ, sive ut internæ, sive ut externæ, spectentur (707. 709.) diæresios autem origo est ex distensione, acrimonia, vi externa. Hinc et reliqua mala huc relata patescunt.

799 Fortis pressio; valida distractio; ligamentorum, aut membranarum coercentium laxatio, aut dissolutio; producunt luxationes, contorsiones, hernias, procidentias partium.

800 Secantia, pungentia, ictum inferentia, rodentia, adurentia, distendentia, contundentia, rumpentia, sunt causæ præcipuæ Solutæ Unitatis.

SYMPTOMATHOLOGIA

PATHOLOGICÆ.

801 **I**nd præternaturale, quod ex morbo, ut causa, in corpore ægroto fit ita, ut distingui queat tamen ab ipso morbo et ab ejus causa proxima, vocatur *Symptoma* morbi; si autem eadem ratione ex morbi causa fluit, dicitur cau-

sæ *Symptoma* : at vero , ubi ex alio priore symptomate , ut causa , prodit , appellatur *Symptoma Symptomatis* (a). Verum id

(a) Per *Symptoma* intelligitur : Quæcumque sensibilis à statu naturali alienatio, quæ homini ex presente morbo ita nascitur ut tamen ab hoc ipso, hujusque causa distingui possit, nec ultra morbum duret.

Sed cum ista *Symptomata* à triplici causa præsertim possint provenire, seu tanquam effectus hujus triplicis causæ considerari, exemplis aptius, quam longis explicationibus hæc omnia detegenda, atque pro Tyronum captu facili determinanda.

Præcipua ergo *Symptomata* sunt illa quæ dicuntur 1. *Symptoma morbi* : 2. *Symptoma causæ*. 3. *Symptoma symptomatos*, seu *Symptoma* ab alio symptomate productum.

Symptoma igitur morbi est : effectus sensibilis vi præsentis morbi proximè productus. Hujus seu potius horum utilissima est, et maximè necessaria inquisitio. Testantur enim morbi præsentiam non modo, sed naturam quoque. Effectus certè ingenium suæ causæ declarant. v. gr. ardor, seu æstus in febre ardenti : inhibita inspiratio in Pleuritide . . . sunt Morbi ipsius *Symptomata*.

Effluxus Sanguinis è naribus in febre ardenti non est *Symptoma* hujus febris sed causæ illius, nempe attritus nimii . . . *Symptomata* enormia in vulnere à telo venenato seu à morsu viperæ . . . non sunt *Symptomata* Vulneris lævissimi, quod morbus est : sed illius veneni, quo infectum erat telum, viperæ salivæ . . . Calculus in uretere hærens producit

ipsum quod morbo superaccidit ex diversa à præcedentibus origine potius dicitur: *Epigenema*, *Epigenomenon*, *Symbecos* (a).

ischuriam: sed immanis dolor efficitur, si calculus fuerit asper, seu inæqualis. Dolor iste symptoma est, non hujus obstructionis, sed illius causæ rodentis, irritantis.

In Pleuritide sanguis in Pulmone congeritur ab inhibita respiratione, quæ est Symptoma pleuritidis, ideoque congestio illa, seu Peripneumonia non à Pleritide, morbo, sed ab illo respirationis vitio, Pluritidis Symptomate, producitur. Sputum Sanguinis in febre ardenti ab hujus causa, Sanguine nempe copioso, denso, agitato, procedens, deliquium animi producit, istud deliquium Symptoma est illius hæmoptios copiosioris, ideoque Symptoma Symptomatis absdubio erit.

(a) Aliquando observantur in ægris effectus sensibiles sive Symptomata, quæ longe diversam à tribus prioribus originem habent, adeoque cum iis confundi minime debent. Hæc sunt Naturæ illa molimina potius, aut Symptomata activa, auxiliaria, quæ ab actuosa Natura exagitata à morbo et anxia producuntur, et tunc, quas habet in corpore vires intendit ad repellendum hostem. Talia etiam sunt alienati rerum ingerendarum appetitus, et aversationes, motus spasmodici, hæmorrhagiæ, vomitus, alvi profluvia, sudores, aliaque. Hæc certe molimina sunt maximè à Medico consideranda. Salutaria enim admodum possunt esse, et sanationes benignissimas; quin arte inimitabiles aliquando producunt: ast advertendum etiam

802 Unde efficitur ipsa hæc sympto-
mata priora revera iterum esse morbos,
numero, varietate, effectu, admodum
dissimiles; tamen satis commodè ex pla-
citis Veterum revocantur ad Actiones
læsas, Retentorum et Excretorum vitia,
atque Qualitates corporis mutatas. Ho-
rum recensioi adjuncta causa incum-
bemus.

et Naturam suos pati errores, et prudentis
Medici esse non solum excitare torpidam et
errantem in viam reducere: sed etiam præci-
pitem refrenare. Ista Naturæ molimina Vete-
res *Epigenemata*: *Epigenomena* dixere ex Ill.
Gaubio, Pathol. §. 101. et etiam illa, de
quibus Boerh. agit. §. 879.

Per Symptoma quod dicitur *Symbebecos*,
seu simul cum morbo ambulans, et morbo
superaccedens, intelligit Boerhaavius ea quæ
oriuntur non ex morbo, sed ex aeris muta-
tione: ex adstantium errore &c. Ita in febre ar-
dente, Peripneumonia, post potum frigidæ in-
tempestivum, non morbi effectus est, sed com-
missi erroris. Si Pleuriticus vinum biberit, patie-
tur alia Symptomata, quæ non à pleuritide sed
ab hoc potu ortum ducunt. Si quis in febre
ardente, malo consilio sumat Theriacam vel cal-
lidissima alia, ut per sudorem materiam mor-
bificam expellat, & quanta quamque gravia ex
errore isto orientur Symptomata? Ambientia,
ingesta, applicata, propriarum actionum vi-
cissitudo: et alia, accidentalialia, quæ plerum-
que morbum acuunt, ex mitti sævum, exitia-
lem reddunt... alias, et adjumento sunt, et

SYMPTOMATA ACTIONUM
NATURALIUM.

803 **P**rima igitur classis horum digeritur juxta seriem actionum imminutarum, abolitarum, auctarum, depravatarum; unde primo occurrit enarratio symptomatum appetitus in cibos, potus. Adeoque 1. *Dysorexia*, appetitus cibi imminutus; 2. *Anorexia*, idem deletus; 3. *Apositia* abhorrens fastidium cibi, hinc vita sine cibus; 4. *Orexis*, seu fames aucta, *Cynodes*, canina, *Bulimus*, bobina; 5. *Cissa*, *Malacia*, *Pica*, appetitus vix superabilis eorum quæ in nutrimentum commutari queunt, vel eorum, quæ neuti quam apta huic operi.

Causæ horum symptomatum plerumqueprehenduntur 1. pituita iners, viscida, 2. obruens, bilis absentia, salini suppressio, fibrarum laxitas aut paralysis; 3. sordes à putrido, sanguinis aquosa indoles, obesitas, otium; 4. acrimonia acida, salina, biliosa, atrabilaria, ad stomachum et intestina delata, vermes, fibrarum in iis validum robur, motus assitam prospere nonnumquam cedunt, ut iis solis recuperata salus debeat; et ideo maxime etiam sunt ista omnia consideranda ad morbos verè notandos, et distinguendos.

duus ; 5. acer humor prædominans , vix nisi insueto assumpto compescendus , circuitus cruoris mutatus , imaginatio depravata , gravidis inprimis.

804 Potus desiderium inexplebile , sitis nimia solet oriri á nimia siccitate ; á spissitudine humorum immeabilium ; á calore nimio ; ab acri muriatico , ammoniaco , alcalino , aromatico , oleoso exusto ; á venenis.

805 Manducatio læditur vitio oris , linguæ , dentium , maxillarum , salivæ , musculorum ; quod pendere potest á vulneribus , inflammatione , paralyti , spasmu , siccitate.

806 Deglutitio læditur quoque vitio oris , linguæ , palati penduli , tonsillarum , uvulæ , laryngis , pharingis , oesophagi , ventriculi superioris ; atque illud accidit per vulnera , inflammationem , dolorem , tumorem (a) , spasmum , paralytin , sic-

(a) Nonnumquam in Oesophago impotentia deglutiendi nascitur , qualem aliquoties sanavi , alias autem sanare non potui . . . Morbus iste videtur sedem habere in glandulis dorsalibus Vesalianis tumentibus . . . Hi miseri , nisi citò succurratur , fame pereunt enecti. Hinc , nisi malum cito remediis cesserit , Mercurium continuo oportet adhibere qui sanguinem dissolvat , ut omnes canales aperiantur. Experimentum felix fuit , quod Ruischius recensuit. Boerh. hic. Hæc deglutitionis lesio dicitur ge-

citatem, *Condrogeniam* (a), luxationem partium laryngis, aut vertebrarum colli, absentiam mucii.

807 Actionis stomachicæ læsæ primæ species sunt : 1. *Apepsia* : 2. *Dyspepsia* (b) : 3. *Bradypepsia* : 4. *Diaphthora* : quando

nerice *Dysphagia*. Species in Textu proponuntur. Videantur nihilominus si placet Auctores Nosologi. Sauvagesius, horum Antistes, proponit *Dysphagiam* spasmodicam, histericam, paralyticam, pharyngeam, œsophageam, à siccitate, à *Datura*, seu *Stramonio*, quorum semina convulendo strangulant. . . Hæc omnia, et adhuc alia, in textu inquam, proponuntur.

(a) Primus Nuckius, et post eum passim alii observaverunt *cardiam*, et *œsophagum* aliquando in *Cartilaginem* mutari, et nihil aut admittere, aut emittere. Hoc mali genus non infrequens est, et videtur oriri à potu aquæ fervidæ. Boerh. hic.

Aliquando non adeo cartilaginescunt, induranturque partes circa fauces, et *œsophagum*, sed vel incrassatur membrana interior *œsophagi* vel *asperæ arteriæ*, aut ibi oritur membrana facticia à sero transudante inspissato, coagulato, unde producitur, præter *Dysphagiam*, *angina illa trachealis*, de qua alibi.

(b) Super ista *Dyspepsia* amplam, et ingeniosam comentationem instituit Doctor Cullen, quæ merito videnda. *Elementos de Med. pract.* tom. 3. p. 17. *Bradypepsia* : quando cibus intra 24 horas, v. gr. nondum mutatus est, sed aliquot demum horarum spatio subigitur. A *bradis* tardus, et *pepsis* coctio.

cibi ventriculo contenti. 1. aut non coquantur; 2. aut difficulter. 3. aut tardè 4. aut si in putrem humorem à bono chylo diversum commutantur; causæ sunt eædem fere ac *Anorexias* (803:) maximè defectus, et inertia salivæ oris, et ventriculi; organa respirationis (*a*) languida; sordes; vermes; tenacia ingesta; putridorum humorum affluxus. Celerior autem Digestio, ceterum bona, raro morbus est, aut causa ejus jam in *Bulimo* explicata (803).

808 Vitia vero expulsionis ex ventriculo recensentur singultus, nausea, vomitus, cholera, ructus. Quorum primum est, ut videtur, convulsio œsophagi ventriculum et diaphragma sursum trahens, dum simul diaphragma subito deorsum convellitur; causa autem ejus deprehenditur celeris deglutitio copiosi ingerendi; copia ingesti; acrimonia ventriculo inhærens; inflammatio œsophagi, ventriculi, septi transversi; spasmus à nimia evacuatione, vel ab excessu vomitus exercitati; venena acerrima.

Diaphthora est quando cibi non mutantur in substantiam nostram, sed corrumpuntur, suam sequendo naturam. Panis v. gr. acescit; carnes alcalescunt

(*a*) Horum organorum magna ad digestionem efficacia est. Boerh. hîc Vid. §. 820.

809 Nausea , et Vomitus videntur esse motus spasmodici retrogradi fibrarum muscularium œsophagi , ventriculi , intestinorum , simulque convulsiones validæ musculorum abdominalium , et septi transversi ; quæ leniores Nauseam , violentiores Vomitum creant. Fiunt autem hæ à copia nimia ; aut acrimonia ingesti , à venenis , lesione cerebri vulnerati , contusi , compressi , inflammati ; ab inflammatione diaphragmatis , ventriculi , intestinorum , splenis , hepatis , renum , pancreatis , mesenterii (a) ; ab irritatione gulæ ; à motu perturbato spirituum per agitationes insuetas in rheda , mari , &c. ab idea rei , quæ nauseam , vomitumve sæpe excitavit.

810 Cholera vero , violenta sursum deorsumque expulsio ex ventriculo et intestinis ; est convulsio vomitum creans (809.) , et simul fortis intestinorum deorsum spasmus ; causæ itaque eadem , at violentiores ut plurimum , maximè in-

(a) Istæ omnes inflammationes , quæ aliquando solent esse lentæ , et obscurissimæ maxime attendendæ : si enim nauseæ , et vomitus ab eis pendeant , et mala fortuna aliunde adsint aliqua Cacoehiliæ in primis viis signa , et vomitorium , quantumvis leve detur , inemendabiles noxæ producentur. Caveant ista maxime Tyrones.

gurgitatio fructuum horæorum, et fer-
vidum Augusto mense cœlum.

811 Est Ructus explosio materiæ elas-
ticæ convulsiva contractione fibrarum
œsophagi, ventriculi, intestinorum, com-
pressæ, mox, iisdem resolutis, liberatæ;
hæc autem fit à cruditate, putredine,
acore, fructibus horæis, musto, liquori-
bus fermentantibus, venenis, morbis
spasmodicis, omni acrimonia valida.

812 At Expulsio et ventriculi, et in-
testinorum læsa quoque habetur in *Lien-
teria* quæ est cita expulsio per alvum ali-
mentorum, quæ ventriculo ingesta, non
mutatorum; cujus quidem causa est iner-
tia humorum, ut in *anorexia*, et *a-pepsia*;
tum laxitas summa ventriculi et intesti-
norum; respiratio interim satis fortis.

813 Si chylus una cum fœcibus al-
vinis ejicitur, vocatur *Affectio Cœliaca*;
ubi videntur concurrere pro causa consti-
tuenda stomachus et humores satis va-
lidi, dum interim intestina nimis laxa,
aut oscula vasorum lacteorum quacun-
que de causa obstructa.

814 *Diarrhoea* (a) est frequens, et co-

(a) Auctores Nosologi *Diarrhoeam* pro ge-
nere habent, dicentes ejus *Characterem* esse de-
jectionum frequentiam, quam non comitatur
febris, nec contagium. Revera illa, vi vocis
græcæ, nihil aliud est, quam *fluxio aucta*,

piosa, per alvum egestio excrementorum liquidorum; sive ex cibo, potuve, sive ex humoribus quibuscunque undecunque (a) delatis in intestina, exorta fuerint. Ejus vero causa est vel acre intestina irritans, humores exprimens, ex hepaticis, pancreaticis, mesentericis, intestinalibus vasis, dum simul ora venularum mesentericarum, et lactearum obstructa; vel laxitas ingens fibrarum intestinalium; denique aliæ excretiones impeditæ.

815 Dysenteria est diarrhoea cum dolore notabili; cujus materies eadem quæ diarrhoeæ, sed acrior, et præterea ergo bilis, seri, cruoris, mucii intestinalis, puris, saniei, bilis atræ, fibrarum, caruncularum, membranarum. Inde et

seu immodica. Sub hoc genere comprehendunt fluxum hepaticum: celiacum, et dysentericum. Species Diarrhoeæ idiopaticæ, et symptomaticæ variæ admodum sunt. In textu quamplures proponuntur. Ultima ab excretionibus impeditis vix ab illis memoratur, cum sit notabilissima. Doctor Rosens inter Diarrhoeas Infantum levissimè mentionem facit illius quæ ab scabie, et similibus retropulsis oritur.

(a) Liquores corporis humani possunt penè omnes per vasa sua in Intestina deponi. Purus sanguis per Anastomosim ex vasis mesentericis in Intestina effundi potest, quorum oscula dilatata sunt. Verum ea via, quæ sanguini patet, omnes alios humores etiam facilius transmittet. Boerh. hic.

causam habet eandem, at violentiorem, quæ sæpe acrimonia quæcunque humorum, tum inflammatio, ulcus, gangræna, vel intestinorum, vel partium, suam colluviem in ea deponentium.

816 Ileus vocatur rejectio violenta per os eorum, quæ cibi, potus, medicamento titulo assumta; aut chyli, bilis, seri stomachici, pancreatici, intestinalis; bilis atræ, mucii, puris, ichoris; fœcum intestinalium; clysmatum ipsorum. Cujus quidem symptomatis proxima causa semper videtur motus inversus fibrarum intestinorum, ventriculi, œsophagi, accedente simul causa quacunque (809. 810.), vomitu; remotior vero est inflammatio, volvulus, apostema, scirrhus, cancer, foex dura, calculus, hernia, convulsio intestinorum. Ex his retentio fœcis durioris in origine, causa, natura, effectis intelligitur.

817 Si autem generatio, et excretio in intestina Bilis læditur, symptomata inprimis oriuntur hæc; icterus; cachexia biliosa; calculus, gypsus, hepatis obstructions; excrementa alvi alba, dura, sicca; appetitus deletus; ciborum digestio impedita; miscela impedita partium assumptarum; Tympanitis; hydrops: pro causa agnoscit plerumque hepatis inflammationem, exsicationem, obstructionem; humorumve ejus, et abdomina-

lium viscerum inspissationem quamcunque.

818 Si autem lymphæ pancreatis, hepatis, intestinorum, læditur in sua confectione, vel motu, oriuntur symptomata quam simillima recensitis (817.); quin et causæ erunt similes.

819 Sanguinis in corde mutatio, ejus est modo receptio, mora, expulsio; quæ si nimia quoad motum, faciunt febres continuas, ardentis, validas; sin vero remora longior, vel expulsio languidior, tunc fiunt languores, concreciones polyposæ, vel pituitosæ, frigus, leucophlegmatia, hydrops, atque plurimi diversi alii hinc oriundi morbi.

820 Actio læsa pulmonum tam respiratoria, quam transmissoria cruoris, consistit imprimis in augmento vel decremento efficacis ejus in sanguinem; à priori videtur oriri *Diatheſis phlogistica*; à posteriori *Hæmatopoiesis* impedimentum, et nutritionis (a), unde Ca-

(a) Dictum fuit §. 807. organa respirationis maxime ad digestionem conferre. Chylus per venam subclaviam, et cavam ad cor sinistrum venit, unde, si languide expellitur fiunt morbi in corde ipso, et postea etiam in toto corpore, ut in §. anteriori dicitur à mala nutritione procedentes. Sanguis iste chylo onustus, et debiliter à corde in Pulmones expulsus: si aliunde isti parvam efficaciam in eum

chexia, Atrophia, Phthisis, et infinita mala; causa autem illius actionis læsæ est omnis labes organorum multiplicium, quæ respirationi exercendæ serviunt.

VITIA MICTIONIS.

821 **S**ecretionis Urinæ læsæ sympto-
mata præcipue sunt I. *Ischuria* nempe
integra retentio urinæ nullo modo ex-
cretæ; cujus causæ primariæ, plethora,
inflammatio renum, ureterum, vesicæ,
colli vesicæ, urethræ; earundem partium
spasmus, pressio; tum et obstructio à

sanguinem chilosum excrecent, remanebit cru-
dus, et ita nutritioni ineptus.

Pulmo enim (ait Boerh. in Prælect.) agit
in sanguinem, quatenus omnes humores in San-
guine continentur, hinc in omnes omnino hu-
mores nostros agit, atque materiem crudam
omnem, omnium primus accipit, primusque
coquit, nempe aptam reddit, ut per omnia
corporis vasa fluere possit, et fingit in natu-
ram humanam.... Diminuta igitur actione
Pulmonis omnia nimis tarde, aut nunquam
assimilantur, inde cruditas, assumptorum Ca-
cochimia, &c. Actio respiratoria etiam ad
ista momentum adfert ob aerem, cujus qua-
litates physicæ ad horum assimilationem con-
currunt; et præsertim chemicæ ad eandem, et
ad animalizationem sunt admodum necessariæ,
ut alibi dictum.

lapide, pituita, pure, thrombo, caruncula (a) apostemate, tumore (b).

822 2. Est *Dysuria*, nimirum urinæ excretio cum molestia, conatu, aut dolore; cujus species *Stranguria* dicta, ubi habetur stillatim cum sensu ardoris emissum lotium; causa utriusque mali multiplex; nempe acrimonia inprimis recentis, fermentantis cerevisiæ; vini, aut fœcum utriusque; acrimonia acida, salsa, alcalica, oleosa, aromatica, biliosa, humorum; excoriatio partium vesicæ aut uretræ ab inflammatione, ulcere quocunque, atterente calculo, causticis maximè insectis assumtis; calculus occludens, tumorve, in vesicæ collo, ejusve urethra.

823 3. Censetur urinæ *Incontinencia*, quando sine voluntatis, respirationisve, nixu, sponte effluit; oritur ut plurimum

(a) Dicatur fungus, vel strictura quæli-
vet, quæ hic dicitur *Caruncula*. Cereolis præ-
cipue labes ista opugnanda. In his perficiendis
Franc. Diaz Med. Doct. et Philippi II. Chirur-
gus prævit omnes in Opere, quod inscripsit:
Enfermedades de los riñones, &c. An. 1588.

(b) Tumor iste vel est in glandula prostata
in Viris, seu corpore spongioso in fœminis;
vel in colliculo *uvula vesicæ* dicto, quæ pars
est triangularis productionis, usque ad inser-
tionis ureterum extensæ, quæ *vesicæ trigonus*
nominatur, à quo lotii perpetua libertas
pendet.

à resolutis , dilatatis , discissis , suppurando consumtis , gangrena putrefactis , fibris sphincteris (a) vesicæ.

824 4. Denique est *Diabetes* , quæ est urinæ chylosæ , vel lacteæ , frequens , et copiosa trajectio ; causa ejus censetur nimia laxitas fibrarum in arteriolis urinosis , concurrens simul cum humoribus valde dilutis , quæ utraque ab aquosis.

MOTUUM VITALIUM LÆSSIONES (b).

825 **A**ctio autem Vitalis læsa spectat maximè pro symptomatibus pulsum cordis , respirationis exercitationem , vel utraque simul.

826 Ita quidem , ut ergo 1. numeretur *Palpitatio cordis* , quæ dicitur violenta ejus contractio una cum magna resistantia cruoris à corde pulsati ; causa ejus plerumque est inordinatus , et violentus spirituum vitalium in cordis villos impetus , ut in summis animi affectibus , subito terrore , affectu hysterico,

(a) Num illa *Incontinentia* procedit à vitio musculi relevatoris ani in quem voluntas potest agere in continenda urina , prostatam atque uretram ambientis ? Hic enim sphincter nec ad id deserviret , nec datur.

(b) Naturalia læssa Vitalium læssiones sequuntur.

motu violento et subitaneo, evigilatione præcipiti; aliquando est irritatio fibrarum cordis ab acri quodam stimulo facta, ut in cacochymica materie mota, inflammatione cordis, pericardii, hisve male affectis à calculo, vermibus (a), pilis, aneurismate (b); deinde à cruore spisso, polyposo, copiosiore; tandem ab arteriis cartilagineis, osseisve factis, aut his ad extrema obstructis.

827 2. Pulsus arteriarum intermittens (c) contingit aut vitio liquidi cere-

(a) In ipso pericardio vermes Lowerus vidit, qui mirificas ibi palpitationes excitaverunt.

(b) Mulieres, quæ frequenter animo linquuntur extinguntur ultimo per palpitationem cordis: in eo enim statu sanguis quidem ad cor refluit, cor autem quiescit, et dilatatur; ita Sanguis stagnans polyposus redditur, viasque iterum arctat, et majoris dilatationis causa est: et ita nascitur ad inevitabilem mortem dispositio. Hunc morbum oportet Medicis exacte notum esse ad curationem; et præsertim ad prognosim: accidit enim plerumque quod miseræ hæ, inopinatò moriantur.

(c) Iste pulsus maxime notandus: ut etiam notandæ causæ à quibus potest provenire, præsertim inflamatio arteriosa, seu in arteriarum tunicis hærens. Aorta potest ita inflamari, et etiam per ramos coronarios per superficiem ipsius distributos, his tumentibus comprimitur, et hujusmodi pulsus periculosus manifestari.

bellosi inæqualiter influentis in cor ; aut vitio vasis transmitentis sanguinem et humores ; vel denique peccantē humore illo, qui fluit per vasa ; causa proinde hujus mali varia , ut convulsio , polypus , caecochymia pituitosa , inflammatio arteriosa , pulmonica , cardiaca , cruor deficiens arteriæ osseæ , cartilagineæ , aneurismatica , calculo infarctæ , cor male affectum vario modo.

828 3. Pulsus crebrior oritur semper à celeriore contractione systolica cordis ; hæc autem à frequentiore influxu spirituum cerebelli , et difficiliore progressu liquoris expellendi ; quo faciunt acre, et obstructum.

829 4. Pulsus imminutio , vel deletio ; quæ reducitur ad *Lypothymiam* , ubi eo usque deficit , ut vires multum debilitatæ corpus vix sustineant ; *Lipopsychiam* , quando hæc eo usque increscit , ut et naturalis calor multum labefactari incipiat ; *Syncopen* , ubi cor eo usque deficit , ut calor , motus , sensus , fere deleantur , sudoresque frigidi exprimantur ; *Asphyxiam* , ubi omnia illa quoad sensum deleta mortis imaginem simulant. Causæ horum symptomatum variæ , varioque gradu constan-

Hic semper vim vitæ labilem demonstrat , et signum est vitam de morte participare , sive cor subinde quiescere. Vid. §. 965.

tes, similes fere iis, quæ (827.) , inprimis idæ rei horridæ, graviditas, animi affectus, spasmi, inanitiones quælibet, maxime sanguinis in vulneratis, parturientibus, abortientibus, cancris.

830 Respiratio vero læsa symptomata primaria numerat I. *Apnœam*, ubi integrè desinit; et agnoscit pro causa fere quæ in pulsu imminuto recensita (829.); tum eo spectat aër vitiosus (746. ad 754.); venenati vapores, causticique acidi, vel austeri; paralysis, vel spasmus organorum respirationi famulantium (602. ad 625.); ut et alii morbi, qui harum partium functionem omnino destruunt.

831 2. *Dyspnoeam*, in qua cum molestia, dolore, fatigatione, respiratio contingit; hæc quidem habet easdem, ac prior, causas (830.), sed leviores, quo et mala facit præ cæteris pectoris conformatio.

832 3. *Asthma*, quæ est frequens, molesta, sibilosa, respiratio; plerumque orta à causis dyspnoeæ pertinacioribus; sed maximè, ut videtur, à constrictione spasmodica fibrarum muscularium in pulmone.

833 4. *Orthopnœa*, quæ anhelosa, difficilis, stertens, sola erecta cervice et thorace absolvenda, respiratio; causæ iterum eadem (830. 831. 832.), sed vario insultu agentes, recedentesque.

834 5. *Catarrhum* suffocantem ; qui videtur esse subita occidens *Apnoea* ; habet et hic causas easdem (833.) ; maxime observantur frequentes , materiæ eliquatæ in fauces et pulmones subita destillatio ; nervorum summa vitia ut in hystericis ; polypus cordis major subito in pulmones trusus.

835 Verum omnia hæc symptomata (830. ad 835.) solent produci à causis quibusdam notabilibus per incisa cadavera , vel excretionem materiæ , manifestatis ; quæ sunt primario Thoracis repletio per extravasatam lympham , pus , sanguinem ; etiam inflammatio laryngis , asperæ arteriæ , bronchiorum , pulmonum , pleuræ , mediastini (a) , diaphragmatis , pericardii , musculorum thoracis respirationi servientium , ut et abdominalium ; tum et materies diversa , polyposa , gypsea , pituitosa , calcea , calculosa (b) , purulenta , tum quoque tumor circa laryngem , in ea , ut et in pulmonibus , vel thorace , inflammatorius , suppuratorius ,

(a) Inter secedentes mediastini laminas ex inflammatione ibi nata , pus adest , quod malum sanari potest Sterno trepano perforato.

(b) Sebastianus Vaillantius , clarus ille botanicus , quadringentos lapillos , ante mortem screatu reddidit , rotundos omnes , et exiguos. Beerh. vidit asthmaticos tales calculos excreantes. hic.

scirrhosus , canerosus ; tandem et lata accretio pulmonum cum pleura (a).

EXERCITIA SENSUUM

EXTERNORUM LÆSSA (b).

V I S U S.

836 **V**isus (c) læsi symptomata nu-

(a) Hæc Dyspnoeæ , et Respirationis lœsiones aq̄d AA. Nosologos videndæ , Sauvagesium præsertim , et Cullenium.

(b) Absoluta læsionum vitalium tractatione à §. 825. sequitur functionum animalium læssio à Sensibus externis incipiendo , quorum mala ad facultatem animale[m] læssam pertinent ut alibi dictum §. 695.

(c) Præter ea , quæ §. 508 sub titulo *De visu* adnotata sunt , iterum moneo illa omnia exactè esse prænoscentia ut quæ hic dicuntur optime percipiantur. Libellus Boerhaaviï *de morbis oculorum* commendandus. Gorterius in sua chirurgia satis apte de iis morbis tractat lib. V. cap. IX. et X. Sauvagesius consulendus , classe VI. ordine I. Auctores ophtalmographi , seu qui oculi fabricam descripserunt , et ophthalmiatri , seu qui de ipsorum morbis tractavere plurimi sunt. Pro tironibus præter jam dictos sufficere poterunt Zinnii *Tractatus de oculo humano* A. 1755. Gottingæ editus : Plenckii hæc super *Re* opusculum , Ludovicus Gendron nuper hispanicè conversus. An. 1790 : Vidalius *Barcinonensis* . . .

merosa recensione causarum juxta diversitatem locorum optimè distinguuntur, primo enim partes coërcentes bulbum oculi male afficiunt premendo, protrudendo, extrudendo, erodendo, per tumores inflammatos, apostemata, scirrhos, caneros, exostoses, caries ossium orbitam constituentium; inde enim figura, humores, circuitus, visus axis, collectio radiorum in debito loco depravantur.

837 Deinde etiam palpebræ inflammatae, suppuratae, inflatae, conglutinatae, concretæ, grandinosæ, visum mirè turbant variis quidem de causis, sed maximè frequenter per glandulas sebaceas male affectas; etenim omnibus oculi sordescunt, similia pati incipiunt, aciem amittunt, humores pervertunt.

838 Quin etiam peccato lacrymarum abundantium, exacerbescentium, spissescentium, ad limbos palpebræ utriusque natantium guttatim, inde in genas ex oculis destillantium; fiunt hic humiditates turbantes aciem, erosiones inflammatorix, obfuscationes, fistulæ lachrymales; contingent illa vitio laxitatis nimix in glandula lachrymali, aut acrimonia et motu nimio materiæ lachrymosæ, tum mala forte figura tarsorum palpebraliū, aut malo habitu carunculæ angularis, vel mala, variaque, dispositione osculorum palpebraliū absorbentium lacrymas; fis-

tularumque has deducentium in saccum lacrymalem ; iterum hujus quocunque recessu à statu naturali , et canalis nasalis , vel membranæ nares intus succingentis illo peccato , quo exitum per hunc canalem in cava narium impedit ; sunt autem omnes causæ , quæ priores enarratas creant , quam plurimæ.

839 Deinde vero depravatur , impeditur , aboletur Visio , tunicæ Corneæ atque Adnatæ obscuracione , dealbatione , incrassatione , oedemate , phlyctæna , inflammatione , ungue , sarcosi , perla , cicatrice , panniculo , albugine , cartilagine , quæ etiam ex causis variis , diversisque accidere solent.

840 Quando etiam humor Aqueus deficit , fit oculi marcor , cornæ corrugatio ; (a) si abundat , nascitur oculus elephantinus ; (b) si stagnat non renovatus , putrescendo totam fabricam oculi pessun-

(a) Oculi fracti quales in moribundis sunt , et plani qui sphærici erant , ob collapsam corneam , ex defectu liquidi à quo eam extendi oportet.

(b) Ita vocatur oculus qui omni dimenssione major fit , ita ut demum palpebræ nequeant claudi. Hoc accidit ea parte præsertim qua selectotica non adest , sed mollior cornea. Ista causa oriri potest à nimia humoris aquei per arteriolas iridis , et uveæ secretionem , vel vitio venularum aquam istam resorbentium.

dat ; si colorem accipit , spissaturve sive in mucî , sive in pituitosi indolem , hinc suffusiones , cataractæ ; oculorum color alienus ; hæc plerumque inter interiora uveæ et inter lentem crystallinam ; est- que causa fere inflammatio , cacochymia , aut nimis coagulantium (a) imprudens applicatio.

841 Si Uvea inflammatur oritur ophthalmia maximè dolens , brevi perniciosissima visui ; si suppuratur , perditur acies et visus ; si immobilis fit , simulque contracta , oritur *Emeralopia* , quæ et contingit , ubi cataracta minor , ad margines tenuior , in medio spissior , adest ; si autem immobilis , et simul valde aperta , tum *Nyctalopia* oriri videtur.

842 Verum etiam fit , ut Lens (b) Crystallina opaca , inflammata , suppurata , hydropica , corrupta , atrophica , facta producat glaucoma , cataractam , (c) visum he-

(a) Cavendi agirtæ , qui alumen , vitriolum , saturni saccharum inconsultò oculis applicant , quibus aliquando unico temporis momento aqueus humor in albuminis speciem cogitur , et intra unicum oculi ictum cæcitas misserrime contingit.

(b) Ista , non est corpusculum undique separatum sed arteriollam habet à retina per vitreum transeuntem , ex Albino contra Petitum.

(c) Quando non in lente vitium adest , sed aqueus humor opacus est , tunc iridem non

betem, coecitatem opacam, *Amblyopiam*, si vero eadem læditur in sua figura, mole, spissitudine, tenuitate, creabit multa, varia, et sæpe mirabilia mala, visui accidentia.

843 Imo et figura nimis sphærica prominentis bulbi, quin etiam parvitas pupillæ, et multæ conditiones minus clarè hactenus perspectæ in longitudine oculi, in ipsa lente, ejusque situ, poterunt

poteris videre, et nunquam oportet acum oculo admove: neque tunc quando lens ad iridem adnata est, et iris immobilis. Si tunc conatus fueris deponere cataractam poterit æger convulsus perire: lens enim non poterit separari, nisi quamplurimis nervis laceratis. Repetito moneo, ut in omni Cataracta sub iridem introspiciatis. Si vacuum videritis retro iridem inter uveam, et lentem tunc lens libera est, et deprimi potest: si vero nullum spatium retro iridem adparet, et ausus fueris acu uti convulsiones certè lethales excitabis, aut alia mala supervenient, quæ non ante ipsam vitam finientur. Hæc Boerhaavius hic de Mõrbis Oculorum alias sapientissimus Scriptor.

His sic stantibus, amandabitur Operatio ista depressionis, seu extractionis *Cataractæ* nebulonibus, circumforaneis, cuilibet in ipsa se esse exercitatum perfide asserenti, et blateranti? et Medicus ista non agnoscet, non scienter coercebit? Apage immane in illo facinus, et immanius in isto Opprobrium, et Crismon horridum!

Myopiam (a) variam efficere; ut contra in planiore oculo, aut longiore, tum et ex varia indole lentis, ejusque situ, *Presbyopia* nasci poterit.

844 Sed Vitreus humor iisdem vitiis jam enarratis (840. 842.) obnoxius mala satis similia pati, et producere poterit.

845 Membranæ Retinæ varia vasa multa pati, diversa efficere, queunt; etenim eorum hydrops (b), oedema, phlyctæna, inflammatio, compressio; ut et nervi optici ipsius, atque membranarum eum involventium, similes morbi; tum tumor, steatoma, abscessus, hydatis, lapis, inflammatio, extenuatio, exesio, corruptio, obstructio, cerebro accidens ita, ut libera communicatio inter nervum opticum ejusque originem in parte medullosa cerebri impediatur, vel omnino aboleatur; omnia hæc vario modo efficient imagi-

(a) Myopibus lens nimis rotunda est, et radios cogit convergere antequam retinam attingant, ut iterum divergant, multisque in punctis retinam feriant: his nimiam convexitatem lentis compensat vitrum concavum. Presbyopes vero, quibus radii ob oculum nimis planum non convergunt ante retinam medelæ est vitrum convexum, quo radii citius cogantur convergere. Boerh. hic.

(b) In retina vasa lymfatica sunt quæ amurosim facere possunt si ita intumuerint ut nervos retinæ fibrillas comprimant.

nes, floccos, scintillas, *Amaurosim* dictam Guttam Serenam.

846 Et paralysis vel spasmus musculorum, qui oculum agitant, horum distractiones variæ ortæ ex ossibus orbitæ male affectis, tum etiam vulnera, ulcera, inflammatio, pressio, possunt facere *Rinoptiam*, (a) strabismum, luscitatem, adspectum trucem, et talia mirabilia mala.

847 Tunica tandem Choroides, Ruyschiana, Uvea, vasis sanguiferis abundantissimæ, inflammationi, et suppurationi obnoxia, valent *Hypopyon* tandem producere, quin et à variis admodum diversarum in oculo partium morbis alucinatio, fallacia, confusio, hebetudo, cœcitas, produci poterit frequentissimè (b).

(a) Sennertus celebrem historiam tradit hominis per nasum, tanquam per opticum tubum objecta videntis. Boerh. hic.

(b) Actum fuit de morbis oculorum, incipiendo ab orbita, partibus bulbum oculi coercentibus, à palpebris, lacrumis, tunicis, cornea, adnata, humore aqueo . . . Quorum omnium explicatio videnda apud Boerhaavium ipsum in suo tractatu de morbis oculorum quem alibi commendavi, iterumque commendo. Alii etiam Auctores hac super re difficili consulendi.

Quæ Boerhaavius in hunc §. adnotat, pro tota ista tractatione deservire possunt, ita enim loquitur: Videtis, quam multiplices morbi hic generari possint. Antequam vero definiatur de

AUDITUS , OLFACTUS , GUSTUS ,
TACTUS , VITIA.

848 **A**uditus læsi primaria symptomata quidem numerantur, ejus augmentum , imminutio , ablatio , depravatio.

849 In acutissimis cerebri , nervorum , membranarum morbis , his ut videtur nimium tensis , sæpe oritur intolerabilis fere *Oxyecoia* , minimo sono validissimè afficiente cerebrum , atque excitante aliquando convulsivos motus.

850 *Baryecoia* dicitur , vel gravis Auditus , quando perceptio soni minor est quam ejus magnitudo in sanitate requireret ; oritur autem ex plurimis sanè , iisque diversissimis profecto causis , commodissimè juxta varia loca affecta enarrandis.

Sunt enim auris externa nimis plana, vel ablata ; meatus auditorius nimis rec-

morbo , summa cura adhibenda est in tanta errandi occasione. Considerare oportet singulatim omnes partes quæ ad visionis organa pertinent : ita judicare poteris , num morbus sanabilis sit , num sanationem repudiet : et si sanabilis fuerit , remedia , per quæ sanari poterit , facile definies.

tus, angustus, obstructus à tumore quocunque, ab insectis, pure, sordibus, cerumine concreto; membrana tympani læsa, laxa, spissa, callosa, crusta adhærescente fungosa spongiosa et crassa reddita; concha interna impleta ichore, pure, pituita, tumoribus membranæ eam undique investientis, pulvere illapso post ruptam membranam tympani, canalis Eustachianus impeditus, obstructusve.

Ossicula à nexu suo soluta, atque per meatum sæpe rejecta, suppurata membranula colligante, ut post diros dolores inflammatorios auris internæ sæpe contingit, aut ossicula absentia per malam conformationem; exsiccatio, laxatio, spissatio, inundatio, nimia tensio, corruptio, exesio, induratio, membranulæ fenestræ rotundæ, atque ovalis; vestibuli, labyrinthi, cochleæ, meatum ossis petrosi, vitia admodum varia, inflammatoria, obstructoria, paralytica (a), et quæ ex his, ut

(a) Quando apparet surditas ab obstructione vel paralisi impleatur lanugine, aut gossipio meatus auditorius et aure in altum versa sub embroche sive sub lapsu, (stilicidio) ex alto aquarum calidarum thermarum, exponatur. Ita fit motus continuus, tremulus concutiens per aurem totam, et quandoque discutiens obstructiones inveteratas hujus organi. Embrochæ aquæ communis in qua mars, et sal amoniacus essent soluti idem valent.

causis, iterum enasci poterunt, tum horum mala structura auditui contraria.

Tandem omni impedimento, quo nervus mollis auditorius à suo ingressu in os petrosum, usque ad medullam oblongatam, vel hinc usque ad originem in medulla cerebri, media via impeditur, ut sunt inflammationes (a), tumores, exostoses, cerebri læsa functio, et plurima præterea mala: unde perspicitur ratio difficilioris curationis horum.

851 Etiam vitio aëris externi, maxime humidi, et nebulosi; aut interni non potentis libere ingredi, exire, accidit depravatio Auditus; tum imprimis hic nocent morbi illarum arteriolarum, quæ ornant membranulas in toto organo auditus ubique dispersas; inde enim facilis intellectus tinnitus, bombi, echus, susurri.

(a) Nervus acusticus intra calvariam, inter cerebrum, et os petrosum vestitur pia meninge, quæ vasa primi generis continet obnoxia inflammationi. . . Ruischius demonstravit membranam tympani, quæ etiam *Myringa* dicitur, inter duas lamellas media vassa habere quæ ex centro tanquam radii ad ambitum abeunt, hæc inflamari possunt et inde pulsatio oriri, atque tunc mens singulos pulsus tanquam mallei ictus percipit. Pessimum malum ab arte, methodo omnimode antiphlogistica, vix sanabile.

852 Si tandem omnia hæc vitia enarrata (849. 850. 851.) validissimè incrementum, diu admodum persistunt, tum oritur *Cophosis* (a), vel perfecta surditas, hincque loquelæ ignorantia, vel oblivio; cujus causa sæpe concretio tubæ Eustachianæ sæpenumero in lue gallica exesis faucibus, deinde cruditate labiorum unita concretis.

(a) Wenceslaus Trnka de Krzowitz. S. R. I. Eques, Med. Doct. . . . Historiam Cophoseos, et Barycoiæ nuper (An. 1778.) evulgavit. Varia pro iis emendandis proposuit, tandemque de variis machinis acousticis verba facit.

Tractatulus iste recudi dignus est. Multa enim notabilia continet pro organo isto custodiendo atque sanando. *Disceæa*, sive auditus difficilis maximè incomoda: quid ni cophosis, sive perfecta surditas? Physiologia hic, ut de Visu dictum, præcedat, atque præluceat. Sensus disciplinæ nobilior infestatur. Causæ, sedesque malorum abstrusæ sunt, et sanationi difficile se se offerunt. Parum est, quod de Organi abditissimi statu sano, partiumque ejus singularum usu intelligimus, ita Gauvio perspicacissimo proferente, imo assentiente. (§. 708.) Recudatur itaque Trnka. Impensius in ista prolabantur imo ruant Viri illi quos ad id finxit de meliori luto præcordia Titan. Humano generi toti quanti succurramus!

His super legantur Antonii Mariæ Valsalva opus aureum de *Aure humana*. Bologniæ A. 1707. et Joan. Bapt. Morgagni Epistolæ, &c.

853 *Olfactus* etiam minuitur , aut tollitur.

1. Defectu , aut soliditate quatuor ossiculorum spongiosorum , vel cavernarum in osse frontis , maxillæ superioris , et cuneiformi osse.

2. Membranæ olfactoriæ siccitate , humiditate , inflammatione , suppuratione , gangræna.

3. Compressis olfactoriis nervis per tumores quoscumque hic enatos , exostoses , polyposque (a).

4. A vitiis in cerebro ad originem horum nervorum , ut ante jam dictum in aliis Sensibus ; depravatur etiam à fœtore (b) materiæ cujuscumque in locis his cavernosis stabulante , atque assiduo exhalante.

854 *Gustus* quoque minuitur , tolli-

(a) Narium polypus fit ab exuberante membrana pituitaria sinuum , ossium spongiosorum à mucò inspissato , vel alia causa membranam istam protrudente , qua in pediculum educta per ostium , in cavitatem faucium propendens iter aeris intercipit , ut instar frusti cærnis in fauces pendula conspici possit.

De Polypis narium quamplurima optima nobis reliquit Hippocrates in Libris de Morbis. Videantur Petri Salii in eosdem commentaria , et Martiani Adnotationes.

(b) Pessimum malum à carie ossium nasi , ulcere venereo . . . oriundum. Narium elutio fauciumque gargarizatio melle , aqua , aceto , et salis pauculo prodesse possunt.

tur, depravatur; priora bina contingunt, si papillæ gustantes linguæ obducuntur crusta, sordibus, mucositate, aphthis, pelliculis, pustulis, verrucis, inflammatione, exsiccatione, læsione accedente sæpe simul nervorum quinti et noni paris. Depravatur vero vitio humoris prædominantis, inprimis id sæpe hæret in saliva ori infusa, quæ sapore peccans multa hic producit effecta saporis biliosi, alcalini, acidi, salini, æruginosi, oleosi, saccharini, cadaverosi, haud aliter, ac si res assumptæ repræsentato hoc sapore donarentur.

855 *Tactus* lædi solet primo in stupore vix sentiente, vel admodum obtuse, et quasi per interpositum medium; quod contingit præ frigore nimio extremi organi, vel nervi, aut cerebri vitio, ut et ab interposito cujusdam sensui ineptæ materiæ; deinde in nimis acuta sensilitate, vitio nervum non satis tegentis cuticulæ, ejusve forte nimia tensione et teneritudine simul; etiam in abolita planè tangendi facultate ab omni causa, quæ nervos, cerebrum, aut utraque, inepta reddit colendo huic muneri, ut profecto Apoplexiæ et Paralysis historia satis docet.

VIGILIÆ, ET SOMNI AFFECTIONES.

856 **P**ervigilium oritur 1. à nimia determinatione liquidi nervosi ad organa Sensuum. 2. à nimio ejus raptu versus cerebrum, obstructis inferioribus à frigore, aliave causa, ut in hypochondriacis, melancholicis, maniacis, inferius frigentibus. 3. ab irritante quocunque, et ubicunque posito, quod organa Sensuum, maximè cerebri, vellicat. 4. à nimio motu humorum, cerebri meatibus adhucdum apertis. 5. à morbis, in quibus illa præmemorata prædominantur, ut à febribus, phrenitide, melancholia, doloribus, suppurationibus, et similibus malis.

857 Sed nimia Somnolentia (a) oriri solet ab omni causa, quæ impedit liberum fluxum, et refluxum spirituum bonorum, et satis copiosorum, à medulla cerebri per nervos ad organa Sensuum, et musculorum voluntati servientium, iterumque ab his ad originem horum nervorum in medulla cerebri; est quidem hæc causa multiplex admodum, tamen referenda facilè ad plethoram, obstruc-

(a) Somnus est quies sensorii communis.

Quæ in Physiologia de vigilia, et somno dicta sunt huc advocanda.

tionem, humorum effusionem, vasorum compressionem, inflammationem, suppurationem, gangrænam, inertiam, collapsum ab inanitione, usum opii et narcoticorum, aromatum, spirituosorum fermentatorum, naribus nimis applicatorum, vel corpori ingestorum, cibos duros, pingues, copiosos, diuque in stomacho hærentes, magna nimis copia ingestos.

858 *Coma agrypnodes* (a), insuperabilis proclivitas in Somnum cum perpetua à terribili insomnio excitatione, agnoscit causas (857.) similes prioribus, accedente interim magna stimulatione ab ingenti plerumque inflammatione concurrente.

Coma hypnodes, assidua dormitio cum assiduo in eam post excitationem lapsu, causas habet plurimas fere easdem, et majores jam explicatis (857.)

Carus, profundissimus somnus, cum repentina sensuum, motuumque abolitione, una cum febre acuta, et difficili admodum excitatione, est Apoplexiæ calidæ genus levius.

Lethargus, profunda, tranquilla, obli-

(a) Malum hoc videtur ponere collapsum magnæ partis cerebri dum reliquum liberum est: adeoque humores, qui per illam transire nequeunt ad istam majori copia determinari. Hinc sæpe desinit in cerebri inflammationem. Boerhaav. hic.

viosa , somnolentia , ex lenta , frigida-
que causa cæterum simili multis cau-
sis (857.) dictis , atque sæpe ex concu-
su variarum talium orta.

— *Cataphora* , ab antecedentibus vix dif-
fert.

859 *Anæsthesia*(a), facultas ablata per-
cipiendi actiones objectorum sensibilium
in organa Sensuum externorum ; tum et
varii gradus illius , stupor , hebetudo,
confusio ; Memoria minor , major , abo-
lita , confusa ; Judicii facultas vacillans,
deleta , confusa ; Ratiocinandi facultas

(a) Quæ hic proponuntur non possunt apte
intelligi quin ea quæ in Physiologia *de sensi-
bus internis* proposita sunt advocentur.

Sed monendum , neque illa , neque ista per-
ceptum iri puto nisi Logices-criticæ regulis,
Metaphisicæ sublimis Institutionibus , præser-
tim Pneumatologia et Psychologia , atque
Phylosophiæ moralis optimis documentis ins-
tructi simus , et instructos admodum Medicos
omnes debere esse , et præsertim , qui urbes ma-
ximas habitant non dubium est , ibi enim Anima
diris agitationibus exposita corpus misserrime
afficit immo pessundat.

Logicæ critices Elementa Ant. Genuensis,
Malebranchii Opus de Veritatis Investigatione,
Andræ Piquerii Logica , et Philosophia
moralis . . imprimis debent introspecti , atque
addisci. Boerhaavius ipse Tomo II. de Morbis
Nervorum , plurima huc facientia proponit , et
discutit. Agit enim de Mente humana , de modo

vacillans, deleta, turbata; delirium, stultitia, furor, mania, imaginatio depravata; omnesque morbi huc referri soliti; pendent quidem ex multis, atque diversis planè causis, ita tamen, ut commodè peti queant ex his, quæ ordine explicatæ jam sunt (836. usque ad 859.); in quibus tamen ætas, affectus, rigiditas, laxitas, concretio, deletio, solidorum; inspissatio, acrimonia, inertia fluidorum, ut principes inter cæteras deprehenduntur.

860 *Apoplexia*, ablatio subita, integra Sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum omnium, respiratione et pulsu perdurantibus, sæpeque auctis, superstitibusque functionibus, quæ à prioribus immediatè pendent; causam habet in cerebro id omne, quod impedit fluxum spirituum ab origine me-

quo ista ideas acquirit, de ipsius potestate, de voluntate, animi affectibus... aliisque.

Apagæ hac in re valde labili, admodumque difficili Scriptores sublestæ fidei. Absint procul Pseudo-Phylosophi heterodoxi quando agitur de anima cujus immortalitas non dubia est, quum de istius ideis in analisis (si fas est), et calculum revocandis; de sensationibus eformandis ab eadem anima, cujus spiritualitas atento patet, et cujus libertas est dogma fidei. Sed hæc obiter.

dullæ cerebri per nervos cerebri ; hæc est multiplex , et referenda apposite satis ad omnes eas , quæ comprimunt cerebrum externè , interneve , revocandas ad quinque classes primarias , quæ.

1. Fracturæ , impresiones , exostoses , tumores , compressiones cranii , inprimis in juventute , et pueritia adhuc teneri.

2. Humores cruenti , serosi , purulenti , pituitosi , saniosi , stagnantes , effusi , iis locis , ubi possunt comprimere , vel erodere cerebrum , ejusque membranas , ut inter cranium et meningas , inter has et cerebrum , in ventriculis cerebri , ad medullam oblongatam , ad medullam spinalem.

3. Tumores inflammatorii , aquosi , serosi , purulenti , mucosi , sebacei , scirrhosi , lapidosi , iisdem in locis , et eodem effectu compressionis enati.

4. Impedimenta fluxus sanguinis appellendi , perfluxuri ad cerebrum , vitio præcipuè vasorum vulneratorum , compressorum , obstructorum vitio polyposi spissamenti , sideratorum.

5. Impedimenta similia nata in venulis , sinibus , venis , in quæ redit à cerebro humor sanguineus ; nascuntur autem hæc impedimenta quam maximè à compressione venarum.

MOTRICIS FACULTATIS SYMPTOMATA.

861 *P*aralysis (a), immobilitas musculorum flaccidorum; causa impeditus influxus spirituum in villos musculorum, vel cruoris arteriosi in ejus vasa; contingit vitio cerebri, nervi, muscoli ipsius, vel ejus arteriarum.

Paraplegia, immobilitas omnium musculorum sub capite, qui habent nervos à cerebro et cerebello sub cranio egressos; causa ideo plerumque hæret ad ventriculum quartum cerebri, vel ad initia spinalis medullæ.

Hemiplegia, idem morbus, sed modo ad unum latus totius corporis; hinc causa eadem, sed uni modo lateri cerebri, aut medullæ spinalis, applicata.

Paralysis partis singularis et hinc clarè cognoscitur. Atque intelligitur, cur in apoplexia simul adsit paraplegia, aut saltem hemiplegia valida? item cur abla-

(a) Paralysis nunquam in corde est, hujus enim Paralysis est mors, quam in Peste acutissima subitissimæ mortis causam suspicatur Boerhaavius hic.

tæ apoplexiæ alterutra harum fere ubique succedat, diuque restet.

862 *Epilepsia*, Morbus Caducus, est subita, integraque abolitio Sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum cum reciprocis violentis convulsionibus, et resolutione: unde videtur hic concurrere causa duplex, et quasi opposita, partim apoplexiæ, partim pervigilii, aut comatis vigilis (856. 858. 860.), vicissim agentes, nec adeo fortes, nec tamdiu durantes, ut ibi.

863 *Dinos*, Vertigo, apparens rotatio objectorum, atque membrorum vacillatio; causæ ut apoplexiæ, sed leviores.

864 *Spasmus* (a), Convulsio, est invita, violenta, contractio musculi, cum attracta simul parte musculo appensa; causa, liquidum nervosum fortiter et diu in musculum influens, cujus causæ infinitæ,

(a) Quamvis spasmorum energia ultra quam par est à nonnullis forte extendatur; fatendum tamen vix aliam dari corporis vivi affectionem, cujus aut crebriores incidant occasiones, aut magis universalis sit sedes, aut major ad functiones omni modo turbandas potentia. Gaub. Path. §. 742.

Distinctio inter spasmum et convulsionem, ille contractio musculorum continua, sive tonica dictus, ista alternans sive clonica, inanis est.

in sanguine, arteriis, meningibus, cerebro, nervis, musculis, cranio.

Tetanos rigiditas, convulsio invita, violenta musculorum parti flectendæ et extendendæ propriorum simultanea; quæ hinc vel universalis omnium simul, vel singularis (a) unius cujusdam membri.

Emprostotonos est spasmus musculorum, caput, collum, thoracem, lumbos, ad anteriora flectentium.

Opisthotonos (b), est spasmus musculorum caput, cervicem, dorsum, retro flectentium: et liquet facilè attendenti, quod posteriorum causa una et eadem ut spasmi, sed magis universalis, et fere semper subtilis, acerrima, venenata.

865 Hinc bene patet, cur vertigo, convulsio, inprimis universalis, morbus

De morbis spasmodicis amplissimo sermone loquitur Cullenius toto Lib. III. Elementor. Med. pract. dividens eos in morbos spasmodicos Cavitatis animalis, vitalis, naturalis.

(a) Hunc tetanum singularem crampum (*Calambre*) vocant. Hic est incomoda musculi tractio orta à tendine ex orbita sua devio, et convulso.

(b) Ista convulsio intra viginti quatuor horas accidit, et cadavera æthiope nigriora facit. Tunc vulgus imperitum venena aut incantamenta, ipsiunque dæmonem accusat; cum hujus mali naturalis ratio sit, et Medico gnaro, et atento patet.

caducus, resolutio, inprimis si majores, pertinaces, et ex interiori causa, fere semper tandem in apoplexiam transeant.

EXCRETORUM VITIA ET QUALITATES CORPORIS VITIATÆ.

866 **E**xcretorum, et retentorum vitia (a) jam exposita in causis morborum præmissis (772. ad 779.), unde petenda tam hæc, quam eorum causa: vermes, calculi, et similia insolita huc possunt referri.

(a) Absoluta classe prima Symptomatum in *actione læssa* consistentium, de quibus Boerhaavius longo sermone prætatavit à §. 802. sequuntur ea quæ in Excretis, et Retentis, et quæ in qualitatibus corporis mutatis observantur. Licet enim in his Actiones etiam lædantur, et etiam Facultates, quibus respondent, spetialem exigunt considerationem.

Excreta, et Retenta possunt vitari vitio facultatum expellentium, et retinentium et hæc, vel per excesum potentia, vel per impotentiam, seu defectum. Hinc fluxus sanguinis activus, passivus, &c. Genericè loquendo, in his, quæ præternaturam è corpore excernuntur considerandi quantitas, qualitas, et excernendi modus.

Quomodo excretiones symptomaticæ differunt à criticis in Semejorica videndum. §. 936.

867 Qualitas corporis vitiata (a) dicitur, quæ dispositionem in sensus incurrentem lædit; consideratur vero hic quammaximè quoad colorem, odoremque.

868 Cutis, cuticulæ, tunicæ oculi adnatæ, tunicæ cornæ, labiorum, oris, linguæ, faucium, carunculæ oculi, color pallidus, flavus, viridis, lividus, ruber, ater, pendet à similibus corporibus per pellucida vascula translucetibus; et prout varia serie se mutuo exceperint, etiam

(a) Qualitates Corporis vitiatæ quoad colorem, et fætorem hic optime à Boerhaavio proponuntur. Aliæ etiam qualitates preternaturales considerandæ v. gr. sapor qui vel est amarus, acidus, vel salsus. Calor qui æqualis, inequalis, maximus, minimus, sive frigiditas etiam considerandæ. Siccitas, tensio, durities, molliities . . . in toto, vel in parte . . . animadvertendæ . . . Quid isthæc omnia designent? Hippocrates omnino consulendus. Lib. Prognost.

Utrum morbosa affectio etiam in homine ignem ciere electricum potest qui fulgurante ictu se se manifestet cum corpora aliena contactum minantur? Simptomatis inauditi suspicionem novissimum quidem exemplum movit, nec plura tamen deinceps confirmarunt. An huc referri quoque debent spontanea hominum incendia, et vel ad cinerem usque conflagrationes quæ in historia medica memorantur? Ita dubitanter proponit portenta ista D. Gaubius §. 660. Videatur Dejeani in istum locum commentatio.


varias causas agnoscunt ; ut in phlogosi, gangræna, sphacelo, &c. patet.

869 Ossium pallor, rubedo, flavedo, fuscus aut ater color, à contusione, inflammatione, abscessibus, medulla morbosa, ablatione periostei, carie, spina ventosa.

870 Fœtor autem oritur ab humoribus stagnantibus, effusis, corruptis, vel venenatis ; ut et ab omni causa, quæ olea et sales nimium attenuat, et volatilia reddit, ut est inedia, calor, motus nimius, acrimonia nimia assumti.

SEMIEIOTICÆ (a).

GENERALIA.

871 uum Morbus sit effectus à sua causa pendens, ens est singulare, ab omni alio distinctum, ideoque in sua propria singulari natura accurate cognoscendum, ut curari queat. Quod idem

(a) Hanc Artis medicæ partem præ reliquis excoluit Hippocrates, et non alia ipsi divini senis nomen meruit . . . Certe Medico nihil magis interest scitu, nam per hæc sola signa potest addiscere quis morbus sit, à qua causa, qua in parte, quos humores, et quomodo adficiat. Boerh. hic.

de Sanitate, ejusque statu vario sentien-
dum erit.

872 Natura autem præsens vel Sa-
nitatis, vel defectus ejus, Morbi, raro
per se apparet sensibus, hinc nec per
se tam conspicuè, ubi præsentis in cor-
pore sunt, possunt cognosci: quin imo
utriusque ratio sæpe latet.

873 Sed ex præsentia utriusque fiunt
quædam effecta pendentia à functionum
salubrium exercitatione, vel à læsione ea-
rumdem; hæc quidem distincta sunt ab
illis causis, sed tamen ita ab iis pendent,
ut earum indolem manifestent, et quum
sensuum acie observari possint, magnam
his indagandis lucem affundunt.

874 Præterea vero notitia applicatio-
nis causæ notæ ad corporis partem quam-
cunque prius cognitam in Physiologia
docet naturam effectus, qui inde seque-
tur; sive ille salutaris, sive perniciosus,
futurus sit. Nec multum refert, an causa
hæc corpori externa, interna, naturalis,
accidens, salutifera, morboſa, vel le-
thalis, fit.

875 Porro hæc memorata effecta
(873.), atque hæ dictæ causæ (874.),
quatenus sensibilia habentur ipsa, vel
inde quam proximè deducta, vocantur
Phænomena: hæc autem solent appella-
ri *Signa*, quando ex iis sensu notis, lege
justi ratiocinii demonstratur præsentia,

natura , status , eventus (a), tam Sanitatis, quam Morbi , et Mortis.

876 Quæ vocantur *Diagnostica* , vel *delotica* , quando denunciant præsentem conditionem corporis vivi , sani , ægri, morituri , moribundi ; si vero prænunciant ea , quæ in his futura sunt , tum *Prognostica* appellantur ; ubi tandem prægressa in cognitionem revocant , tum *Anamnesticæ* dicuntur Medicis.

877 In morbis autem designandis id Signum , quod proprium est morbo , et ab eo inseparabile , utpote ex natura ejus ortum , vocatur *Pathognomicum* (b).

878 Cujus proinde cognitio est necessaria quam maximè . utilissima , indagatu sæpe difficillima , semper tamen præsens morbo , quamdiu genium servat ; quin et frequenter constat aggregato (c)

(a) Quam justa hæc (phænomenon cognitio) esse oporteat ex eo cognoscitur , quod integra Regna à Medici effato aliquando pendeant. v. gr. à responso , num fœtus in utero materno vixerit. Borh. hic.

(b) Signum hoc est ilud quod uni morbo ita proprium est ut nulli alii conveniat : eo ergo cognito morbus cum nullo alio confundi potest. Utinam in omni morbo talia haberemus , ob rationes sequenti §. designatas. Difficultas indagandi ea superanda labore improbo , attentione summa , observatione constantissima , judicio acerrimo præconceptis opinionibus libero.

(c) Defectum signi pathognomici supplet aggreg-

plurium concurrentium signorum.

379 Illa autem Signa, quæ docent mutationem, variatasque conditiones morbi, nomine dicuntur *Epigenomena* (a).

gatum istud serio inquirendum et utilissimum:

Qui unici morbi, surditatis v. gr. omnes differentias, cum propriis signis describeret, ait hic Boerhaavius, plus utilitatis præstat generi humano, quam celebris per millionum cædes Alexander.

(a) Nomen Pleuritidis v. gr. complectitur tot morbos, quot status pleuritidis sunt, etsi permaneat nomen, et tribuatur omnibus. Ergo Pleuritis est 1. Morbus inflammatorius resolubilis. 2. Morbus inflammatorius tendens in supurationem. 3. Morbus inflammatorius suppurans. 4. Morbus inflammatorius, qui suppuravit. 5. Morbus qui inflammatorius fuit, deinde in vomicam mutatus, hac rupta empyema factus est. Omnes hi morbi à se invicem diversi, diversas curationes requirunt. Venæ sectio in statu resolubili optima; in suppuratorio pessima est: cum spatium præparet, quo possit pus in sanguinem recipi, eumque corrumpere. Boerh. hic.

Optima sane doctrina atque necessaria. Eam tantum in usum revocare possunt Medici docti, et in observandi arte exercitati. Agirtæ, pessima gens, ad omnia ista attendunt? minimè gentium ob suam imperitiam, et ignorantiam capitalem. Inde tot errores, tot cædes, tot crimina in miseros, et incautos egrotantes flagitiose crudeliter impie perpetrata in hac, vel in alia vita æternum supremo vindici solvenda!

Preter ista simphomata, exemplo Pleuritidis hic indicata, alia etiam sunt superven-

880 Quorum tanta est vis ad bene cognoscendum, et curandum, ut vix aliud sit, quod plus emolumenti in praxi afferat: unde etiam summa nocumenta oriuntur his neglectis.

881 Quum vero omnia illa sint effectus producti à causa morbi, morbo, et symptomatibus assiduo mutatis, notant ergo in morbis quolibet tempore conditionem præsentem ejus materiæ, quæ primo produxerat malum, vel et ejus, quæ à malo

nientia seu epigenomena, quæ morbis ob eorum vehementiam, aut malignitatem de novo aecedunt, et valde perniosa sunt. Sic Phrenitis peripneumonix, singultus hepaticidi . . . supervenientes, symptomata talia sunt, et quidem pessima. Stephanus Rodericus de Castro, libellum utilissimum conscripsit sub hoc titulo: *Quæ ex quibus exactè consulendum*. Carolus Ana Lorri libellum istum hispanum ornavit, et auxit, libello altero quem *De morborum mutationibus, et conversionibus* inscripsit, et vulgavit Parisiis Anno 1784 quorum lectionem, atque meditationem serio tironibus commendamus. Est enim ista symptomatum pathnomicon, et epigenomenon observatio fida, atque contemplatio profunda *via regia* qua ad artis culmen in ægrotantium comodum perveniendum. His sane gradibus ad Medicinæ fastigium ascendit Medicorum ille *Romulus* (ut cum Sydenhamo in Præfat. loquar) numquam satis laudatus HIPPOCRATES, nulla hipotesi adscita, et in partes per vim adacta; ut in ejus libris de morbis, de affectionibus, &c. videre est.

producta fuerat : quare et solent revo-
cari ad has tres classes, quæ sunt.

1. Cruditatis, coctionis.
2. Exitus in sanitatem, morbum, mortem.
3. Secretionis, et excretionis materiæ coctæ, quæ ideo vocantur *Decretoria*, vel *Critica*.

SIGNA GENERALIA

SANITATIS OPTIMÆ.

882 **II** hæc quidem peti debent ex actionibus corporis (695.) exercitatis facile, commodè, lætè, constantissimè.

883 Quarum quatuor conditionum tres priores facile cernuntur, quarta difficilior: etenim tantum cognoscitur maxima constantia per ea signa, quæ indicant futuram esse in eo corpore magnam longævitatem; et hinc eadem quoque prænunciant plerumque sanitatem firmam.

884 Signa autem illa longævitatatis omnia sunt effectus ejus indolis totius machinæ quoad solida et fluida unde inprimis pendet durabilitas ejus quoad totam compagem; hæc vero est reductio assumptorum in naturam similem illis, quæ jam constituunt machinam sanam.

885 Operosæ observationis beneficio
 Signa hæc possunt referri in Europa ad
 has classes.

1. A Generatione. Conceptus ex parentibus sanis ; vegetis ; plenæ ætatis ; rara , sed fervida , venere utentibus , matutino tempore post perfectam à somno coctionem , tempestate verna , imprimis et salubri.

2. A Gestatione in utero. Mater prægnans bene sana ; corpus satis exercens fortiter ; mentem tranquillam habens ; et unum modo foetum simul utero alens ex alimento salubri.

3. A Nativitate. Partus post novem integros menses omnino absolutos à primo conceptu , maximè si ille incidit in mensem Decembrem , Januarium , vel Februarium.

4. A Modo , quo corpus crescit. Lentum et maximè æquabile , incrementum molis et virium usque ad vigesimum quintum , et ultra , annum ætatis.

5. Ab Habitu corporis. Thorax latus , amplius ; abdomen gracile et compressum , humeri , brachia , femora , crura , firma , torosa , carnosæ , hirsuta , densis , setosisque pilis hirta ; cranium magnum , et capax , maxime ad occiput , non à parte faciei apparente , sed fallaci specie , magno capite ; cutis dura ; caro multa ; adeps parcior.

6. Ab Humoribus. Sanguis floridus quidem , at crassior , qui extravasatus concrevit cito , et satis validè , in molem tenacem ; reliqui humores , copiosi , tenaces , modicè calidi , minus oleosi , blandi.

7. Ab Actionibus. Respiratio lenta , magna , plena , facilis , æquabilis , cum minima apparente mutatione organorum pneumaticorum ; pulsus arteriarum lentus , magnus , plenus , æquabilis , fortis , constans , nec per causas leviores facilè mutabilis ; alvus tardior , et sine incommodo sicca ; urina parciore et cocta ; sudor rarus ; somnus profundus , æqualis , reficiens ; voracitas cum digestionè facili ; tolerantia laborum ; tarditas tam ingenii , quam motuum animi et corporis , constantia ad mutationes accidentes.

886 Quod vero corporis fabrica apta sit exercere suas actiones facilè , commodè , lætè , deprehenditur.

1. Ipso sensuum experimento.

2. Si signa adsunt modo exposita (885.)

3. Si partes solidæ deprehenduntur esse validæ , tenaces , elasticæ , quoad materiem ; si sunt præditæ ea mole , forma , superficie ; si sunt connexæ eo modo , situ , proportione ; unde motus tam proprii , quam communes , tam in solidis , quam in fluidis , facillimi , expeditissimi fiant.

4. Si ea sit natura humorum, quæ motus intestinos, circulatorios, secretorios, nutrientes, excretorios, efficit sine inæquabilitate, et absque effectis hujus. Et quidem signum evidentissimum quod docet hanc æquabilitatem adesse, est absentia pulsationum, tumorum, dolorum, calorum, immobilitatis, insensibilitatis, in variis partibus variorum.

5. Si ea est ratio unionis inter mentem et corpus, unde moderati quidem, non vero vehementissimi, fiant affectus (a) animi.

(a) Corpus quod animæ aptissimum hospitium est, plerumque facile ad affectus animi determinatur, iram, tristitiam, vel lætitiã. Beati sunt, quibus hæc mobilitas moderator contingit: si aliter fuerit, tunc affectus animi perinde consumunt, uti vestem tinea exedit, manifesto indicio adfectuum fontes in corpore hære. Non ergo mirum affectus animi signa sua in corporis fabrica exhibere, et habitu ipso ingenia distingui. Nisi forte malignitas corporis ab animæ robore superetur, ut **SOCRATES** corpus suum, ad omnia vitia ipsius testimonio formatum, sapientiã potentiori correxit. Boerh. hic.

Optimum Ethnici exemplum, influxum, imperium, superioritatem Animi in Corpus agnoscens, indeque immortalitatem illius confirmantis, asserentisque opinionem contrariam solis sceleratis arridere, ut vitiorum suorum impunitatem sibi insipienter persuadeant. O

6. Si color est roseus et candidus, vel lætè nigrescens; calor moderatus; ad sensum levitas.

7. Maxima vis resistendi omnibus morborum causis.

887. Sed maxima potentia superandi causam singularem hujus illiusve morbi, sive venenatam, sive contagiosam, non notat semper sanitatem perfectissimam; et contra: ut certè in morbis contagiosis, et in venenis, clarè patescit.

(a) Doctrina de Temperamentis dicitur.
- SANITATIS SINGULARIS SIGNA.

TEMPERAMENTA.

888. isceris cujusque optima conditio singularis cognoscitur, si actio ejus prompta, læta, constanter, in suis effectis deprehenditur; quæ quum in Physiologia quam uberrimè explicata habeantur, facillimè huc vera cum ratione referri poterunt.

889. Sed Sanitas est conditio hærens in tota compage simul totius corporis, constantis ex solidis et ex fluidis; hæc ergo unicuique homini privata sua est;

istorum ineptiam! O delirium! O Veterum! non refutatione, sed comisseratione, imo aptius irrisione dignum!

112 SANITATIS SINGULARIS
ideoque tantum ratione sui singularis
corporis talis est ; unde igitur diversa cor-
pora , quæ summoperè differunt tam in
solidis , quam in fluidis , tamen singula
sana esse poterunt ; hanc vocavere veteres
Idiosyncrasiam , vel Sanitatem Temperiei ;
quæ proinde difficulter ad singularia capita
determinari potest ; sed tamen proposita
Antiquis divisio in temperiem (a) calidam ,

(a) Doctrina de Temperamentis difficilima
æquè , ac utilissima est. Antiqui Medici di-
fusse atque prolixè nimis eam persecuti sunt.
Neoterici è contra breviter hac in re se gesserunt.
Ex mente Boerhaavii definiri potest tempera-
mentum : tota compages simul totius corporis
constantis ex solidis , et ex fluidis. Ista fluida
fere sola respexerunt Antiqui pro horum di-
ferentiis stabiliendis ; et licet horum vis , na-
tura , et proprietates negligendæ non sint , so-
lida hic præposita , sunt attentius consideranda,
et ideo Boerhaavius hic causas eorum à structura
solida petit , ita tamen , ut non precise hoc fiat,
quia sint tensa , rigida , mollia , elastica , &c.
sed quatenus certa proportione , ordine , viri-
busque donantur , et cum humoribus conve-
niunt , ita ut ex convenientia ista sanitas
emergat.

Alia etiam plurima rem istam illustrare de-
bent , quæ non nimis prolixè tradam , sed sum-
ma sequar fastigia rerum.

1. Sistematis nervosi ab encephalo ad singu-
los nervos progrediendo diversa quantitas , fir-
mitas , et sentiendi facultas.

frigidam , humidam , siccam , biliosam , sanguineam , phlegmaticam , atrabilia-

Hinc temperamentum *nervosum* dictum , de quo Jacobus Gregori (§. 932. Physiologiæ.) Otiosis , divitibus , luxuriei deditis . . . familiare.

2. Muscularum partium varii irritabilitatis gradus.

3. Singularis quædam facile observabilis in omnibus fibris , et membranis , vel mollities , vel durities , vel siccitas.

4. Principium aliquod electricum , aliaque fluida universalia , ut caloricum , luminicum . . .

5. Varia sanguinis respectu elementorum naturæ , mixtio , quantitas . . . satis variæ causæ sunt , quæ ab ipsa nativitate in primis partium staminibus , irrevocabilem ad hunc , vel illum modulum , seu temperamentum determinationem afferunt.

Temperamenta aliquantulum mutari possunt variis à causis v. gr. victu potuque : educatione , climate , cognitionis incremento , copia , inopia , hominum consortio , munere , ætate.

Ista ultima potior fortassis est causa hujusmodi mutationis , et quæ maxime consideranda. Quantum enim difert temperamentum senile ab infantili. Quæ distantia inter actiones morbosque ætatum harum , aliarumque.

Varia etiam sunt ratione partium temperamenta. Cor v. gr. Hepar , Lien . . . variis temperamenti donantur , et id perspicuum est.

Divisiones eorum in universale , particulare ; perfectum , seu temperatum , imperfectum , seu intemperatum : qualitativum , sustantificum . . . satis notæ sunt.

Diferentiis in textu præpositis addi etiam

riam, aliquem in Medicina usum habet.

890 Calidi temperamenti signa describuntur esse pili flavi, crassi, copiosi, toto corpore; color oculorum in alba parte rubescens, in carunculis lachrymalibus, facie, labiis, ore, valde ruber; corpus gracile, agile, robustum, calidum; pulsus major, crebrior; iracundia, sed brevi furore detonans. His videntur esse vasa robusta, contracta, viscera valida, humores valde moti, densi, et acres; quibus humectantia, diluentia, temperata prosunt; calefacientia quæcunque quam maximè nocent.

891 Temperamenti frigidi signa omnia contraria enarrantur esse glabrities, pili tenues: color pallescens; corpus crasius, tardius, debile, frigidum, facile tumens; pulsus minor, tardior; *Anæsthesia*, metus. His humores blandi, aquosi, pituitosi, tardi; solida laxa, flaccida. Prosunt roborantia, calefacientia; nocent frigida, humida, laxantia.

892 Siccum autem temperamentum spectatur fere signis calidi (890.), si simul adest macies; vasa hic contracta, humida pauca, et fere acriora. Nocent et juvant ut in calido. Humidum autem

possunt temperamentum hypochondriacum, Bocciticum, seu rusticum, mansuetum, et mite... licet hæc ad illa referri possunt.

facile convenit frigidus, si tumor accedit (891.), unde reliqua eadem.

893 Biliosa temperies cognosci describitur à pilis copiosis, nigris, crispis; duritie, macilentia, gracilitate carnis; colore fusco; venis magnis; pulsu magno, celeri; pertinacia; iracundia. His videtur major solidi quam humidi copia excedere; siccis conveniunt (892.), et calidis (890.) calida, sicca, his nocent; humectantia, refrigerantia, prosunt.

894 Sed Sanguineum temperamentum distinguitur pilis rarioribus, flavo-albis, fuscis; carne molli, copiosa; venis amplis cæruleis, sanguine distentis; colore roseo; iracundia; flexili mobilitate. Prosunt his evacuantia, et temperantia; nocent calefacientia, et stimulantia valida.

895 Phlegmaticum quoque depingitur glabritie cutis majore; pilis albis, tenuibus, tardè crescentibus; albedine, tumore, mollitie, pinguedine corporis; venis angustis, latentibus; his videntur vasa sanguinea angusta, lateralia vero latiora conveniunt frigidis (891.); unde et his humida, atque frigida maxime obsunt; juvat quidquid calefacit, roborat, siccatur.

896 Melancholicæ denique temperiei indicantia habentur glabrities; pili nigerrimi; macilentia ingens; siccitas magna; color ubique maximè niger, qui in

tali natione cernitur ; cunctatio ; constantia ; ira memor ; magna penetratio intelligentiæ. Quare his vasa videntur stricta , robusta , macria ; humores densi , tenaces , admodum permisti , nec facile separabiles , aut mutabiles. Nocent his quam maximè calida , sicca , acria ; juvantur autem omni humectante , refrigerante , laxante , emolliente , leniter, sine acri , dissolvente.

897 Porro maxima hinc utilitas (a) in perspiciendis morbis , qui ex quolibet temperamento oriundi , unicuique proprii prævideri queunt , unde hinc magna pars causarum *Prægumenarum* pendet.

SIGNA MORBORUM.

898 **S**igna futuri morbi petuntur
 1. ex animadversa mutatione insueta functionum qualiumcunque ; præcipuè quidem ex imminuta perspiratione Sanctorianana , lassitudine insolita , et corpore ad sensum graviore. 2. ex accurata cognitione temperamenti in unoquoque homine , atque simul ex singulari structura corporis uniuscujusque. 3. ex observa-

(a) Totum istud igitur de Temperamentis dignoscendis commentarium maximopere Tyronibus commendamus.

tione classium, quibus continentur causæ *procatarticæ* (744. ad 780). 4. ex scientia certa Epidemicorum (a), dato tempore regnantium.

899 Signa morbi præteriti habentur ex cognitis effectis, quæ relicta sunt post quamlibet læsionem partis cujuscunque solidæ, aut peccatum humorum sequentia, aut post Actiones læsas: qui enim usus partium perspectos in sanitate confert iis defectibus, qui relicti sunt, inde concipit morbi indolem.

900 Signa morbi præsentis spectant ejus causas, naturam, symptomata, statum, eventum.

901 Signa indicantia naturam Causæ morbi petenda sunt 1. ex observatione rerum earum, quæ corpori applicatæ, vel applicandæ, morbos constituunt, vel faciunt. vid. *Ethiologiam Pathologiæ*. 2. ex *idiosyncrasia* (vid. 888. ad 898.) 3. ex observata natura effectuum in sensus incurrentium.

902 Morbus solidæ partis cognoscitur 1. ex vi, qualitate, modo applicandi, duratione causæ, sive internæ, sive

(a) Utilissimum est observare morbum epidemicè regnantem: omnes enim alii morbi sporadici de natura prædominantis aliquid participant, quod ad horum curationem maximè confert.

externæ. 2. ex mutatione sensibili qualitatum, situs, nexusque, loci affecti. 3. à læsis functionibus. 4. ab excretis à loco affecto recta, vel obliquè, prodeuntibus.

903 Vulnerum, contusionum, corrosionum, ambustionum præsentia, si patet sensibus, eo ipso noscitur.

Horum autem conditio, et status scitur 1. ex conspectu. 2. ex natura partis læsæ, 3. ex symptomatibus.

Eorum eventus præsigitur 1. ex necessitate functionis læsæ ad vitam, vel sanitatem. 2. ex indole læsæ partis. 3. ex ipso modo læsionis. 4. ex temperie Ægri.

904 Præsentia sensibus patens ulcerum, fistularum, scirrhorum, cancri, carcinomatis, inflammationum, gangrænarum, sphaceli facillimè facit, ut noscantur per sua signa pathognomica, quæ in ipsa eorum definitione continentur.

Sed et status horum noscitur 1. inspectu, tactu, odoratu 2. cognita indole partis læsæ 3. observatione symptomatum.

Sed eventus præsigitur 1. à natura cognita mali. 2. à natura partis læsæ, ejusve influxu in vitam, sanitatemve. 3. à vicinia aliarum partium cognitarum. 4. à difficultate applicandi auxilii 5. à temperie.

905 Si autem mala hæc (903. 904.) intro abscondita sensibus latent, deteguntur tamen signis petitis 1. à natura causæ. 2. à functione quacunque simul

læsa. 3. ab excretis. 4. à loco affecto per Anatomem cognito, tam interno, quam externo. 5. á qualitate sensibili læsa.

Status autem et eventus eorum habentur, ubi primò cognita sunt, ex iisdem ac jam dictum (902. 904.)

906 Locus affectus in morbis, si externus est, vel internus, sed læsus à causa externa, habet plerumque signa ipsis sensibus externis patescentia, unde facile detegitur; sunt enim morbi plurimum hi: vulnus, contusio, inflammatio, œdema, ulcus, gangræna, sphacelus, luxatio, distorsio, fractura, caries, atrophia, scirrhus, cancer, carcinoma.

Etiam comparatio (a) functionis læsæ cum origine illius instrumenti, quo actio fiebat sana, sedem mali docet.

907 Locus (b) affectus internus à causa

(a) Hæc regula optima est sed valde neglecta. In paralyti manuum quærendum, an in musculis vitium inveniat. Si non adsit, et æger laboraverit epilepsia, vertigine, animi affectu tristi... vitium in cerebro, in nervorum origine esse, credendum.

(b) Galenus integrum librum de Locis patientibus scripsit diurna, nocturna que manu versandum. Vallesius noster Commentaria in eundem conscripsit intento animo consulenda. Hieronymus Ximenetius toto Libro II. Institut. Medic. analytica methodo ista loca affecta perscrutatus est. Joan. Bapt. Morgagnus de

interna difficilius patescens, detegitur tamen 1. à natura cognita causæ. 2. à functione læsa. 3. à natura morbi. 4. ab excretis inprimis. 5. ex symptomatibus bene cognitis comparatis cum scientia Anatomica partium. Etenim ex his quinque fontibus præcipue cognoscuntur morbi interni, et latentes cerebri, narium, faucium, thoracis, pleuræ, mediastini, pericardii, pulmonum, cordis, diaphragmatis, hepatis, splenis, ventriculi, pancreatis, mesenterii, intestinorum, renum, ureterum, vesicæ, urethræ, uteri, genitalium.

908 Signa morbi Acuti in humoribus nati habentur 1. ex velocitate, et violentia incrementi ipsius morbi. 2. ex vehementia symptomatum. 3. ex functionibus læsis. 4. ab excretis. 5. à constitutione epidemica. 6. ab tempestate anni. 7. à sexu, ætate, vita, temperie, ægri.

909 Si omnia hæc signa (908.) valida admodum sunt, denunciant periculum ingens; si leviora promittunt aliquid adhuc boni.

sedibus, et causis Morborum diffuse, ac sapienter pertractavit. Medicus his omnibus instructus haud difficile statimque agnoscet morbum, ejusque sedem. Hinc satis ab initio, de ipso aliquid poterit pronunciare, quo ægri confidentiam, atque obsequium adipiscetur, quod etiam ad curationem maxime confert.

910 Signa rursus morbi Acuti in fluidis, quæ definiunt, et præsagiant statum, periculum, durationem, eventum, intelliguntur ex observatis effectis pendentibus à vitiatis nostris humoribus (760. ad 766. 781. ad 792.)

911 Signa Acrimonix in humoribus sunt imprimis dolor sine signis motus aucti, et sine apparente obstructione majore; ut et erosio partium sine tumore simul præsentem.

912 Signa Acrimonix Alcalinæ (a) sunt foetor cadaver olens in toto aut in parte; sapor ut carnis, aut urinæ putre-

(a) Hic agit Boerhaavius de Acrimonia alcalina olcosa spontanea, sive acrimonia putrida, quæ cum acrimonia alcalina volatili confundi minime debet, ita Gaubio anotante §. 312. Ista inducitur usu vegetabilium acrium, aromatum . . . cujus proprium est irritare solida attenuare liquida, ut qua data porta fluant, sine putrefactione tamen, cum alcali volatile purum sit potius anti-septicum. Acrimonia vero illa, præter salem volatilem alcalinum, oleum acre foetidum permistum habet, à nostri corporis spontanea in hoc vitium proclivitate, victu animali, Aere putrido, ipso non renovato, fomite ulceroso, carioso, cancroso, calore ingenti, miasmatibus, contagio, suppressione excretorum . . . originem trahit, quæ acrimonia horrenda est, et producere potest ea, quæ hic, et alibi (§. 915. et Aph. 76. et seq.) aponuntur.

factæ ; erosio cineritia , plumbea , nigra , quoad colorem , eaque celerrimè proserpendo grassans ; sitis ingens , vix sedanda ; appetitus prostratus , atque ab omni cibo abhorrens ; fœces alvi solutæ , splendentés , cadaverosæ , fuscæ , nigræ ; urina acris , crassa , fusca , spumescens , fœtida instar putrefactæ , vix demittens fœces ; sudor vix ullus , aut similis lotio modo descripto ; cutis arida externa , ut et interna narium , oris , linguæ , faucium ; cruor tenuis , dissolutus , floridus , vix concrescens ; pustulæ rubellæ , ichorosæ , fuscæ , plumbeæ , nigræ , subito gangrænosæ ; bubones ; anthraces ; maculæ purpureæ ; inflammationes acutissimæ , celerrimæ ; sphaceli cum bullis elevatis ; juvamen ab Acidis.

913 Signa Acrimonix Acidæ sunt fœtor acidum spirans ; sapor similis ; color pallidus faciei , anguli oculorum , labiorum , oris , gingivæ , faucium ; erosio lenta , cum pallore ; sitis non magna ; appetitus sæpe ingens ; digestio celerrima ; validus appetitus rerum terrestrium , et absorbentium ; tormina alvi cum pallore , et frigore ; fœces alvi torminales , acidum spirantes , virides ; urina stranguriosa , crassa , alba , cum sedimento crasso , copioso ; sudor multus , et acidus ; cutis laxior ; sanguis crassus quandoque pallidior , aliquando nigrescens ; inflam-

mationes leviores, et lentiores; juvamen ab iis, quæ acido opposita.

914 Signa Acrimonix Muriaticæ, vel Ammoniacæ sunt sapor salsus; erosio lenta, pruriens, ruborem inducens; sitis assidua, ingens, vix sedanda; siccitas; rigiditas; urina salsa, tardè putrescens, cum sedimento spisso, et cum pellicula tenui pinguiuscula innatante; juvamen ab Aquosis.

915 Signa Acrimonix Oleosæ putrefactæ sunt foetor empyreumaticus; sapor amarus, rancidus, acer pinguis, ut ab oleo ambusto vel putrefacto, fauces exurens, nidorosus; erosio fervida, nigra; nausea, appetitus omnino et cum horrore deletus; sitis summa; fœces alvi pingues, foetidæ, dum redduntur fervidæ; urinæ flammeæ, foetidæ, spumosæ, paucæ, calidæ; cutis arida; oris siccitas, sordes, graveolentia; cruor ambustus; inflammationes acres, celeres, pertinaces; suppurationes similes; gangrænæ foetidissimæ; juvamen à frigidis, acidis, aquosis, saponaceis.

916 Signa Fluiditatis nimix sunt perspiratio Sanctoriana, sudor, urina, saliva, fœx alvi liquida, nimium aucta; corporis totius marcor, contractio, debilitas, sitis, mobilitas; juvamen ab Insessantibus.

917 Signa Tenacitatis auctæ nimis

sunt tumor ; dolor ; anxietas ; circulatio, secretio , excretio , impeditæ , lentor humorum circulantium , secretorum , excretorum ; si cum hisce signis frigus simul manifestum , tum designat pituitosum ; verum si calor ingens simul adest , tum spissum inflammatorium significatur.

* 917 Inde etiam signa prædominantis aquæ , salis , olei , terræ habentur nota.

918 Si vero una cum prædictis signis apparent simul signa Vitæ vel Circulationis validæ , tum designatur citissima , summaque destructio ; contraria autem oppositum demonstrant.

919 Quin etiam ex omnibus his bene perpensis intelliguntur signa Malignitatis (a) in Acutis : quum enim hæc significet

(a) Malignitatem voco unice Mortis periculum. Ita Boerh. se ipsum corrigens in Prælect. Morbi enim quos hic describit sunt morbi magni , gravissimi , fere ab Arte insuperabiles , non revera maligni , qui alio modo describendi. Debilitas virium in morborum principiis sine causa manifesta debilitante , v. gr. vomitu , expurgatione , sudore . . . vere maligni sunt , atque maligni primarii , qui raro accidunt. Malignitas vero superveniens , febribus putridis præsertim , debilitate maxima declarata , secundaria , seu accidentalis meretur dici. Causa illius ignota , solo effectu observanda , cadiacis , vinosis , acidis , peruviano cor-

celerrimam morbi mutationem in mortem, poterunt hæc colligi.

1. Ex causis validis, velocibus, corpori applicatis; ut sunt pestis, venena, ignis, putredo.

2. Ex cognita per observationes violenta natura prædominantis Epidemici.

3. Ex cognita temperie naturali, atque morbosa, ægri.

4. Ex resistentia pertinaci contra omnia genera remediorum, licet valida vi mutante præditorum.

5. Ex symptomatibus malis, quæ vitales Actiones præcipue (a) admodum læsas esse testantur; qualia sunt ex primariis:

Sitis inextinguibilis; siccitas, sordities, albedo, flavedo, fuscus color, nigredo, maximè cum crustis in ore, naribus, lingua, faucibus, palato; appetitus integrè deletus; nausea perpetua, ingens, abominabilis; vomitus assiduus; singultus; dolor, et anxietas valida circa stomachum; rejectio sincera per vomitum seri, bilis, putridi humoris; Alvi dejectio sincera, liquida, foetida, non levans, valde debilitans, fibras, carunculas, membranas secum ferens; Urina valde tenuis, ru-

tice, serpentaria . . . debellanda. Hujus causæ clarius patent, et minus difficile sanabuntur.

(a) Actiones naturales primum, et post vitales, animales læsæ etiam hic commemorantur.

bra, spumosa, parca, sæpe reddita; Sudor frigidus, viscosus, guttatus, circa caput et collum, non levans, foetens.

Pulsus celer, debilis, durus, inæqualis, intermittens; Respiratio citata, anhelosa, impedita, tussiculosa, dolens, sublimis.

Mentis alienatio; delirium, furor, insensilitas; Somnus nullus, turbatus, non levans, laborem faciens, aut perpetuus; Sanguinis excreatio; ejus Mictus; aut per Alvum exitus; stillæ sanguineæ paucae, atræ ex Naribus; tremores insoliti linguæ, labiorum, manuum; convulsiones validæ; anxietas; membrorum, capitisve assidua jactatio; decubitus supinus; propendens pedum á lecto quasi neglectim, ut et non percepta ægro nuditas horum; oculi sponte lachrymosi, tristes, vagi, fixi, sicci, pulverulenti; insciiis exeuntia excrementa; collectiones floccorum, atque palpationes sollicitæ, laboriosæ; maculæ purpureæ; crises nec integræ, nec levantes; mutationes in insolita quæque.

920 Morbi Acuti superabiles natura, vel arte, judicantur ex absentia horum signorum (919.); et contra.

COCTIO, CRISIS, PRÆSAGIA.

921 **C**ruditas, coctio, crisis, eventus (*a*) in salutem, alium morbum, vel in mortem, sunt objecta, et signa, Prognosios in morbis.

922 Materia morbi prædita ea mole, figura, cohæsiõne, mobilitate, inertia, ut faciat, vel augeat morbum, appellatur Cruda (*b*).

923 Ille autem status morbi, in quo hæc ita se habent, dicitur Cruditas morbi; quod obtinet æquè in morbis, ubi tota massa humorum infecta est, quam

(*a*) Agitur hic de Re ad praxim Medicam omnino necessaria. Antiqui amplissime super ea tractavere: Neoterici parum in ipsa detinentur. Boerh. in Compendium redigit hic ea omnia, quæ scitu necessaria sunt, et ea Tyronibus impense commendamus.

(*b*) Veteres nihil aliud per vocem *Cruditatis* intellexerunt nisi generalem hunc conceptum, quod faciat, vel augeat morbum, seu sit in fluidis, seu in solidis. Quando nimia strictura in solidis partibus oritur, hæc ipsa materies morbi erit, et tandiu dicetur status cruditatis, quandiu hæc strictura superest. Boerhaavius optime hic. Ita enim doctrina ista non solum ad morbos humorales, sed ad solidorum morbos extendi potest, immo debet.

in iis, ubi una modo pars tali materie obsessa habetur.

924 Quod idem de solidis (a), quatenus vitio humorum ægrotant, verum est.

925 Crudititas illa (922. 923. 924.) cognoscitur 1. ex vigore morbi durante, vel incremente 2. ex augmento assiduo symptomatum 3. ab exercitio functionum adhuc valde læso 4. omnium optimè ex recessu humorum circulantium, secretorum, excretorum, et excrementorum, à statu sano, quoad copiam, vel qualitates; unde in sudore, lachrymis, mucositate, saliva, sputo, redditis per vomitum, bile, fœce alvi, urina, ichore, pure, sanguine, menstruis, lochiis, lacte, abscessu, aphthis, &c. indicatur.

926 Si autem materia morbi prius cruda (922.), per actiones vitæ, aut propriam indolem, vel per medicamenta apta, sic mutata est quoad molem, figuram, cohæsiorem, mobilitatem, inertiam, ut minus recedat à statu salubri, minus lædat, adeoque impetum morbi imminuat, Cocta jam appellatur.

927 Status autem morbi ille, in quo hæc (926.) ita fiunt, appellatur Coctio, Maturatio, vel *Pepasmos*.

(a) In vulnere crudititas est, quandiu vulneris labra à fibris distrahantur; coctum, quando recessit omnis inflammatio.

928 Cognoscitur ille status morbi (927.), et materiæ (926.) 1. ex quiete morbi, ejusdemque decremento, viribus vitæ interim constantibus, vel et incrementibus. 2. à sedatione, imminutioneque, symptomatum, concomitante vitæ robore. 3. à restitutione functionum in integrum. 4. ex similitudine humorum circulantium, secretorum, excretorum, excrementorumque, cum naturalibus. Confer (919).

929 Causa mutans Cruda (922) in Cocta (926.) est actio Vitæ superstes; immutatio spontanea materiæ morbosæ, virus medicamentorum auxilians.

930 Materia morbi eousque cocta per causas suas, ut evaserit salubri simillima, appellabitur Resoluta; hæc actio dicetur Resolutio, quæ erit sanatio perfectissima, absque ulla evacuatione contingens; supponens materiem benignam, optimam naturam, bona medicamenta.

931 In morbis Acutis, qui in humoribus consistunt, disponitur ut plurimum certo tempore materies morbi ita, ut fiat subita mutatio morbi in Sanitatem, vel in Mortem, quæ permutatio Crisis (a)

(a) Hic definitur Crisis per mutationem Morbi *subitam* in salutem vel in mortem. Sed notandum quod licet permutatio ista non fit su-

appellatur ; atque ipsa materies ita disposita Critica dicitur.

932 Causa talis motus est vis Vitæ superstes irritata à materie morbi variis conditionibus prædita , ut evacuetur , ut transmigret , vel ut occidat.

933 Si ad evacuationem , vel mutationem loci , apta est materia , nondum tamen similis salubri , parit mutationem in motu humorum diversam ab ea conditione , qua in corporibus sanis fieri solet , vocatur Perturbatio Critica.

934 Illæ autem Permutationes , quæ à vi Vitæ incipiente movere , circumducere , miscere , separare materiem criticam , oriuntur , si fiunt sensibiles ; appellantur Symptomata Critica , suntque signa Crisis jam natæ , aut mox futuræ. Horum distinctio difficilis (a) , ignorantio damni , et periculi , plenissima (b).

bita . . . sed lenta , crisis etiam erit.

Acuti morbi fere semper humorum evacuationibus : chronici aliquando iisdem evacuationibus , sæpe tamen per transmutationem , seu abscesum finiuntur.

(a) Distinctio ista difficilis valde illi qui functiones corporis humani perspectas non habet neque ex signis judicare didicit , hoc est qui Physiologiam nec Semeiocraticam apprime callet , harum vero gnaro et valde in eisdem exercitato facilis eadem , et manifesta.

(b) Qui in morbo turbat , neque quid intus

935 Sæpius enim confunduntur cum symptomatibus à causa morbi, morbo, vel crudà materie morbi ortis; unde plerumque sequitur infaustissima medendi Methodus.

936 Signa vero, quibus internoscuntur symptomata Critica à Morbosis sunt primaria hæc: 1. symptomata illa oriuntur à vi Vitæ superante vim Morbi, hæc autem à vi Morbi prævalente ipsi facultati Vitali. 2. illa fiunt prægressà Coctione suis signis manifesta, et bona reperia, hæc in Cruditate comperta. 3. illa fiunt circa tempus proprium crisi, hæc omni morbi tempore, maximè in augmento. 4. Illa brevi levant, hæc cito nocent.

agatur novit is forte sanat, forte nocet, neque firmus incedit unquam. Quando labia in anabasi (augmento seu ascensu) febris acutæ tremunt fere semper prævidentur instantes diræ convulsiones. Quando vero post signa coctionis tremunt labia, sequetur post dimidiam horam salutaris vomitus. Hæc diversitas pendet à tempore, à prægressis signis &c. Medicus Hispanicus (ait hic Boerh.) elegantem libellum scripsit, cui titulum fecit consultationis medicæ. Ibi variarum sectarum medici advocati multum sudant in ægroto, dissentiunt, modo hoc, modo aliud commendant: tandem venit HIPPOCRATES, et unica voce omnia sedat. Quiescat æger inquit, cras erit hæmorrhagia narium, et sanabitur.

937 Primaria illa symptomata Critica, et signa, sunt hæc, quæ crisin evacuantem præcedunt: post coctionem, tempore critico, subito, sine nova manifesta morbi causa, oriens stupor, somnolentia, sopor, vigiliæ, delirium, anxietas, dyspnoea, nox molesta; rigor, dolor, rubor, titillatio, punctura, gravitas, densitas in parte; tenebræ, splendor, lux, lacrymæ spontanæ in oculis; nausea; æstus; sitis; retractio hypochondriorum, tremula agitatio labii inferioris.

938 Evacuationis Criticæ præsentis signa habentur, et producta sunt: si post animadversa prius (936. 937.), deinde conspicitur vomitus (a); salivatio; mucii

(a) Ista prænoscentia signis ea omnia præcedentibus.

Vomitum antecedunt tenebrosæ apparitiones oculis obversantes: capitis dolor acris, oris ventriculi morsus, rigor et frigus hypochondriorum: labri inferioris tremor, sputationes frequentes.

Alvi fluorem præcedunt frequentes ructus, flatus in ventre cum borborigmo, et inflatione: lumborum dolor.

Urinam præcedunt frequens micturitio die indice: ardor vel pruritus in extremo pudendi: gravitas in hypochondrio.

Hæmorrhagiam ex naribus præcedunt capitis, et cervicis dolor subinde ortus: tinnitus, vel sonitus aurium, oculorum hebetudo, et rubor

excretio, excreatio sputorum; alvi fluor; urina; hæmorrhagia ex naribus; utero, hæmorrhoidibus; sudor; abscessus; pustulæ; tumores; bubo; parotis; aphthæ; humorum ex loco in locum translatio.

eorundem ac totius faciei, pruritus nasi, tensio hypochondriorum sine dolore, sanguinis stillicidie die indice.

Crisim autem sudore obeundam his prænosces indicia (ita graphice, docte, et eloquenter pronunciantem Ximenecio Cæsaraugustano) si alvus præter modum avara, aut etiam cum urina simul fuerit suppressa: si rigor febriliter præsertim ardenti repentinus, insperatoque advenit: si æger in crescente accensione deliraverit: sique partes corporis extimæ calidiores, rubicundioresque extiterint, vaporemque, qualem nunquam ante calidum expirare videantur; si pulsus appareat non solum magnus, sed et undosus, ac impensè mollis. Ac per imbres quidem frequentes cum sudore venire febres magis videmus, sicuti per æstus squallidos fere sine eo. Ita iste Medicinæ Doctor Institut. Medic. Lib. 3. Cap. 16. Pag. 235.

Humorum ex loco in locum translatio quæ metastasis etiam dicitur, et abscessus bona erit quando ex nobiliori parte materia in minus nobilem deponitur, et vicissim. Aliquando eventus funesto in caput rapitur et delirium, convulsionem, aliave mala pessima producit, quæ apte prænoscentia pro Animæ, atque corporis salute procuranda.

Delirium igitur præcedunt, et minantur oblivio subita, somnus perturbatus, vel vigi-

939 Cognoscuntur hæc (938.) critica salubria, nec per artis sollicitudinem turbanda esse, si prægressa fuerint (936. 937.) jam dicta: coctio prægressa; morbi status; vis vitæ bona; excrementa similia naturalibus; convenientia morbo, parti affectæ, vitæ, victui, ætati, sexui, temperiei; tempus; locus; levamen post hæc tam quoad morbum, quam quoad symptomata; color, calor, robur, pulsus, respiratio, actiones omnes, statim restituta, vel incipientia multum restitui; tum constantia criticæ evacuationis usque ad finem morbi: si enim omnia hæc, vel pleraque, signa adsunt, tum perfecta (a)

lia pertinax, tinnitus aurium, dolor capitis vehemens, pulsatio hypochondriorum, urinæ tennes.

Convulsionem præcedunt metus et mæror insolitus, dolor capitis ingens et perseverans cum alvo suppressa: dolores cubitorum et cervicis graves et profundi: urina cum rigore suppressa, si antea sopor invaserit, urina in somnis præter consuetudinem ejecta.

Futura recidiva etiam exacte prænoscedenda ut præcaveatur aut saltem prædicetur.

(a) Regulariter sex proponuntur requisita ad crisin perfectam stabiliendam. 1. quod fit diebus indicibus indicata 2. quod die critico contingat. 3. quod sit manifesta aliqua humorum evauatione aut abscessu, ni morbus resolutione terminetur. 4. quod sit fida, ita ut nullæ morbi reliquæ post se supersint. 5.

erit separatio morborum à sano ; diciturque Crisis perfecta evacuans , vel separans.

940 Si autem illa signa (939.) absint , aut horum contraria eveniant , tum

quod sit segura , seu sine ullo ægrorum discrimine. 6. denique quod correspondeat morbo , et ægrotantis naturæ.

Circa primum requisitum notandum , quartum diem indicem esse septimi : undecimum decimi quarti , et decimum septimum vigesimi primi , et coctionis indicia in excretis potissimum spectanda esse.

Circa secundum , advertendum dies criticos esse septimum , decimum quartum , et vigesimum primum ; cæteri dies qui inter prædictos mediant intercalares nominantur. In crisi subita , et repentina solent non præcedere sed comitari eam signa coctionis , et remissionem symptomatum immediate sequi , si vero paulatim et successive crisis fiat videndum num istam comitentur *Conferentia* , seu utilitas et recreatio Naturæ accedens ob eam motionem in morbo excitatam , et etiam *Tolerantia* , seu virium constantia , et recreatio post motus in morbis excitatos.

Qui doctrinam istam salutarem , veram , sed observatu laboriosam atque difficilem ex toto spernunt , ad Paracelsi , atque Helmontii castra , atque tempora tamquam desidiosi hinc atque præcipites aliunde confugiunt. Hippocratem , Galenum , horumque scholas , Solanum , Forestum , Hoffmannum , Boerhaavium totamque hujus viri summi familiam splendidam , van Swietenum , Gaubium , Haenum . . . despiciunt atque flocci faciunt , facinore immani!

apparet hæc esse symptomata Morbi , non autem Vitæ triumphantis ; adeoque tunc mala sunt , atque curanda ut morbi ipsi ; si verò omnia hæc non adsint , sed tantum quædam , eaque nec perfecta , tum cognoscitur materiem male criticam vagam (a) huc , illuc ferendam , paritu-

(a) Hic innuitur humorum acrium , et biliosorum , seu alterius causæ morbificæ *Turgentia*. Emphatica vox sumpta hic ad significandum humores excrementitios , superfluos , effervescentes et præter naturales hinc inde in corpore agitari , et perturbari , ita ut Naturam vellicent , et ad excretionem impellant. De ista loquitur Hipp. aph. XXII. Lib. 1.

Quando in aliquam partem principem dirigitur humor iste viciatus , et irrequietus , revellendus à Medico sagaci et evaquandus est , tuncque dicitur adesse *Urgentiam* et dari periculum in mora , pro quo exequendo doctrina Hippocratica severe consulenda.

Maxime etiam investigandæ viæ versus quas affectat dirigi vitium istud , et si hæc sunt proportionatæ versus eas amandandi , et extrahendi humores isti , illudque dicitur *Vergentia*, de qua loquitur Hipp. Aph. XXI. Lib. 1.

Cavendum hac in re ne præpostera nostra sapientia , ut loquitur Gorterius in Aphorismum istum , retineatur morbi materia in corpore cum ægri damno. Videantur iis super sententiis , imo Oraculis Hippocraticis Vallesius , et Gorterius , qui instar omnium Coi Senis commentatorum haberi debent.

Turgentia etiam in sanguine potest verifi-

COCTIO, CRISIS, 137
ram varia phœnomena, quæ Crisis *Me-*
tastatica appellatur.

941 Unde axiomata in diagnosticis,
et in prognosticis, hæc recepta sunt, et
alia similia:

Evacuatio Critica post Coctionem sem-
per bona.

Eadem die Critico bona.

Est autem varia quoad tempus, et
quoad materiem, pro ratione ætatis, tem-
periei, sexus, regionis, tempestatis anni,
morbi, epidemicæ constitutionis.

Erit illa ante Coctionem mala.

Coctio autem ipsa semper bona.

Quo Coctio citior, eo melior; non
autem Crisis.

942 Prænotio designans eventum mor-
bi fundatur præcipuè in cognitis, et com-
paratis inter se causis, à quibus pendet
vita adhuc præsens, et superstes in ægro,
atque unde oritur morbus etiam in illo
præsens; etenim ex hisce sic exploratè
perspectis nascitur præsagium de exitu
morbi in vitam, sanitatem, alium mor-
bum, mortem (a); quin etiam ex iisdem
intelliguntur tempora, et permutationes,
quæ hic accidunt.

cari, et erit plethora illa apparens non in quan-
titate illius, sed in rarefactione consistens; quæ
etiam corpus stimulat, et evauationem exigit.

(a) Optimum est cognoscere modum quo

943 Virtus causæ , qua Vita adhuc durat , cognoscitur ex functione qualibet superstite , primario Vitali , Animali dein , atque etiam Naturali : quæ quidem solent enunciari binis his axiomatibus : quo functiones plures magis similes sunt iisdem functionibus in sanitate fieri consuetis , eo vis Vitæ major , et melior , eoque plus spei ad sanitatem perfectam recuperandam. Quo autem salubrior est in ægro functio illa , à qua plurimæ aliæ pendent , ut à sua causa , eo pariter res ægri magis in vado. Et contra concluditur ex contrariis.

944 Functio autem scitur similis esse illi , quæ in sanitate aderat , si effectus ab illa bona functione inseparabiles , sensibiles , et in physiologicis enarrati , deprehenduntur esse tales , ut ibi explicati sunt : inprimis vero inde discimus bonitatem ejus , si causa , materia , effectus morbi per ipsas functiones superstites convertuntur in sanitatem , adeoque præcipuè ex bona coctione materiæ morbosæ , et ex bona excretionem.

945 Coctio quidem optima censetur illa , qua cruditas citissimè , et perfectis-

morbi bene vel male terminantur. Quoad terminationem per mortem plurima reliquit nobis Hippocrates Libr. 1. de Morbis , qui exacte consulendus.

simè fit similis humori naturali. Unde axioma : quo Coctio melior , eo plus spei pro Vita et Sanitate habetur.

946 Atque scitur , humores redire in conditionem salubrem , atque etiam partes solidas restitui , si actiones quæcunque , tempore Cruditatis læsæ , restituuntur in integras ; sique excreta omnia induunt similitudinem cum salubribus. Unde axiomata : quo actiones magis mutantur in sanas , eo melior Coctio : rursumque , quo excrementa omnia similia naturalibus eo Coctio perfectior , et contra.

947 Tandem etiam cognoscitur robur causæ vitalis ex ætate , sexu , temperie , vita , natione (a) , familia ipsius Ægri.

(a) Quælibet Natio , seu Regio peculiari gaudet temperamento (§. 897. Prælect.) diversas in morbis experitur Crises (§. 491.) et Vitale robur proprium , atque diversum habet. Optandum sane aliquem Virum in Medicina doctum ex quam plurimis , quibus nitet , imo superbit Hispania nostra , describeret temperamentum generosum hujus felicissimæ Regionis , regularitatem crisis in omnibus morbis à sagacissimis observatoribus Solano præeunte adnotaret ; robur incolarum vitale describeret adeo magnum ut omnibus adversariis fortiter resistat et ab eis gnaviter deffendatur. Ego unice dicam temperiem cœli Hispanici totam vitalem , ac perennis salubritatis

948 Atque ex his omnibus (942. ad 948.) Medicus colligit vitale robur in Ægro, causæque illius magnitudinem.

949 Cognoscitur autem vis et magnitudo causæ morbum parientis 1. ex notis causis ejus magnis, malignis, pertinacibus. 2. ex genio noto morbi per cognitam constitutionem epidemicam. 3. ex copia, magnitudine, vehementia symptomatum. 4. ex cruditate. 5. ex mutatione magna qualitatum sensibilium, quoad figuram, molem, colorem, consistentiam. 6. ab excretis valde recedentibus à sanis.

950 Causis his (948. 949.) examusim cognitis, atque accuratè comparatis inter se, fit prædictio per hæc axiomata:

Si causa vitæ in Ægro longè efficacior quam causa morbi, tum Æger brevi, integrè sanabitur.

esse, ut non immerito Beatorum hic felices sedes, et Elysios campos Homerus, Nat. Comes, Nonius... statuerint. Æqualis in ipso Aeris tractus per omnem Regionem nulla paludum gravi nebula inficitur; et ab auris marinis omnem Provinciam perreptantibus eventilato terrestri spiritu præcipua omnibus sanitas reditur. Quoad Matritense solum apprime saluiferum atinet sit pro quam plurimis aliis Imperiale exemplum Caroli V. qui cum quartana feбри diu ante fuisset conflictatus sola Aeris clemencia Matritensis morbum istum molestissimum brevissimè fugavit. Sed hæc obiter.

Si causæ vitæ et morbi æquales efficacia, præ sagitur discrimen, duratio, alius morbus.

Si causa morbi longè efficacior causa vitæ, sequetur mors vel totius, vel partis.

951 Magnitudo periculi in morbis spectatur etiam excessu magno, quo causa morbi superat causam vitæ.

952 Duratio illius mensuratur ex tarditate, qua morbus tendit in *acmen*; ex debilitate vitæ; ex pertinacia, et tenacitate materiæ (a).

(a) Ad istam definiendam debilitas vel robur vitæ, tenacitas materiæ, seu lubricitas illius considerandæ; sed vehementia symptomatum præceps diebus indicibus, sive tarda id aptius declarabit. Primus dies est index tertii, quartus septimi, undecimus decimi quarti... ita adnotante Hipp. Naturæ humanæ interprete fidissimo.

Hæc non fallunt (ait hic Boerhaavius in prælectione) quandiu Naturæ morbum comitis, neque te immisces curationi.

His verbis innuuntur Naturæ virtus, et ordo (de quibus §. 736. n. 5.) et immotæ illæ atque inviolabiles Naturæ ipsius leges, et decreta, quorum cognitionem ambit Animus, ut loquitur Verulamius. (De Augustis Scientiarum. Lib. 1).

Sed ista omnia per æqua, vel per iniqua, per salutifera, vel per læthalia duratura, expectabit Medicus iners, patulus, et otiosus, Naturæ humanæ aberrationum turpiter oblitus et

953 Alius morbus futurus scitur exinde, quod vis morbi, et symptomata ejus, remittunt absque coctione, atque absque bona, sufficiente, critica evacuatione, idque in morbo cum materia.

954 Morbus autem ille succedens sæpe est pejor priore, et diuturnior, pro diversitate partis læsæ, quam novus ille morbus occupat, aut pro diversitate mutatæ jam materiæ morbosæ vel sola mora temporis.

955 Sed et potest cognosci locus, quem materies male cocta morbi occupabit, ex pruritu, titillatione, rubore, dolore, calore, tumore, stupore, pulsatione, agitatione, molestia perpetua par-

oscitanter confisus? Minime gentium. Apage desidiam istam capitalem. Otiositas ista Gedeoni Harveo ignavissimo homini relinquenda.

Boerhaavius ipse §. 926. ad mutationem materiæ crudæ exigit medicamenta apta. §. 929. pro coctione procuranda admitit virtutem medicamentorum auxiliantem. §. 1178. intendit remediis coctionem, et crisin in morbis acutis et chronicis excitandam, promovendam, gubernandam, absolvendam, quæ immediate proponit, ad quæ exequenda, et methodo administranda necessario requiritur Medicus doctus, attentus, perspicax, pernix, prudentissimus, uno verbo Medicus Hippocraticus. Utinam ego talis fuerim et sim, dummodo hoc munere fungar, et detinebor!
Vid. §. 736. num. 5.

tis alicujus in ægro, tum ex genio, et idea, vel ex epidemica conditione morbi.

956 Quin etiam si cernitur, quod ars, vel casus, in parte quadam corporis produxit ea, quæ modo dicta (955.), tum etiam prævidetur materiem morbi in eam partem colligendam esse.

957 Ex omnibus his (921. ad 957.) constat nobis, quod cognitio Coctionis, et Crisis maximè fit habenda, ut fiat debitum præsagium in morbis; sed et patet hanc fere tantum acquiri cognita functione Vitali, ut ejus præcipua causa; hæc autem maximè æstimatur Pulsu, et Respiratione; hinc ergo de his primo erit hic agendum: quum vero et Urina sit recrementum ex tota massa sanguinis, omnibusque partibus, vi vitæ egestum, et hæc postulat considerationem accuratam.

DE PULSU ARTERIÆ UT SIGNO.

958 **P**ulsus (a) arteriarum (217. 218. 219.) quum nuncient conditionem defi-

(a) Pulsus est: mensura virium, quas Cor impendit, cum sit earum virium proximus, et plenus effectus. Hall. Prim. Lin. Physiol. §. 166. Ut percipiantur ea quæ hic dicuntur

nitam cordis nostri , ut motoris primi; tum indolem , copiam , motum humoris nostri universalis , unde reliqui omnes; tum et statum varium arteriæ , vasis fere primarii omnium partium corporis ; patet in arte Signorum multum valere doctrinam de Pulsibus.

959 Pulsus igitur Fortis notat 1. vim validam cordis contracti muscularem; adeoque etiam valorem causæ contrahentis , id est. 2. validum , satisque copiosum influxum humoris nervosi , cerebellosi , in villos cordis. 3. copiam cruoris. 4. circuitum , et secretionem humorum optimè procedere. Est ergo talis pulsus boni præsagii , si toto corpore , in omnibus ejus partibus , talis. Fallit sæpe in morbis apoplecticis , et aliis quibusdam , ubi libero itinere à corde in cerebellum , ab hoc in cor , reliqua valde obstructa , imprimis in visceribus.

960 Debilis notat omnia contraria prioribus (959.) , sed aliquando fallit in iis , qui valde obesi.

in memoriam revocanda illa quæ à §. 212. ad 223. in Physiologia proponuntur.

Circa prædictiones ex pulsibus depromendas videndus omnino Franciscus Solano de Luque Hispaniæ nostræ decus , et ornamentum maximum , qui spartam hanc licet minus eruditus , observatione tamen exactissima , immane quantum exornavit.

961 Pulsus Magnus notat 1. copiam cruoris. 2. vim cordis. 3. arteriam liberam, et contractilem. 4. Circulationem, et secretionem bonam. Parvus designat contraria. Plenus (*a*) inde, et Vacuus, intelligi possunt, quatenus vere observantur.

962 Durus autem adeo famosus varia quidem significat, ut 1. membranam arteriæ sicciolem naturali; adeoque. 2. obstructions in vasculis minimis membranas arteriarum contextentibus; 3. arterias plenas; sed. 4. ad fines capillares inflammatoria tenacitate obstructas; 5. cruorem densum valde et compactum; hinc. 6. circulationes, secretiones, excretiones, læsas; 7. omnia, eaque sanè numerosissima, quæ ex omnibus his sequuntur. Mollis (*b*) autem significat omnia contraria, sed tamen in Peripneumonia acuta fallit maximè.

(*a*) Differentia inter pulsum magnum, et plenum est maximè notanda. In illo Arteria contrahitur in systole: in pleno contractio vix difert à dilatatione. Pulsus magnus sanissimus regulariter est; Plenus vero morbidus depletionem sanguinis semper exigens. Hoc in morbis inflammatoriis accidit, in quibus pulsus plenus est, ortus à sanguine denso, qui vix promoveri potest. Vid. §. 219.

(*b*) Mollities pulsus in Peripneumonia consistit in eo quod ob pulmonum obstructionem sanguis non transit, aut certe parcissime in

963 Pulsus Rarus intra datum tempus notat 1. tardiores contractiones cordis; adeoque. 2. tardiores influxus humoris cerebellosi per nervos in villos cordis; 3. circulum sanguinis sæpe expeditum, et æquabilem; 4. humorum per omnia vasa circuitum facilem. Si autem talis est ex debilitate, malus habetur et periculosus. Pulsus autem Frequentior designat contraria; ut et acria irritantia, spiritus agitato, febres, phrenitidem.

964 Pulsus æqualis roboris, et fre-

venas pulmonales, ventriculum sinistrum, Aortam ex qua radialis, quæ tangitur pro explorando pulsu ferè vacua est.

Mentio hic debet fieri in Tyronum gratiam pulsus undosi, de quo jam asseruit Ximenezius (Inst. Med. pag. 187.) quod si altitudo pulsibus undosis, vehementiaque accesserit, sudor criticus in febribus affuturus significatur; præsertim, si coctionis luculenta præcesserint inditia.

Etiam facienda mentio incidui pulsus, qui est pulsus inæqualis, in una, duabus, tribus, quatuorve successivis pulsationibus gradatim tam altitudine, quam vigore supra alias Diastoles insurgens. Pulsus iste inciduus ex observationibus Solanianis, si cum Arteriæ mollietie jungitur sudorem, majorem, si ad tres vel quatuor pulsationes insurgit, minorem si ad unam vel duas tantum; si vero cum ejus duarum consociatur icterum futurum manifestat.

quentiæ, vitæ constantiam declarans, bonus est: inæqualis ideo malus.

965 Intermittens, vitæ vim labilem designans, perniciosus (a).

(a) Pulsus iste intermittens hucusque adeo infamis fatalisque terrorem fere deposuit ingenio et industria sapientissimi viri Francisci Solano de Luque. Hic enim licet in illis quæ ad cruditionem medicam spectant minus versatus foret (ut modeste pronunciat van Swietenus in Aph. 587. Boerhaavii) observatione didicerat istum pulsum intermittentem multoties non funestum, sed criticum, seu evauationis criticæ diarrhœæ nempe nuntium, non sine magna omnium admiratione tanquam ex tripode pronuntiavit, et definivit.

Sapientia vera in Medicina observationibus rite factis unice fere adipiscenda. Absit me theoriam despicerem, et reprobare: imo absurdum judico Solanum istum virum in observandi arte Principem illustriorem fuisse factum si in exquisita theoria valuisset, et medica cruditione, qua plurimi Coetanei erant insignes, inter quos sapientissimus Martinezius, et Rodriguezius eminebant, et quos non agnovit Nihellus, ita enim Nationi toti Hispanæ injurius minime fuisset exemplo Solani, minus certe eruditi, quam observatoris, quod iudicium à regulis veræ logicæ criticæ maxime distat, abestque. Fatetur enim iste vir doctrinæ cras acerrimus aliunde propugnator, et prædictionum (Solanianarum autopta, sive ocularis testis cum ipsum audiendum Antequeram Medicus iste Anglus transmigrasset, ex datis circa pulsum intermittentem observationibus spe-

966 Fortis, magnus, æqualis, tardus-
que simul, omnium optimus. Fortis et
magnus; fortis et tardus; magnus et tar-
dus simul, boni sunt. Debilis, parvus,
durus, inæqualis, intermittens, frequens
simul, est pessimus omnium. Atque eo
quidem peior, quo plures tales notæ con-
currunt simul, et contra.

967 Myuri, serrati, caprizantes, di-
croti (a), hinc etiam facilè intelliguntur.

968 Ex doctrina Pulsuum itidem com-
prehendimus quid significet Calor, quip-
pe qui effectus pulsus: etenim notat vas
arctatum, humorem densum, propulsio-

ciale lucrum Medicinæ accedere . . . vanos ter-
rores desperationesque disipari, pudendos Me-
dicorum errores efficaciter tolli . . . et alia plu-
rima (cap. IV.) memorata, quæ Solanum extol-
lunt, dignumque efficiunt, quominus ipse,
totaque ejus Natio adeo ruditer ageretur.

(a) Qui in sistole repulsant. Hoc signum est
maximæ inflammationis, arteriæ plenissimæ, et
cordis valde sanguinem impellentis ex Boerh.
Hic pulsus Martelinus ab Avicena vocatur,
et malum esse definitur, sed apparuit in-
comparabilis Solano omnes istos terrores pani-
cos fugavit, et sagacitate sua, attentione acu-
rata, et observatione constantissima didicit,
publicique juris fecit, pulsum istum dicrotum
hucusque ambiguum, atque fatalem hæmorra-
giæ criticæ, et salutaris faustum regulariter
esse indicium, et argumentum.

nem humorum validam, resistentias magnas circa fines vasorum; unde et immixtus calor contraria significat: et æstus, et frigus, quoad diagnosin et prognosin, sciuntur.

969 Tamen oportet meminisse, quod natura arteriæ singularis, ætas, sexus, animi affectus, sex res nonnaturales, habitus corporis, temperies propria, regio, tempestas, mirificè hæc omnia mutare queant. Et quod multum intersit, quo ordine pulsus diversi se invicem excipiant.

970 Sed et accuratissimè est observandus Pulsus, quatenus est index materiæ morbosæ movendæ, motæ, excretionis paratæ, et jam incipientis secerni: nam ibi demonstrat egregiè tempus agendo aptum præter cætera (a).

(a) Hæc omnia perfecit Solanus qui mira per observationes pulsum præcipue, constantes, fidasque prædixit et patrayit. Tempus agendo vel quiescendo aptum per ipsum pulsum indicatur, et licet alia etiam attendenda sint præter, imò super cetera Pulsus consulendus.

Utinam Boerhaavius Solani lapidem lidium vidisset. Liber iste in lucem prodiit An. 1737. et sequenti anno è vivis excessit Boerhaavius. Defectum eruditionis Medicæ et polituræ literariæ excusasset vir iste politissimus, ac modestissimus in Solano observationi in totum dedito et obruto ornamenta illa non curante. Absdubio certè sagacitatem istam, et impensam curam minime interruptam miratus fuisset, et exosculatus.

DE RESPIRATIONE, UT SIGNO.

971 **R**espiratio facilis, non dolens, constans, in morbis designat organa omnia respirationi servientia ritè valere; pulmones facilè explicari; sanguinem commode transmitti; adeoque eum aptum esse fluere per vasa omnia corporis; hinc optimi est semper præ sagii. Difficilis omnia contraria designat; adeoque præ sagii semper est pessimi.

972 Quæ autem respiratio simul valde dolet, hæc ut plurimum notat aliquid inflammationis internæ; hinc pessimi semper auspicii.

973 Respiratio Magna semper notat pectus per se bene dilatabile, diaphragma mobile, explicabile abdomen, pulmonem, cruorem facilè meabilem, et vires bonas; adeoque bona quæque in morbis portendit.

974 Respiratio Parva significat contraria quæque priorum (973.); maximè autem designat pulmonem vel cruore, vel alia materie, non meabili, rigidum; fistulamve pulmonalem tumore quodam, aut aliqua materie sic obsessam, ut aër vix queat immitti; hinc est pessimi ominis.

975 Respiratio Lenta demonstrat pul-

monem esse æquabiliter liberum, explicabilem; sanguinem penetrabilem, et æquabiliter pulsum; hinc optimi vaticinii, si molestia abest, et desipientia.

976 Respiratio Celeris declarat organa respirationis læsa; pulmones obstructos, rigidos, siccos; cruorem ineptum transfluere; ideoque semper apportat aliquid metuendi.

977 Respiratio Æqualis prædicit bonum pulmonem; bona organa; bene coctum cruorem; hinc bona vaticinatur; inæqualis vero declarat causas vitæ proximas periclitari; adeoque semper mala est.

978 Respiratio Suffocativa, quæ creat ægro sensum suffocationis, eloquitur pulmonem inflammatum, obstructum, plenum, rigidum, siccum; cruorem autem immeabilem; hinc brevi lethalis est, nisi talis fuerit ex causa spasmodica leviore in hystericis, hypochondriacis, aut consueta planè, ut in asthmaticis (a).

979 Respiratio in suprema parte thoracis exercitata designans conditionem pessimam pulmonis impleti, adeoque et periculum vitæ, fere est letalis.

(a) Hystericæ . . . quomodo nunc mori videntur, subito solent liberari; debilitate enim summa nata, solvitur spasmus, qui respirationem suppresserat.

980 Sublimis, quæ fit cum claviculis elevatis, sterno agitato, motis scapulis, narium pinnis anhelosis, costis inferioribus, et abdomine simul validè agitata, mortifera est; nam significat difficilimum motum cruoris per pulmones, atque simul deficientes vires.

981 Facilis, magna, lenta, æqualis, reficiens, peracta solo leni motu musculorum intercostalium, diaphragmatis, et musculorum abdominalium, est quam maxime salutaris. Illa autem, quæ plurimas harum conditionum implet, bonitate optimam sequitur.

982 Difficilis, dolens, parva, celeris, anhelosa, inæqualis, suffocativa, sublimis, exercita omni molimine musculorum costis adnatorum, indubitato lethalis. Sed ea, quæ habet plurima horum vitiorum, eo est peior, quo plura eorum secum gerit.

983 Frigida lethalis; utpote fere semper nuncia gangrænæ viscerum, et vasorum interiorum.

984 Parva cum sibilo stertoroso, atque fervente quasi pulmone et gutture, cito lethalis, si reliqua signa mala adsunt: significat enim fere semper humorem vitalem immeabilem in pulmones congeri.

985 Magna, et celeris, sæpe salutaris; signum, et causa bonæ coctionis, et crisis.

986 Magna, et rara, denuntiat cerebrum obstructum, atque morbos inde factos, futurosve; ut sunt coma, lethargus, deliria, &c.

987 Interim bene considerandum est, respirationem mirè turbari, et variari in diversis hominibus, pro nativa constitutione; formatione varia thoracis, pulmonum, diaphragmatis, abdominis; diversitate ætatis; sexus; graviditatis; affectus animi; habitus corporis; regionis; tempestatis anni et coeli; atque similibus.

988 Varius quidem ordo, quo variant se mutuo excipientes mutationes respirationis, multum affundit lucis diagnosi, et prognosi: nam ex mala in bonam optima, et ex bona in malam pessima permutatio est.

989 Quæ autem tempore crisis insurgit optima.

990 Quia ergo una respiratio nobis designat conditionem præsentem cordis, pulmonum, cruoris, liquidi cerebellosi, pleuræ, thoracis, diaphragmatis, abdominis, patet observationem ejus accuratam esse summi momenti in omni, maximè in acuto morbo ad fidam prognosin, atque diagnosin firmandam.

DE URINA, UT SIGNO.

991 **E**x conspectu Urinæ , judicaturus de statu corporis sciat 1. Lotium sani hominis in eo ipso , et in aliis illi comparatis , varium esse pro varietate ætatis , sexus, temperiei ; tempestatis anni, sex rerum nonnaturalium (a) , medicamentorum. 2. hinc ergo in ferendo judicio de urina (b) simul accuratissimè at-

(a) Si æger asparagos cenaverit deinde noctu casiaë unciam cum rheo sumpserit , lotium reddet nigrum , et fætidissimum , et Medicus licet peritus , sed ignarus hujus dietæ , edicet urinam hominis esse brevi ex gangrena partium internarum morituri , qui altera die sanissimus Medicum deridebit. Curcuma adsunta lotium icteritium dabit , crocus urinam febris ardentis urinæ similem exhibebit . . . quæ probe notanda ad equivocationes , et fraudes evitandas. Notandum etiam asparagos odorem fœtidum: Terebintinam odorem violaceum urinæ conciliare.

(b) Urina est : liquor excrementicius ex sanguine in renibus secretus , diaphanus colore pallidus , odore speciali , et sapore salso , donatus (957) Analysis Chemica recens invenit in ea acidum fosforicum , multum phlegma , et salem fustibilem nativum , seu microscomicum , qui sal mixtio est omnium salium fosforicorum muriaticorum . . . principio extractivo coaduna-

tendendum ad reliqua signa in morbis apparentia : aut aliter artem hanc ubique fallaciæ esse plenissimam.

992 In urina examinanda ad usum medicum pro diagnosi, vel prognosi, consideratur copia, color, odor, sapor, fluiditas, et contenta illi inhærentia.

993 Copia urinæ aucta ultra solitum designat aliquid horum sequentium, vel quædam, aut omnia simul 1. abundantiam potus aquosi. 2. laxitatem singularem fistularum renalium. 3. perspirationem, sudorem, salivam, imminui. 4. diuretica assumta. 5. cruoris miscelam imperfectam, qua aquosa facile secedant à reliquis. 6. affectus nervosos, temperiem hystericam, vel morbum hypochondriacum.

994 Præsagit talis urina (993.) 1. crassitiam remanentis 2. acrimoniam ejus 3. sitim 4. anxietates 5. obstructions, harumque effectus 6. tabem ex diabete, quæ siticulosa, sicca, æstuans.

995 Urina parcior longè solito pro-

torum. Hæc Doctor Chaptal in sua Chemia, hispanicè versa, Tom. III. Pag. 214. seq.

Hæc reperiuntur in urina sanguinis, urina enim, quæ dicitur urina potus, mera fere est aqua insipida, inodora, insulsa.

Vid. Element. de Chymic. par le Docteur Fourcroy. Tom. IV. Pag. 367. et seq.

cedens significat 1. potus penuriam, vel nimiam in eo abundantiam spirituum fermentatione productorum. 2. vasa obstructa, vel spasma contracta. 3. augmentum aliarum quarumcunque excretionum. Si autem integrè intercipitur denotat ischuriam, ejusque causas varias (821).

996 Præsagit talis secretio urinæ (995.) futuras repletiones, gravitatem, torporem, soporem, tremorem convulsivum, mortem apoplecticam imprimis, si oritur ex causa secunda (995).

997 Urina Tenuis, quasi aqua, limpida, excolor, insipida, inodora, copiosa exeuns, denuntiat 1. copiam aquæ, vel potus aquosi ingestam. 2. vasa renalia admodum constricta, dum interim humores validè agitantur. 3. arctam cohæsionem olei, salis, et terræ, in ipsa urina, horum tenacitatem, simulque difficilem aquosi cum his permistionem. 4. affectus animi enormes, insultus hypochondriacos, aut hystericos, pallorem virginum, partum modo antegressum. 5. viscera coctioni imparia, cruditates, pituitam, frigus. 6. obstructions vasorum et viscerum. 7. in acutis vero morbis impedimenta, notat coctionis, et crisis, atque hinc materiæ morbosæ depulsum in partes interiores corporis.

998 Urina talis (997.) protendit eadem fere ac (994); in morbis autem acutis,

et inflammatoriis, prædicit pessimam conditionem viscerum, deliria, phrenitides, convulsiones, mortem, nata ex acri retento gangræna.

999 Urina Rubra, absque sedimento, in morbis acutis, docet 1. motum validum attritus inter partes humorem constituentes, inter vasa et humores. 2. intimam, et tenacem, permistionem olei, salis, terræ, aquæ, in humoribus. 3. hinc ergo cruditatem magnam morbi. 4. longam futuram durationem ejus. 5. et magnum in eo periculum.

1000 Urina autem hæc (999.) præ-sagit 1. destructiones gangrænosas vasculorum minimorum, maxime in cerebro et cerebello; atque inde mortem. 2. coctionem difficilem. 3. crisin tardam, eamque valde ambiguum. Patet autem omnia hæc (999. 1000.) eo pejora, quo magis rubra, simulque sine sedimento, urina.

1001 Hinc urina flammea, tenuis, sine ullo sedimento, notat quidem eadem, sed violentiora, unde et præ-sagium idem, sed longè adhuc periculosius.

1002 Rubra una cum sedimento copioso, gravi, lateri rubro contrito, aut bolo rubræ, simili, designat 1. antegressum esse motum attritus vehementem 2. vasa laxa. 3. cruorem acrem, salinum, solutum, nutritioni ineptum 4. febres intermittentes valido paroxysmo defunctas

5. in oris septentrionalibus his scorbutum.

1003 Præsagit 1. longitudinem morbi. 2. vasculorum attritionem, debilitationem, destructionem. 3. sudores, urinas, salivam, diarrhoeas colliquativas. 4. *Atrophiam*. 5. hydropes quoscunque.

1004 Si in tali Urina (1002.) sedimentum est furfuraceum, squammosumve, designat eadem quidem, sed pejora.

1005 Si autem urina est colore croceo, immissa tingente, aut vitrum sic colorante, simulque habet sedimenta ut in priori (1002. 1004.), designat icterum, atque certa ejus symptomata in cute, alvo, hypochondriis, toto corpore; unde et præsagia clara ex historia ejus morbi petenda.

1006 Viridis colore Urina una cum sedimento crasso significat 1. temperiem atrabiliariam. 2. ejusque materiem jam solutam excerni. 3. adeoque anxietates ad præcordia, perturbationes alvi, dolores iliacos et colicos.

1007 Præsagit talis urina materiem atrabiliariam solutam, motamque raptum iri in cruorem, et viscera; unde infinita, et acuta, sæpe mala, quæ ex historia atræ bilis sic dispositæ peti debent. Quin etiam ex his noscitur, quid sentiendum sit de urina nigra (a), utpote

(a) Ista in hypochondriacis minus funesta esse

ejusdem, at peioris, naturæ (788. 789.)

1008 Sanguis, pus, carunculæ, filamenta, pili, anguillulæ, grumi, arenulæ, partes calculi, mucus in fundo, designant vitia renum, ureterum, vesicæ, testium, vesicularum seminalium, prostatarum, glandularum Cowperi, urethræ.

1009 Quænam vero sit natura mali designati per dicta symptomata, ut et quis locus sit affectus, docere debent signa simul concurrentia, et observata in eo morbo, ubi dicta prodeunt.

1010 Pinguis apparens Urina plerumque gerit arenulas minimas viscido quodam nexas, et sic effingentes speciem membranulæ oleosæ; tum notat abundantiam terræ, et salis hebetioris in sanguine; præagit hinc scorbutum, calculos, et similia.

1011 Urina autem verè pinguis et oleosa, rarior ceræ, si observaretur unquam, notaret 1. vasa attrita per majorem motum, hinc soluta, cruori mista, et cum urina excreta pinguis. 2. humores

poterit, solet enim ita aparere post animi affectus violentos, et diurnos; si vero præter ista duritas aliqua in hypochondriis observatur signum est pessimum. Cassiæ usus tali colore nigro urinam inficere potis est.

acres. Et ideo minabitur phthisin, et atrophiam.

1012 Urina, quæ conquassata spumam (a) diu retinet, notat olea et sales in lixivium saponaceum mista, atque soluta, adeoque 1. tenacitatem miscelæ arctæ 2. coctiõnem difficilem, et crisin 3. morbos fere pulmonicos, aut catarrhosos in capite.

1013 Urina foetida sponte, notat sales et olea attenuata, soluta, fere putrefacta; hinc discrimen summum, tam in chronicis, quam in acutis, nec facilem sanationem.

1014 Urina in morbis colorata apprensens, sed planè insulsa (b), clamat effoetas naturæ vires, mortemque propinquam.

(a) Quando prius urina spumam retinet, uti aqua in qua sapo dissolutus est, tunc tenaciter adhuc olea, et salia sibi adhærent. Quando vero die septimo, urina concussa, bulla inde orta mox sponte disilit, certum est, ægrum in vado esse. Numquam vidi me fefellisse præsagium. Ait Boerh. hic.

(b) Vitæ vires ex omni adsumto cibo vel potu et ex ipso lactis sero parant salsam urinam. Quando nunc nullus sal in urina superest et aqua haud immutata per urinas transit signum est nullas vires vitæ superesse. Ex hac observatione Vates Amstelodamensis prædicebat eventum ad salutem, aut ad mortem proximam, clam eam observando.

1015 Pallida, tenuis, cum sedimento mucoso, tenaci, salsamenta putrida spirans, fere semper notat calculum vesicæ.

1016 In febribus autem acutis inprimis consulitur Urina, utpote satis certa prænuñcia: nam.

1. Urina quæ habet sedimentum album, leve, læve, æquale, cito subsidens, turbinatum, vix odorum, toto morbi tempore usque ad crisin, est optimi indicii, et præsagii.

2. Urina multa, alba, stranguriosa, cum sedimento copioso, alboque, critico tempore emissa, sanat, et abscessus tollit.

3. Urina die indice critici copiosior, cum sedimento albo, vel rubello, copioso, levante, notat die critico sanationem fore integra crisi.

4. Urina tenuis et ruffa non subsidens; alba, tenuis, aquosa; aurea tenuis, constans, non turbata; turbida perpetuo nec subsidens, notat in morbis valde acutis coctionem impeditam, cruditatem magnam, crisin difficilem, morbi longitudinem, summum vitæ periculum; sed in acutissimis inflammatoriis fere certam portendit mortem; denique in acutis moderatis designat longum, molestumque morbum; deinde abscessum fore varium; aut *metastasin* mali variam.

1017 Urina igitur declarat nobis verè
I. sanguinis indolem, impetum, symp-

tomata. 2. morbi statum , et coctionis. 3. statum secretionis , et crisis. 4. morbos renum , ureterum , vesicæ , testium quodammodo , vasorum deferentium , vesicularum seminalium , prostatarum , glandularum Cowperi , urethræ. 5. aliquas ægritudines in bile natas. Cætera , si sola ex sola urina conjiciuntur admodum incerta , et ridicula (a) fere , sunt.

Y G I E N E.

1018 **T**ria sunt munera Artis tuendæ Valetudinis sanæ ; nempe conservare Sanitatem præsentem ; Morbos in temperie (b) ut in semine latentes , et faciliè excitandos præcavere ; Vitam disponere ad longævitatem.

1019 Sanitas enim , quum sit aptitudo in corpore ad exercendas actiones , et quum hæc consistat in determinata mobilitate partium tam firmarum , quam

(a) Circa prædictiones ex urinis solis quam plurimi etiam deliraverunt sicuti circa easdem ex solo pulsu. Non ex uno , neque ex duobus , sed ex pluribus sumendum præsagium sicut eodem modo indicatio desumenda.

(b) Plethora , quæ nondum morbus est , sed ex debilissima causa potest in morbum abire debet jam re ipsa præcaveri.

fluidarum, necessario hæc ipsa, inquam, Sanitas, si semel ponitur perfecta, deteret ex sua natura partes firmas, consumeret fluidas, corrumpit utrasque, adeoque se ipsam destruit.

1020 Proinde Sanitas conservatur jugiter restituendo eandem copiam, et qualitatem partium omnium in corpore, quales ante descriptam destructionem (1019.) in corpore erant in firmis, fluidisque partibus.

1021 Restitutioni huic (1020.) materiem præbent cibus, potus, forte et aër (a): hanc præparant, et aptant gesta in corpore per actiones vitales, naturales, animales: præparatum (b) applicant locis requisitis, et reparandis, eadem ges-

(a) Procul dubio: nam chaos est omnium rerum, adeoque et nutritiarum particularum, sed volatilium et adtenuatarum.

Hodierna chemia invenit aerem esse pulmonis verum nutrimentum, viscus istud digerere aerem qui illi per inspirationem offertur; retinere ipsi utilem, atque rejicere infensum. Vid. elementa chemiæ Med. Doct. Chaptal, hispanicè versa Tom. 1. Pag. 108.

(b) Purissima alimenta, et lac ipsum excrementitiam partem continent, quam separari ut in alimentum transeant necesse est: quum lac purissimum infussum in vena vivum animal occidat.

ta : denique et per ea liberatur à superfluis , crudis , nocituris.

1022 Quamobrem patet , totam hanc artem Sanitatis tuendæ absolvi descriptione legum , quæ definiunt illum definitum usum classium recensitarum (744.) , vel (745.) , quo satisfiat illi scopo jam descripto (1020.).

1023 Tamen difficile est ita promulgare has leges , ut observatio earum omni homini æqualiter prosit.

1024 Cujus difficultatis causa in *Idiosyncrasia* (a) ut plurimum hæret ; ideoque operatur sæpe effectus oppositos in homi-

(a) Sanitas temperiei particularis dicitur à Boerh. §. 389. *Idiosyncrasia* quam consistere ait in Prælect. in certa solidorum et fluidorum proportione , quæ cuilibet homini propria est. Hic eadem repetit addens istam proportionem facere , ut actiones unius hominis sani differant ab actionibus alterius hominis pariter sani. Cullenius addit istas idiosyncrasias ut plurimum consistere in varia partium , et etiam totius corporis sensibilitate , et irritabilitate per effectus et observationes unice cognoscendis. Hæ idiosyncrasia , sive temperamenta particularia optime cognoscenda , valde enim curationem variare possunt. Amicitia Medici ejusque frequentia ad id maxime conducere poterit. Hinc illud Celsi : nullus melior Medicus , quam fidus Amicus.

Istæ variæ irritabilitates , et sensibilitates in olfactu , et gustu , qui ad ventriculum , et

nibus, qui tamen eandem normam vivendi sequuntur.

1025 Ita quidem, ut unicuique servetur sæpe sua, et integra Sanitas, licet utantur homines non tantum vario, sed et planè opposito usu sex rerum non-naturalium; quum contra, si vivendi rationem permutaverint vicissim inter se, mox utrique alieno more fruente ægrotent, qui suo morigeri bene valebant.

1026 Ipsa quoque consuetudo (a), quam non male alteram naturam, vel *Idiosyncrasiam* appellant, fert vix credenda; sive spectaveris effectus aëris, cibi, potus, motus, medicamenti, veneni, sive consideraveris reliqua.

1027 Quamobrem mutatio subita à

intestina extenditur potissimum sunt considerandæ, pro usu medicamentorum præsertim emeticorum, et purgantium.

(a) De Consuetudine nuperrime scripsit Henricus Cullen Dissertationem utilem, cujus compendium extat Tomo 1. Elem. Med. practic. hispan. Parentis hujus scriptoris, pag. 159. Sed preivit istum extraneum Med. Doctor nationalis Hieronymus Pardo, qui An. 1688. Valisoleti Tractatum de *Consuetudine* vulgavit doctrina, et eruditione referatissimum.

Vir iste cap. XX. pag. 164. hanc proponit quæstionem: Utrum ex usu veneni repetito et continuato consuetudo adquiratur ad illud facile et absque noxa aliqua assumendum?

consuetis in nova est ubique, et semper quam maximè periculosa; licet ex malis vulgo habitis in bona putata transiverit.

1028 Sed, sensim mutando, sæpe variare (a) vitam quotidianam, egregium est auxilium tuendæ Sanitati.

1029 Aër maximè gravis, adeoque simul, ut fere semper est, serenus et siccus, suo cuique loco saluberrimus habetur.

1030 Aëris effectus (b) varii; et ejus favens, vel nocens natura descripta habentur, ubi de causis Sanitatis (1060.) et Morborum (746. ad 754.) in aëre latentibus (c) actum est; unde proinde peti debent.

(a) Qui nimis æquabile vitæ genus sequuntur sanitate gaudent perfectiori verum iidem ne minimam mutationem absque morbo ferunt.

(b) Joan. Arbuthnot Med. Doc. egregium specimen scripsit de Effectibus Aeris in humano corpore. Istud opusculum latine vertit auctariisque illustravit P. Fortunatus de Felici quod impense commendo. Editum fuit Neapoli Anno 1753.

(c) Præter ea, quæ numeris hic citatis, præsertim §. 752. dicta sunt, alia restant dicenda, nova, eaque in praxi utilissima, et Medicis scitu admodum necessaria. Admista aeri, ultra ibi dicta proponuntur in Aphorismum. Boerh. 88. num. 2. et 3. et in Aph. ejusdem 605. num. 4. quo ista aptius pertinent, ibique videnda.

1031 Qualitates etiam aëris, excessu suo producentes morbos, emendari possunt oppositis inductis: frigidus enim, et humidus, poterit mutari in calidum, et siccum, ope ignis accensi (a), per ligna sicciora, et aromatica nutriti; halitu aromatum calidiorum sponte, vel igne, fragrantium; vento calido admissio, vel arte excitato; si vero calore, et siccitate aër peccat, emendatur exhalatione dispersæ frigidaë; vento artificiali; vel expiratione halituum aquosorum ex plantis frigidis aquæ immixtis, ut sunt.

Salix.	Sambucus.
Populus.	Opulus.
Rosa.	Morus. &c.

1032 Aër igitur serenus, gravis, temperatè calidus et siccus, à mediterraneis puris, et à fluminibus spirans, leni agitato vento, subitarum et magnarum mutationum expers, apricus et ruralis, ab exhalationibus salinis, oleosisque defœcatus, optimus (b) est in genere Sanitati tuendæ.

(a) Hoc intelligendum in Aere libero. Ignis accensus oxygenio nutritur. Consumitur ergo istud, quod Aer vitalis est, et per combustionem in gas acidum carbonicum vitæ infensum commutatur.

(b) Aer atmosphericus duabus constat partibus essentialibus Gas Oxygenio nempe, seu aère

1033. Cibus autem censetur optimus ille, qui simplicissimus, parum fœculentus, acrimonia omni carens, haud præditus magna mobilitate suarum partium, sano nostro corpori simillimus, aut illi facillimè assimilandus per vires nostras coctrices, tum in acquisitionem prædictarum dotium arte culinaria præparatus est.

1034. Qualis habetur omnis quidem, qui diligitur 1. ex seminibus frumentaceis, farinosis, bene maturis, puris, moderatè siccatis, satis recentibus

Tritici. Fagopyri.

Zeæ. Mays.

Secalis. Milii.

Hordei. Panici.

Avenæ. Phalaridis.

Oryzæ.

Atque tritu, subactu, fermentatione, coctione præparatur ita, ut sapore, et odore, gratissimo, se commendet nomine Panis. 2. ex leguminosis tam corticibus tenerioribus, quam seminibus adhuc viridibus, aut maturis.

vitali, et Gas Azotico, sive Aere lætifero. Prima pars, nempe oxigenium, est sexta; secunda vero nempe Azoticum, quintas partes ejusdem constituit. Aliqua pars aquæ, et gas acidi carbonici eundem super componunt. Consulenda hic chemia recens, hic præsertim utilissima.

Fabarum. Lentium.

Phaseolorum. Cicerum.

Pisorum. Viciarum.

Dum maceratione, coctione, tritu, sæpe levissima tostione præmissa, parantur. 3. ex oleribus recentibus, viridibus, aut colligando folia crescentia leniter ut-
cunque suffocatis

Lactuæ. Hipposelini.

Intybi. Brassicæ.

Cichorei. Malvæ.

Portulacæ. Betæ.

Apii.

Maximè, si levi coctione in proprio succo moriuntur. 4. Ex fructibus tam solidioribus, quales cinaræ, nuces, amygdalæ, aut bulbis raporum, vel radicibus

Dauci. Raphani.

Pastinacæ. Betæ.

Et similibus; quam mollioribus, ut sunt poma arborea, vel plantarum scandentium annuarum

Pyra. Pruna.

Baccæ. Cerasa.

5. Ex succo, et corpore animalis sani, junioris, non nimis pinguis; sive fuerit quadrupes, avis, piscis, sive et insectum, vel crustaceum; si elixatione, assatione, frixatione, suffocatione præparantur, quo et lac et ova referuntur.

1035 Alimenta dura, sicca, crassa,

ponderosa, fœculenta, prosunt his, quibus sunt valida viscera, celeris digestio, motus muscularis ingens, humores moti valde in sanitate. Mollia, humida, tenuia, levia, defœcata, his obsunt, vel perpetuam fere mensam imperant.

1036 Illis vero, quibus viscera debilia, difficilis digestio, vita quieta, sedentaria, otiosa, prosunt cibi arte, vel natura simillimi chylo diluto.

1037 In temperie alcalescente conducunt acescentia (1034. 1. 2. 3. 4.); in acescente prosunt alcalescentia (1034. 5.).

1038 Ex quibus paucis tota ratio delectus, copię, præparationis alimentorum peti potest; si modo prius cognoveris usuri viscera, humores, temperiem, ætatem, sexum, vitæ genus, studia.

1039 Copia cibi optima cuique, quam sequitur sensus refectionis, non torporis. Tutior sobrietas, sed debilibus: excessus (a) melior, sed robustis.

1040 Condimenta autem ex acidis, sale, aromatibusve petita, nocent sanis acrimonia sua noxia, vascula tenuissima lædunt, et falso appetitu per stimulum

(a) Qui ad longævitatē perveniunt raro leguntur jure carniū, aut similibus vixisse, sed lardo aliisque durioribus cibis...

Ego aliquas mortes naturales senii metas vidi, in robustis, et helluonibus cas observavi.

excitato corpus gravant plus, quam nutriunt.

1041 Quin et ex iisdem regulis intelligitur bonitas potus (1035. ad 1041.); si enim ille requiritur tantum ad emendandam sitim, siccitatem, crassitiem humorum, vel eorum acrimoniam, tum aqua (a) frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa, cursu exercitata per flumina pura, est potus optimus homini robusto.

1042 Si vero potus requiritur simul eo scopo, ut calefaciat, in motus stimulet, et attenuet, tum prosunt cerevisiæ coctæ, fermentatæ, ad defœcationem usque tantum asservatæ, ut et vina limpida, fragrantia, grata. Sed et illorum delectus, copia, usus, determinatur per conditiones assumpturi.

1043 Cibi minimè pingues, et potus

(a) Liber Hippocratis de Aeribus, Aquis, et Locis iterum, hic præsertim commendandus. Post tanta à moderna chemia, super *Aqua* inventa Medicinæ Doctor recensque, præstansque Chemicus Chaptal ista his nostris diebus pronuntiavit. HIPPOCRATES observatione, et Genio, tot, tantaque his super declaravit, ut idæa, quæ circa hunc virum maximum efficitur admodum imperfecta est, si tantum ad Medicinæ Patriarchatum extendatur. Emphaticus sermo, sed verus, et exactissimus. *Elemens de Chim.* Tom. 1. Pag. 247.

aquæ, firmissima reddunt et fortissima corpora.

— 1044 Corporis Motus (a) ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad sensum incipientis lassitudinis, post initia coctionis, cum sensu levitatis, optimus est. Unde et Quietis regula pendet.

— 1045 Somni tempus (b), quando corpus sanum torpet. Optima ejus mensura agilitas corpori, dum evigilat, nata.

— 1046 Omnia medicamenta, vel evacuantia, vel acria, cujuscunque tituli, vitanda omnino sunt.

— 1047 Sed purgationes cutis externæ per frictiones, loturas, balnea, fomenta, natationes, detersiones, egregie prosunt.

— 1048 Animi autem affectus non sunt omnino suppressendi; sed neque exci-

(a) Literati homines sedentariam vitam regulariter agentes nunquam deberent ad mensam se componere, quin per horam antea corpus exercuissent. Optimum re vera consilium.

(b) Quæritur an admitti debent somnus à cibo vel post prandium? Ipsa Natura monet, nam somnolentiam post cibum in omnibus animalibus facit. Qui tunc legere volunt nictitant, obdormiscunt, neque quidquam boni faciunt. Præstat dimidiam horæ partem in sedili præsertim somno dare, tunc redita alacritate ad labores redire.

tandi nimis : torpor enim oritur , vel circulationis perversio. Spes , et desideria , corpori saluberrima deprehensa sunt.

PROPHYLAXIS.

1049 **P**ræcaventur morbi , dum , simulac adfuturorum signa deprehenduntur prima , statim occurritur eorum causis.

1050 Primaria vero remedia prophylactica morborum brevi oriturorum sunt profecto hæc ; abstinentia , quies , potus aquæ calidæ , deinde blandus et aliquamdiu continuatus motus usque ad initia lenis sudoris , tum postea somnus largior corpore bene tecto : his enim crassa diluuntur , laxantur vasa , excernuntur noxia.

1051 Neque est aliud , quod plus defendit corpora contra vim causarum externarum , quam siquis verno tempore tardè minuatur vestimenta hyberna , rursumque cito augeat æstivas vestes (a) autumnali tempore.

(a) Sydenhamus observat inter centum homines qui morbis autumnalibus (pleuritide , peripneumonia , catarrhis) corripuntur , paucissimos esse , qui morbum non debeant vestium mutationi , iisque nimis frigidis ; nunquam justo calidioribus. Verè Horatius.

1052 Eodem etiam facit quam plurimum moderamen diætæ simplicibus descriptum et paucis regulis his : ætate conducit victus levis , mollis , laxans , humidus , lenis , ex oleribus , fructibus , lacte , jusculis ; cum potu copioso aquoso , vel admodum diluto (a) , et cum motu corporis leniore , vitato omni violentiore.

Hyeme prodest victus gravis , durus , siccus , aromate vel sale acrior , carossa , panis plus coctus ; cum potu parciore vini meraci ; et cum motu corporis validiore plus exercitato.

Vere , et Autumno victus moderandus media quasi inter æstivum et hybernum temperie ; considerando simul , in quodnam horum temporum plus , minusve inclinaverit.

DIÆTA AD LONGÆVITATEM.

1053 **C**orpus bene sanum per actiones à vita sana inseparabiles sensim ita mutatur , ut fibræ minimæ rigidissimæ fiant , vascula autem tenuissima con-

Matutina parum cautos , nunc frigida mordent.

(b) Hieronimus Pardo Medicus Hispanus librum edidit legi dignum , cui titulum fecit : *Tratado sobre el Vino aguado...* Matriti An. 1661.

crescant in fibras concretas, et humoribus non pervias, vasa majora durescant, arcenturque, omnia autem simul contrahantur, compingantur, concrecant sibi invicem, unde siccitas, immobilitas, imminutio senilis. Hinc vasculorum minimorum munera destruuntur, humores in iis stagnant, lentescunt, coalescunt inter se, et cum canalibus propriis, adeoque subtilissimi deficiunt, coctio debilitatur, reparatio deficit, crassiores per sola majora vasa lenti decurrunt, et vitam solam absque animalibus actionibus sustentant, unde tandem mors senilis per has mutationes accidit inevitabilis, et ex ipsa Sanitate sequens.

1054 Quæ igitur citior accidet, si actiones vitæ sanæ violentiores fuerint; tardior, si moderatiores. Atque in moderamine justæ hic mediocritatis videtur promitti longævitæ possibilis arti, maxime si hygieine et prophylaxis conspirant ita in suos effectus, ut non turbent hunc scopum; cuncta fere huc redeunt, si collecta erunt.

1055 Debent corpori conciliari omnes illæ conditiones, quæ explicatæ sunt (885.), quantum ulla arte id obtineri poterit. Actiones corporis ita instituendæ, ut reparatio perditæ, assimilatio assumpti, incrementi requisiti terminus, fœcis expulsio, blandè, lentè, assiduo, fiant; un-

de labor moderatus, assiduus, ad initia levissimæ lassitudinis prodest; in pueritia levior, sensim increscens cum aucto robore corporis, rursumque cum senio diminuendus semper. Vita interim varia omni fere ratione; præprimis in Agricultura (a).

1056 Animæ operationes eligendæ illæ, quæ singulari genio (b) uniuscujusque maxime sponte placent, hæ autem ipsæ ita dirigendæ, ut, moderatione servata, spiritus nec torpeant quiete, nec dissipentur, aut rodant, per nimios motus. In pueri-

(a) Omnium autem rerum (ait Cicero Lib. 1. de Officiis) ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

Inter quæ, præcipua sunt sanitas, firmitudo corporis atque longævitas et ista accidunt præsertim illis qui eam pro lubitu exercent. Odor terræ recentis, et puræ spiritus optime compescit, reffocillat, sive aratrum sequendo, sive fodiendo, sive herbas inutiles vellendo...

Virgilius aptissime cecinit:

O fortunatos nimium sua si bona norint

Agricolas! ...Georg. L. II. v. 458. ad finem.

(b) Maximum hic negotium adumbratur. Pro eo expediendo Medicinæ Doctor sapientiss. hispanus librum composuit cui titulum fecit: *Examen de ingenios*, auro contra æstimandum. Ista electio non tantum sanitati congruit, sed et scientiarum splendori atque augmento maximo. Utinam huic rei amplius incumbere Pedagogi.

tia (a) animi contentio acrior prohibenda, sensim plus exercenda, in senio sensim magis magisque moderanda. Occupationes sæpe variatæ (b).

1057 Cibi simplices, sicci, duri, tenaces, difficiliter putrefaciendi, non acres; ex Vegetantibus panis, radices, fructus austeriusculi; ex Animalibus carnes macilentiores salitæ, aut pisces sic præparati, maximè annosiores, se probaverunt. In pueritia lac, sensim panis, dein reli-

(a) Hac in re peccare nimium solent parentes stupidi, et gloriolæ filialis inhiatores impensi. Si isti homines Medico docto hac in re objurgatori non obediant filios alioquin sapientes futuros præcoci fructu inertes, ac insensatos faciunt.

(b) Idem objectum frangit animum: varietas recreat. Ergo ab exquisitissimis contemplationibus medicis oportet ad poesces delicias transire, et alias ad historiæ flores descendere. Post aliquot horas studii profundi, lectio aliqua grata interponenda ex Homero, Virgilio, Fracastoreo: vel summite (ait hic Hænius discipulis suis) summite librum aliquem pium, moralem . . . et legite. Optimum sane et christiana pietate innixum documentum quod ego impense vobis tyronibus etiam commendo, Mussices etiam instrumento recreari poterit animus profundis meditationibus lasus, et fatigatus . . . eritis ita ad studia proseguenda aptiores sine detrimento sanitatis nec ingenii.

qua danda eo firmiora , quo plus crevit robusta ætas , in senio sensim redeundum ad victum pueritiæ.

1058 Potus aquæ bonæ , frigidæ , parvus , soli siti , dilutioni , temperiei inseruiens , maximis laudatur effectuum exemplis ; cerevisia , et vinum , matura , pura , blanda , admittuntur moderato usu , nimia valde nocent. In pueritia lac , sensim dilutius , deinde aqua in robore ætatis , in senectute vinum molle , edentulum.

1059 Interim abstinentia summa , diætæ accuratissimæ , exsiccantes , emaciantes , rarissimè interpositæ , mirifici usus.

* 1059 Increscente senio introductio nutrimenti per apposita externa , haliu , fotu , balneo , clysmate , unguento fiet.

1060 Aër purus , campestris , montanus , ut et umbrosus in sylvis , tum quoque insulanus , frigidior , laudatur hic præ cæteris.

1061 Excretio crassi circa senectutem tutissimis iuvanda , iis nempe , quæ magis excitent fibras , et solvant fœces ; ubi crocus , sal , gummi aromatica præcipua sunt cum melle , et molliori vino.

1062 Mutationes fere radicales humorum per resolventia , horum dein excretiones succedentes , ut sunt receptæ cu-

rationes per virtutem argenti vivi (a), aut per decocta attenuantia, exsiccantia, sudorifera sæpe disponunt corpus quam optimè ad expulsum veterascentis, et instaurationem novæ vitalis materiæ, unde prudens Ars per has ad vitam longam ducit.

1063 Vapores, fœtus, inunctiones, balnea, clysmata ex odoratis suavibus, lenibus, lacte, jure carniùm, oleo, animalibus vivis (b), ariditatis senilis egregia remedia, mortis remoræ, vitæ longæ auxilia in juventute nocent.

1064 Sed tamen ex dictis (1053) ad 1064) constat illa, quæ corpus vastum,

(a) Melancholicus homo ex metu alicujus vestigii peccatorum juventutis expertus est semel iterumque vim mercurii, et sanata lue imaginaria sanissimus ad octogessimum annum ætatis supervixit cum ex minime longæva familia natus esset. Hac enim operatione funduntur omnes humores, et profligatur quod maligni inest, exeuntque de corpore adjuvante bona diæta. Hæc Boerh.

(b) Animalia viva sana suis particulis exhalantibus maxime volatilibus non solum senile corpus reficere possunt ei applicata somnæ tempore præsertim quo corpus laxissimum promptius imbibit, sed mala quam plurima suo fœtu lenire valent. Vidit Sydenhamus sanari horrendos dolores iliacos solis canibus vivis junioribus super nudum ægri abdomen impositis.

durum , constans , ætatis patiens red-
dunt , et morbos validos arcent , plerum-
que vividissimæ mentis aciem per rudio-
ra organa hebetare , impedire. Nec ideo
auxilia perfectissimam sanitatem generan-
tia causæ sunt , vel auxilia procurandæ
longævitati.

1065 Vanissimæ autem jactantiæ (a),

(a) Hic enarrantur insomnia vanissima va-
nissimorum hominum arcanis suis Vitam ni-
mis producere nitentium. Hi omnes in Anti-
cyram , ubi helleborus antimaniacus colitur , re-
legandi. Videndum tamen , quid per hæc mys-
teria intelligebant.

Per *Ens primum* significare volunt extrac-
tum , materiam primam , spiritum Rectorem . .
Originem , vel scaturiginem , quæ poten-
tiam habet corpus regendi. Hoc ens ex mine-
ralibus vegetalibus , et animalibus extrahere
satagerunt. Inter vegetabilia elegit Helmon-
tius Laricem , annosissimam arborem , quam
Cedrum Libani appellavit. Ex ista arbore vas-
tissima ens primum eduxisse credidit Helmon-
tius sub specie liquoris lactiformis , ope sui
Alchaest , et asserebat firmiter , corpus huma-
num usu ejus æque longævum fieri , quam
inter arbores Cedrus est.

Verum hæc cedri longævitas facultas est
semini à Creatore insita , neque habitat in hu-
more cedri aut spiritu. Nos vero cedrum non
fecimus , sed factam accepimus , neque possu-
mus ex ea vim eximere quæ in idiosyncrasia
fundata latet tam in solidis , quam in fluidis
partibus.

nulla vera ratione, nec experimentorum fide, firma promissa sunt, quæ in hunc scopum commendantur: scilicet usus Entis primi Cedrini Helmontiani; Elixiris

Elixir proprietatis. Dicitur *Elixir* hoc est Medicina incomparabilis: additurque *proprietatis*, quod proprietatem producendæ vitæ possidere à Paracelso auctore vanissimo credebatur; certusque erat hujus usu ad Annos Mathusalemi perventurum, et ultra si vellet procesurum; his tamen non obstantibus quinquagenario minorem extinctum legimus.

Elixir iste Paracelsi ex Boerhaavio in sua chemia processu 85 conficitur ex Aloe, croco, et myrrha affusione liquoris tartari regenerati et alcoholis purissimi, quod remedium aperiens est, fundensque incomparabile, concreta in vasis blande liquefaciens, nervosum genus placide stimulans... aliasque plures virtutes eminenter possidens, sed ad tantam Paracelsianam longævitatē ineptum.

Tinctura Physicorum quæ nihil aliud est quam tartari regenerati dissolutio in alcoholi remedium est solvens, diaphoreticum... minime tamen vitam ita nimium prolongans.

Entia prima ex metallis... ad rem istam etiam sunt vana, et absolutè insufficientia. Credebant chemici, aptius Alchimistæ in auro utpote simplicissimo, et constantissimo ente contineri spiritum rectorem, qui extractus et nostro corpori infusus huic communicet constantiam illam quæ in auro est, sed ista nœnia similis est illi qua quisquam leporum carnes commederet ut cursor velocissimus evadet.

proprietas Paracelsi ; Tincturæ Physicorum Adeptis laudatæ ; Entis primi ex metallis , fossilibus , animalibus , vegetantibus ; Purgationis repetitæ per Hellebori nigri folia ; Spiritus sulphuris per campanam ; Spiritus florum rorismarini ; Virtutis atrahentis Spiritus ex sano corpore Juvenis ut in Artephio ; animalium longævorum , aut sæpe iterum renovantium partes ; sigillatorum planetarum vitam producentium.

1066 Neque methodo tamen vel optima vitam in numerosos adeo annos protrahi posse , ut Chemicis Adepti spem faciunt , ullo modo verisimile fit : imo suis redarguuntur ubique omnes hi experimentis.

Hellebori nigri purgationes repetitæ Adeptis istis necessariæ sunt , non ut vitam prorogent sed ut mentem suam curent.

Quæ Artephium suo magnete spiritus humani dicuntur effecisse vanissima sunt , et si ea possibilia forent horrenda censi debent et vitanda. Hac in re unice certum est aliquam vim sani corporis posse transire in corpus effœtum ; nam virgines quæ cum aniculis dormiunt consumuntur , vetulæ vero melius inde se habent.

Circa *Sigilla* Adepti mira somniarunt et etiam in artes magicas insulse fuerunt præcipitati. Hi homuntiones merito ridendi.

THERAPEUTICA.

1067 **U**ltima (a) hæc pars Institutionum Medicarum docet præcepta generalia, quæ tradunt quomodo in ipsa curatione ægrorum Medicus absolvere queat quatuor hæc munera, 1. conservare vitam. 2. tollere causas morbi. 3. auferre ipsum morbum. 4. abigere effectus morbi præsentés.

1068 (a) Ut quatuor hæc (1067.) perfici-

(a) Hic traditur optima Therapeutices definitio. Hæc pars est, veluti totius Medicinæ practicæ compendium; revocat enim in memoriam huc-usque dicta de morbis, ejusque Symptomatibus, et docet applicationem bonam, veramque medicamentorum, et auxiliorum artis ad dictos casus. Ac proinde in ea debet aptè exerceri Tyro. Academiæ Leydensis Fundatores voluerunt, ut de hac parte Artis Medicæ, in examine candidati rigidissimè explorarentur, referente Boerhaavio hic; et ita in hoc nostro supremo Medicinæ Magistratu Censores faciendum existimamus, et facimus.

(b) Ut vita labefactata conservetur, causa morbi tollatur &c. corpus ægri arte mutandum est. Si enim non mutetur manebit idem: ergo et illa quatuor præcedentia manebunt adversa. Ut autem Medicus, præfixum in finem, corpus mutet, oportet nosse illa instrumenta, quibus id efficiat. Hæc Instrumenta vocantur: Auxilia . . . Medicamenta.

ciantur, corpus ægri arte mutari debet; quare requiruntur instrumenta, quorum applicatorum efficacia mutationes necessariae his peragendis excitentur; illa autem vocantur Auxilia, Remedia, Juvantia, vel Medicamenta.

1069 (a) Hæc autem remedia sunt ap-

Hæc sunt instrumenta, sive corpora physica, per quæ applicata corpori, Medicus corpus ægri ita mutat, ut ex ægro sanum fiat.

(a) In praxi medica non curamus hominem in genere, sed singularem ab alio homine ægrotante valde diversum. Ad id efficiendum præter ea quæ in textu proponuntur methodus, seu ordo applicandi remedia attendendus est, ita enim aliquomodo prævideri poterunt effectus secuturi.

Ars nostra tota fere versatur circa futura, quod ipsum eam difficiliorem reddit. Si Medicus infeliciter ignorat hoc, casu fortuito ægri ipsi commisi convalescent, postquam in vitæ periculum eos exposuerit, imò potiùs conjecerit. Signa quibus Medicus dirigitur in his omnibus, primò et præsertim haurienda, seu quærenda in iis, quæ sensus attenti detegere in illo possunt in facie, positura, excretis... aliisque. Dandus quoque locus accurato ratiocinio, quo debet aliquid plus, quam ea quæ refert æger dignoscere, et ita reflectendo super omnibus, quæ hic refert, et Medicus videt, tanquam Medicus non Empiricus, sed Rationalis perspiciat quid in hac curatione sit agendum, et per quæ auxilia æger à suo statu infausto revocandus.

plicanda unicuique ægroto singulo ita , ut in eo fiat mutatio necessaria (1068.) , quare Medicus scire debet primo quidnam in eo debeat mutare , atque deinde quibus auxiliis ad hæc uti ; ideoque et nosse debet effectus , qui ab applicatis his in hoc ægro sequuntur ; quæ ambo tantum potest discere ex iis , quæ in hoc ægro tante ipsi innotescunt ita certo per sensus , aut per accuratum ratiocinium , ut inde perspiciat actionem quæsitam , et auxilia.

1070 (a) Ipsum illud , quidcunque demum sit , quod sic deprehensum in ægro mentem Medici ita instruit (1069.) , vocatur Indicans ; sed intellectus Indicantis

(a) Indicans est : Conditiõ physica in corpore humano præsens , præterita , futura , ex qua disco quid in presenti casu agere oporteat , vel nunc maximè , vel in futurum. Indicatio est : Notitia indicantis , sive eorum cognitio , quæ ex cognitione indicantis , et nunc , et in futurum agere oportet. Indicatũ est : id quod , secundum Leges artis ex notitia indicantis , et indicationis agere nunc oportet , et deinde oportebit. In exemplo res patebit. In Pleuritide v. gr. dolor lateris . . . est Indicans : Indicatio est : ablatio illius doloris , et Indicatũ est : Venæ Sectio , et alia ad id assequendum necessaria. In *Angina* dolor , et difficilis respiratio sive deglutitio est indicans. Indicatio est ablatio horum ; Indicatũ , Venæ sectiones , reventia...

in Medico natus appellatur *Indicatio*; Id vero, quod cognoscitur *agendum*, dici solet *Indicatum*.

1071 (a) *Indicans* (1070.) proinde poterit esse omne id, quod cognoscitur in *Ægro*, vel circa eum *præsens*, *præteritum*, *futurum*, ita ut hanc cognitionem (1069.) pariat; quare id ipsum *multiplex* invenitur.

1072 (b) Tamen omne id (1071.) revocari potest 1. ad vitam in *Ægro* *superstes*

(a) *In ægro*: quatenus morbus in eo existit, et prout progressus plures, minoresve fecit: *Circa ægrum* varia etiam sunt attendenda præter morbum, quatenus aliquid indicant. *Objecta difficilia*, quibus visis irascatur, et ad *jurgia* incitetur... sunt *indicantia*, et *indicatio* est: *removere* ea. *Cubiculum angustum calidissimum*, in quo residet *Pleuriticus*, vel aliquis febre acuta *inflammatoria*, *variolis*... *laborans* indicat vel *separationem* ab illo loco, vel hujus *attemperationem* renovando aerem, et illum refrigerando aceto, *plantis frigidis*, et aqua *immersis*...

Indicans præsens est v. gr. dolor in *Pleuritide* jam dictus: *Indicans præteritum* est: *vita anteacta*, *ingurgitatio cibi*, *potusve calidissimi*, *similiaque*. *Indicans futurum* erit, si *prævideo* v. gr. *crastino die ingentem æstum futurum*, hoc indicat me *intendere* debere ut *prevertatur noxa*, quæ alioquin ex hoc *æstu ægro* imminet.

(b) 1. *Vita semper in ægro superstes* est:

titem, ejus causas, naturam, sequelas, gradus. 2. ad morbum in eo præsentem,

sed ea differre potest immensum, et ut queam de vita illa superstite judicare, debeo nosse 1. *vitæ causas*, quæ sunt Cor agens sanguinem in arterias, et arteriæ pellentes eum per venas iterum in cor, robur ipsius cordis, boni nervi ab origine sua &c. 2. *Naturam vitæ*. Vita se ipsam destruit, nisi alatur bono nutrimento, adeoque debent superesse, saltèm aliqua functiones naturales, ut alimenta possint ita mutari, quo corpus alere queant. 3. *Sequelas*. Si vita illa . . . ali, et sustineri possit, morbus forte erit curabilis; si vero non possit bonis nutrimentis refici incassum erit, quodcumque ars medica in morbum agat. Morbus vinci non potest, nisi viribus vitæ persistentibus; si hæ succumbant, ars nostra inanis, et vacua. *Gradus*. Hi à vita maxima ad vitam minimam quam plures sunt, quos medicus nosse, et considerare debet, ut possit aptiori modo judicare: utrum à morte, vel prope, vel procul æger absit (§. 695.)

2. Indicantium doctrina revocatur non solum ad considerandam vitam superstitem, sed etiam ad morbum in ægro præsentem. Si morbus non est, homo vel est sanus vel mortuus. Ad cognoscendum morbum etiam attendendum 1. ad illius causas: an illæ sint ex proegumenis causis, v. gr. plethora; an ex idiosyncrasia; an ex cacochymia? an causa procacartica fuerit vel aer, vel cibus, potusve, aut medicamen, aut motus, quiesve, aut somnus, vel vigiliæ: an passio animi, aut applicata externa? Ex his enim causis, indicans

ejus causas , indolem , sequelas , symptomata.

1073 (a) Etenim ex omnibus his(1072.)

petit , si fieri queat ejus ablationem ; et hæc , indicatio erit , et dicetur *præservatoria*. Attendendum 2. ad indolem morbi. Plethoricus quidam ab ira incidit in phrenitidem , alter in apoplexiam , alter in ardentem febrem. Indoles morbi proprie est ipsius particularis natura , quæ particulariter est attendenda.

3. *Sequelas* : Apoplexia in Paralysis facile mutatur. Virium debilitas , et cacochymia sunt omnium morborum sequelæ.

4. *Symptomata* , num naturæ morbi sint congruentia , vel non sint ; diversa enim significant , et exigunt.

(a) Vita præsens servatur recto usu rerum nonnaturalium. Vita labefactata reficitur per idonea alimenta , ut quæ fuerat causæ morbi inferior , eidem jam superior reddatur , vel saltem æqualis. Quæ vitam destruere , vel imminuere possunt sunt : morbus , ejusque Symptomata , quæ si effræni motu pergant agere vitam primò minuunt , et secundò destruerent ; ista igitur toto conatu à Medico tollenda.

Ad hoc opus perficiendum Medicus conscius sit , an eligenda cardiaca , refrigerantia , calefacientia , demulcentia , stimulantia . . . et inter hæc aptiora propriaque , et accomodatori modo , vel in decoctis , infusis , pilulis , &c. . . Applicatio etiam prænoscentia , an intrinsecus vel extrinsecus ; an ad ipsum locum affectum , vel ad locum remotiorem , oppositumque. Certus in applicatione ordo maximè attendendus. Per mitiora incipiendum semper. Tempus morbi,

discit Medicus 1. quid sit agendum, ut servetur vita præsens; ut reficiatur labe-
factata; ut illa tollantur, quæ vitam
destruere, vel imminuere possent. 2.
quænam sint eligenda huic operi ins-
trumenta, quomodo hæc adaptari, ap-
plicari, certo ordine, et tempore, debeant.

1074 (a) Illa tandem pars Therapeutices,
quæ tradit regulas, quarum demonstra-
tione deteguntur Indicantia (1070.), et
Indicata (1073.), vocatur Methodus Me-
dendi. Cujus jam sequitur brevissimum
compendium.

etiam attendendum, alia enim conveniunt in
principio, alia circa statum, alia in pertur-
batione critica, &c.

(a) Therapeutice versatur circa hæc tria:
indicans, indicationem, indicatum: hinc debet
habere, et tradere regulas hæc tria cognos-
cendi, atque formandi. Ars regulas has for-
mandi, et dirigendi vocatur: Methodus me-
dendi quæ nihil aliud est nisi: Via rationa-
lis, qua Medicus mentem suam dirigit per in-
dicationes ab Experientia, et ratiocinio petitas
ad morborum curationes efficiendas, quantum
fieri possit tuto, citò, atque jucundè. Hæc
Ars nunc breviter, et fructuose quantum pos-
sibile sit est pertractanda.

METHODUS MEDENDI.

1075 (a) **I**n omni ægro vita superest, tum causa vitæ, ejusque effectus; vocantur hæ Res Naturales, Res secundum Naturam, et sæpe Natura ipsa.

1076 Quum vero vita semper agat, erunt in Ægro superstites aliquæ actiones, quæ et sanitatem prius comitabantur, et ideo possunt censi reliquæ sanitatis prioris, effectusque vitæ præsentis, quæ nomine Virium donari possunt.

1077 (b) Quæ ritè examinatæ deprehen-

(a) Æger à cadavere distinguitur, in quo in isto vita non est. Vita vero ægri est: *morbosa facultas exercendi aliquas functiones humanas*, quæ in ægro homine adhuc superest; cum vita perfectissima sit facultas ad omnes naturæ actiones facilè et expedite perficiendas. Superest etiam *Causa vitæ* nempe circulus humorum, et facultas nervorum aliqua saltem ut vita licet minima adhuc continetur; supersunt effectus vitæ, scilicet motus, et calor aliquis. Hæc tria: *vita, vitæ causæ*, ejusque effectus vocantur: *Res naturales* . . . quia ipsam Naturam constituunt, et sunt valde diversa à Rebus præternaturalibus, quæ ipsam destruunt, seu destruere nituntur, ut sunt: *Morbus: Causa morbi*; hujusque *Symptomata*.

(b) Ut hæ vires adsint non tantum debet esse motus humorum in vasis; sed *per vasa*

duntur pendere à motu humorum per vasa superstite ; qualiscunque ille fuerit.

1078 (a) Ille autem reductus ad minima possible , saltem adhuc ponit circularem motum humorum per cor , pulmones , cerebellum ; in quo consistit ergo vis minima vitæ ; quæ etiam variis gradibus augeri inde potest.

1079 (b) Patet quidem evidentissimè hæc (1075. ad 1079.) Medico deprehensa , et cognita in ægro , requirere sui conser-

debet adesse transfluxus illorum ita ut à corde dextro per pulmones ad sinistrum : et ex hoc per universum corpus ad illud vitalis humor ferri debeat et hoc erit *vita maxima* quæ vocabitur salubris , si totum hoc secundum Leges Naturæ regulares fiat ; nam calor auctus à violento motu , aut in febrili pulsu , etiam est *vita Maxima* , sed tamen insalubris , seu morbosa.

(a) Hinc intelligitur *vita minima*. Homo in syncope jacet , vix perficitur sanguinis circulatio , cor tamen adhuc palpitat , nondum adeo mors est. Adspergite faciem aqua frigida , augebitur elasticitas vasorum , hinc suscitatur cordis , et sanguinis motus et æger ad se redit.

(b) Quid enim alimenta , medicamentaque efficient , si scintillæ hæ vitæ sinantur extingui ? Et certè non tantum adlaborandum , ut parva , quæ adest *vita* conservetur , sed ut morbus coquatur , et maturescat. Oportet curare , ut *vita minima* fiat major ; quandiu enim vis

vationem, atque restitutionem in integrum. Quæ cognitio etiam appellatur Indicatio Vitalis, vel Conservatoria.

1080 (a) Causa cognita morbi indicat correctionem, vel ablationem sui. Censetur causa prior effectu; ideoque indicatio hæc vocatur *Prophylactica*, vel *Præservatoria*, utpote eradicatione causæ morbum futurum prævertens.

1081 (b) Morbus vero ipse perspectus

morbi superior est vi vitæ, tandiu mors timenda; si vero vita ita augeatur, ut superior sit vi morbi, jam spes est fore, ut vincat vita morbum, coquat, expellat. Hæc indicatio vocatur *vitalis*, vel *conservatoria* qua intenditur conservari vires vitales, ut hæc expellant morbum.

(a) Causæ ocasionales, v. gr. plethora, cacochymia, idiosyncrasia, et causæ præægumenæ, pro-catatartica, externæ, seu efficientes. . utpote quæ priores sunt ipso morbo, dum cognitæ sunt tollendæ, antequam morbum producant; plethora, v. gr. dummodo adhuc non ledit actiones est tantum causa ocasionalis, quæ diæta, ac vitæ regimine tollenda est antequam per se ledat actiones vel, cum causa pro-catatartica combinata morbum faciat. Hoc certe non est curare morbum sed providere quid eventurum sit ex his, quæ nunc præsentia adsunt; et noxam inde orituram præocupare. Hoc vocatur: *precavere morbum*.

(b) Si morbus revera jam natus adest, omni ope tolendus, tanquam ens ex causa præ-

indicat sublationem sui. Quæ indicatio vocatur *Curatoria*, vel *Therapeutica*.

1082 (a) Symptomata denique cognita, si dant plus periculi vel molestiæ, quam ut curatio eorum queat differri eousque, donec morbus, unde pendent sanatus sit, indicant sui mitigationem, et curationem singularem; diciturque hæc Indicatio *Urgens*, vel *Mitigatoria*, aut *Palliatiua*.

gumena, et procataretica productum, et Naturæ humanæ infestum, atque destructivum. Aliqui tamen morbi auferendi non sunt, imo tolerandi, et fortassis excitandi; quatenus per ipsos liberari potest Natura à majoribus malis. Vid. Vales. *Controvers. medic. Lib. VIII. Cap. X.* An liceat morbum morbo curare? et etiam Richter's *Opusc. medic. Tom. I. Pag. 311.* *Dissertat. De Natura morborum per morbos Victrice.*

(a) Hæmorrhagia nimia in febre ardenti, aliæque evauationes immodicæ, dolor intolerabilis, anxietas... moderanda, mitigandaque sunt. Tussis immanis in pleuritide, sputum sanguinis in variolis... sunt symptomata violentiora ipso morbo. Tunc igitur dimitti non possunt; quin contra moderanda, mitigandaque sunt.

Hæc indicatio dicitur *urgens*, quia plus urget quandoque, quam totus morbus. Dicitur *mitigatoria*, aut *palliatiua* quia causas morbi, aut symptomatis non auferit, sed tantum mitiora reddit.

1083 (a) Unde jam constat non posse indicari bene agenda, et actura, nisi cogita prius Vita, hujus causa, statu, viribus, effectis, tum et perspecto prius morbo, ejus causa, statu, viribus, effectis.

1084 (b) Item indicari prius quid agen-

(a) Tota igitur Physiologia, Pathologia tota ad id . . . et quæ non alia prænoscenta? Utinam Empirici ad ista attenderent, et ita suo criminali vivendi genere penitus detererentur. Medici etiam nimis occupati, licet sit nimio ægrotantium numero, attendere debent Boerhaavium fateri de se ipso occupatissimo sæpe temere, atque negligenter se gessisse.

(b) Hæc alta mente tenenda, atque observanda sunt. Considerare debet imprimis Medicus *Quid agendum*, an nempe refrigerandus æger, an roborandus, an vacuandus . . . Ad id efficiendum debita auxiliorum administratio necessaria est. Ad istam aliqui fines, seu scopi sibi debent à Medicis imponi, cum scopus remediorum sit: finis ille, quem Medicus sibi proponit ad rectam eorum administrationem. Ut iste finis adipiscatur variæ sunt observandæ Regulæ.

1. *Per quæ* medicamenta assequenda curatio, an per calida, frigida, anodina, stimulantia.

2. *Qua dosi*, si enim minima exhibeantur, inefficacia; si vero immodica, noxia erunt. Mediocris igitur, et debita dosis præscienda, et præscribenda, ad quod ætas, temperies, consuetudo, idiosyncrasia . . . attendendæ.

3. *Conditio*, seu actus condendi, vel qualitas, modus, ratio, qua conduntur, seu fieri

dum sit, deinde autem per quæ, qua
dosi, conditione, tempore, ordine, &c.

1085 (a) Quum vero omnia hæc (1083.),
singula sint in uno eodemque ægro
ita ut singula quæque singulare quid in-
dicent agendum, atque etiam dicent sin-

apta sunt medicamenta. Hinc attendendum num
in forma solida v. gr. conservæ, pillularum . . .
num in liquida, decocti, tincturæ . . . ægritudini,
et ægro adaptari possint.

4. *Tempus* assumendi medicamenta maxime
debet attendi an mane, an vesperi, an in prin-
cipio, an circa finem morbi . . . in principio
inflammationis resolutio intenditur, circa finem
inutiliter spectaretur.

5. *Ordo* in remediorum præscriptione abso-
lutè necessarius, aliter ignoraretur quid ante
quod, quid cum quo, et quid post quod effi-
ciendum. Ordo istè in casibus dubiis specia-
lem exigit considerationem. Dubitatur v. gr.
præsente æquali indicatione emetici atque san-
guinis missionis, quid agendum sit prius, quid
posterius? Si venæ sectio ut debet præcedat,
æger tuto postea vomitorium sumet; si vero
vomitorium primo exhibeatur, æger vel in hæ-
moptysim, vel in apoplexiam conjicietur.

Alia etiam pro Medici scientia in hac re
gravissima attendenda, atque profunde medi-
tanda.

(a) Agenda in curatione morborum, ita sin-
gularia debent esse, respectu ætatis, virium,
temperiei . . . et etiam aliarum circumstancia-
rum ægri, ut quater in principio hujus §. *Sin-*
gularitatis meminerit Boerhaavius. Hinc oritur,

gularia auxilia adhibenda esse, accidit sæpe, ut unum horum aliud quid indicet, quam quidem aliud, imo quandoque requirat contrarium quid agendum, aut oppositum remedium, quam quod

quod quandoque contraria indicentur, sive quod una circumstantia ægri aliquid indicet, quod altera ejusdem ægri circumstantia repugnet; sive contraindicet. Hoc in Medicina maximè terribile esse asserit Boerhaavius.

In Peripneumonia nota v. gr. difficilis respiratio indicat venæ sectionem, natura morbi lenta illam contraindicat. Debilitas maxima in Hæmorrhagia ex vulnere indicat potum boni vini, quo vires recuperentur: hæmorrhagia tamen potest augeri, vel redire vini usu; vinum igitur contraindicatur. Ut Medicus se expediat cum ægrorum utilitate maximè in animo debet presentem habere doctrinam illam utilem, et celebrem de Indicantibus, &c. quam Boerhaavius ab Antiquis transcripsit, et Axiomata quædam infrà proponenda. Pro doctrina illa declaranda breves notiones hic sunt commemorandæ.

Indicans est illud quidcunque . . . (§. 1070.) Hic tamen pro clariori doctrina sumitur Indicans pro re præternaturali, quæ ablationem sui indicat: v. gr. morbus, causa morbi, et symptoma urgens.

Contraindicans, sive repugnans est quod vetat facere ea, quæ aliundè sunt indicata v. gr. Indicatur sanguinis missio, et alia refrigerantia in calida hepatis intemperie, et intemperies frigida ventriculi eam contraindicat.

Permittens est, quod contraindicat quidem, sed

requirebat alterum indicans. Hinc itaque nata est utilis illa, et celebris doctrina Indicantis, contraindicantis; repugnantis,

tam parum, ut indicans vinceret hoc contraindicans, v. gr. æger indiget Emetico; sed diathesis nervorum contraindicat; ast damnum leve nervorum facile postea poterit emendari aliqua mixtura neurotica, et paregorica, vincit indicans emetici; dandum igitur, ita *permitente* nervosa diathesi contraindicante.

Coindicans est: illud, quod licet propriè remedii ussum non indicet, indicationis id suadentis efficaciam auget, vel faciliorem reddit. Hujusmodi sunt Res Naturales (§. 1075.) ad quas referuntur Temperamentum, ætas, sexus, consuetudo, vitæ genus... tum Pars affecta, ejusque substantia, temperamentum, actio, figura, situs, connexus, sensus exquisitus, obtusus... et etiam Res, quæ vocantur *Non naturales*. Aer, ad quem Regio, et anni tempus, cibus, et potus; motus, et quies; somnus, et vigilia; excreta, et retenta, et animi pathemata. Sit exemplum: Plethora sanguinea est indicans venæ sectionis. Vires robustæ, temperamentum sanguineum... Aer, Regio temperata, ver, venæ sectionem certe non indicant, sed plethora præsentem illam coindicant, sive faciliorem reddunt.

Correpugnans est: quod contraindicantis efficaciam auget, v. gr. in casu proposito pro contraindicante, intemperies frigida ventriculi contraindicat venæ sectionem: Aer calidus, ætas senilis, debilitas virium... correpugnant.

Verbo: indicans, et coindicans remedium exigunt, et suadent: Contraindicans, et cor-

permittentis; coindicantis, correpugnantis; quæ sanè ex dictis facillimè intelligitur.

1086 (a) Quando itaque contingit contraria hujusmodi (1085.) simul occurrere Medico, præsto sunt Axiomata Medica, quæ determinant quid eligendum sit ex dubiis, itaque tollunt aliter hinc orituram difficultatem: primaria sunt.

1. Quidquid indicat in ægro, id petit conservationem, vel ablationem, sui.

2. Quidquid in ægro deprehenditur secundum naturam, id conservationem sui semper requirit.

3. Quidquid in ægro deprehenditur

repugnans remedium impediunt, et dehortantur.

Hæc omnia alta mente Medici tenere, et observare debent, quia est doctrina non solum celebris sed utilis, ut asseritur à Boerhaavio. Sine hac mille errores in praxi committentur, et Medicus non alia ratione distinguitur ab Empirico, quam observatione exacta harum rerum. Videamus nunc Axiomata quibus Medicus poterit in dubiis se expedire.

(a) 1. Vita et sanitas exigunt conservari. Morbus, ejus causa, effectusque tolli, seu auferri indicant.

2. Vis vitæ maximè secundum Naturam est. Si hæc est diminuta augenda; si excedit minuenda, illa quæ est respondens statui sano conservanda.

3. Morbus cum omnibus suis symptomatibus est contra Naturam: est ergo auferendus.

(Vid. §. 1081. Not.)

contra naturam, id ablationem sui jubet.

4. Constat iis, quibus nutritur corpus.
5. Similibus conservanda similia.
6. Causa curans per remedia morbos

4. Alimenta per vires corporis ex non naturalibus naturalia facta reparant ea, quæ actione vitæ à fluidis, solidisque erant deperdita.

5. Deficit in homine bilis, vel languet, danda medicamenta saponacea, amara, stimulantia: sapo venetus, aloe, mirrha, gentiana, cortex peruvianus, simarouba... quæ omnia bili similia sunt. Mucus intestinorum est deperditus in dysenteria, mucosa applicata ore, ano, ipsum locum deffendunt, et mucum naturalem sua similitudine restaurant, sive reproductunt. Diætâ mollis, subpinguis ex radicibus sissari, scorzonæræ, pastinacæ, ex leguminibus farinosis, ex cerealium farinis, gummi arabicum dilutum assumptum, et injectum, et gelatinæ ex animalibus hunc deperditum mucum restitunt.

6. Vita superstes Boerhaavii, Natura Hippocratis, Archeus Helmontii, Anima Georgii Stahlî, vis vitalis aliorum... Res eadem sunt, et per omnia ista intelliguntur vires conservatrices, præservatrices, medicatrices à Divino Creatore toti homini comunicatæ; quæ tamen non in solo corpore resident, et observantur, nec in anima sola, sed in ista, in illo, atque in amborum colligatione sive unione, seu ab istis omnibus simul, vel seorsim ostenduntur.

De istis viribus Naturæ medicatricibus satis ample, vere subtiliter, atque utilitate incomparabili pertractavit sapientiss. Hieronimus Da-

est. Vita superstes, et propria cuique temperies; illa deficiente iners medela.

vid Gaubius à §. 633. Pathologiæ suæ, cujus commentaria Ferdinandi Dejeani consulenda, quia unica et bona, donec meliora dies.

Auctor ille celeberrimus ad vires istas reducit sequentia:

Facultas nutriens, qua materies extranea jugiter reparat jacturam ex ipsa vitali actione necessario profluentem, promanantem. (§. 635.)

Facultas admirabilis, quæ solidæ compa-
gis vulnera, fracturas, ulcera, vexata, mutila-
tiones artificio inimitabili consolidat, redin-
tegrat, resarcit. . . quæ adeo eximia est, ut
merito universæ Chirurgiæ fundamentum ha-
beat. (§. 636.)

Facultas, morbosa et quæ præternaturam
sunt subigendi, atque contemperandi. Hinc ille
adeo salubris *Pepasmus* . . . cujus effectus prin-
ceps est suppuratio, sive acrium, crudorum opti-
mum arte quavis superius remedium.

Emunctoria ordinaria, et etiam inconsue-
ta; quæ bona non afferunt Naturæ humanæ
gravatæ, atque irrequietæ?

Vires motrices irritatæ; quæ non moliun-
tur, et quæ non expediunt? His certe si ca-
reret homo, nulla vel sanitati constantia, vel
morbo medela foret.

Febris ipsa . . . cujus faciundæ magis, quam
abigendæ potestatem sibi negatam dolent *Me-
dici prudentiores*.

Partium, Facultatunquæ consensus, ac
mutua conspiratio, qua partes sanæ pro afflic-
tis in motus medicatos ruunt, ut attendenti
patet.

7. Ergo ubi æquè urget Indicatio vitalis, et simul alia quælibet, erit tum semper satisfaciendum priori.

Nec menti humanæ sua desunt conamina, quibus periclitantem sanitatem tuctur, ut asserit atque demonstrat Gaubius ipse (§. 643.) Injucunda doloris, angorisve, aut impotentiae perceptio animum ita exagitat, ut vel invitum ad quærendum præsidium impellatur, illique etiam qui medendi Artem (imprudentes, stupidi... atque ingrati abhorrent, despectui, seu aversioni habent) oborta ægrotatione non raro supplices ad medicum confugiunt errorem deprecaturi. Hæc Dejeanus in Commentario.

Postremo memorabilis quoque est facultas assuescendi, qua utrinque hominis principium gaudet, ait Gaubius ipse (§. 644.) qui totus omnimode legendus, et consulendus.

Istæ tamen Vires medicatrices, ista vita superstes curat per Remedia morbos. Propria cuique temperies, sive indiosyncrasia ad istud opus assequendum mirifice adjuvat, impellitque. Medici igitur non puri debent esse Naturæ expectatores inanes et vacui, ut Stahlianorum turba suo Chorago Georgio autumant, exequuntur, imo abstinent, atque expectant; sed prudentes remediorum administratores, habitæ semper debita Naturæ (CREATORI) reverentia, propriæque ejusque temperici, ut debite curatio consequatur. Illa enim sibi soli relicta absque adminiculis, absque remediis fatiscit frequenter, frequentissimè labitur, atque perit. Indiget igitur remediis, ut curatio ab ipsa tanquam incepta, et mirificè coadjuvata perficiatur Medico adjutore, atque Ministro.

7. Cum vita superstes sit pro morborum

8. Sed ubi Indicatio impar simul urget, tum semper erit satisfaciendum maximæ.

9. Juvantia, et nocentia, præcipuè indicant.

10. Contraria tolluntur contrariis.

curatione absolutè necessaria, huic primario, præsertimque satisfaciendum, licet urgeat indicatio naturalis, ut in cholera morbo; vel animalis, ut in delirio febris ardentis. Nam si in his casibus maxima datur virium debilitas, huic morbo vitali satisfaciendum, et deinde illi cholerae morbo naturali, et huic delirio animali morbo prospiciendum.

8. Urgentiori est succurrendum, clamat Medicina, licet minus urgenti non neglecto. Delirium phreneticum in ægro non valde debili venæ-sectionem exigit, et post ponitur hic indicatio Vitalis Animalis. Si vomitus non multum adhuc debilitavit, lene vomitorum alias indicatum exhibendum, et in hoc casu etiam indicatio vitalis naturali post habetur.

9. A jubantibus, et nocentibus præcipua sumitur indicatio. Juvantia, et Nocentia Maxima in Arte Nomina! ex quibus tota Ars Medica nata fuit, ita asserente hujusce Artis Antistite, atque Dictatore Hippocrate Libro de *Prisca Medicina*. Medici ut plurimum dubitant an compescendi sudores, excretiones alvi, vomitus... cruditatis tempore, vident bene Naturam ferre, dimittunt, tolerant; sin minus auferunt. Cognoscitur benè Naturam ferre, si probè secedant (Aph. 3. 47.) hoc est sine symptomatibus, et sine actionum læsione.

10. Contrarietas sumitur hic quoad effec-

11. Natura gaudet consuetis , ægrè fert insolita quæque.

12. In maximis malis cito , et semel tentanda summa remedia.

13. In mitiori malo sensim , et repetendo , danda remedia leniora.

tum , seu operationem. In hoc sensu æquè contraria sunt refrigerantia calefacientibus v. gr. in calore febrili , qui refrigerantibus extinguitur , ac aqua frigida respectu gelu in brachio v. gr. introducto , et ab ipso gelu gangrenâ affecto , quæ ab applicatione aquæ frigidissimæ sanatur , ut alibi dicitur.


11. Utinam hæc ubique præ oculis haberemus! In Musæo quidem gubernamus non in crasi ægri , ex ægro tamen oportet doceri , quæ sint agenda. Non enim omne novum semper optimum est , sed id quod Naturæ congruit. Qui diu vino adsuevit , etiam in morbo vix potest vino integre carere.

12. Ileus , hernia incarcerata , ischuria , apoplexia , Cholera morbus , &c. sunt mala quæ dilationem non ferunt , ita enim mors sequitur : ergo omnia quæ Ars habet cito simul , et semel adhibenda.

13. In colica flatulenta non illico mercurius potandus datur , nec fumus tabaci immittitur intestino recto : sunt mitiora huic propria epithemata , enemata , lenia purgantia &c. levis nausea forte ab inhibita perspiratione... non est illico vomitoriis opugnanda ; quiete , diluentibus , restituta perspiratione sæpe curatur.

Hæc duo ultima Axiomata debent præsertim attendere juniores Medici. Si enim segnius

INDICATIO VITALIS.

1087  itæ conditio cognoscitur
perspectis ejus Viribus (a).

1088 Hæ innotescunt per effecta in
ægro edita.

1089 Quæ sunt exercitationes supers-
tites functionum adhuc permanentium.

1090 Hæ autem sunt propulsiones hu-
morum per vasa, et viscera.

1091 In quibus ergo requiritur co-
pia debita humoris apti, et hujus per
ipsa vasa actio continuata.

1092 Vasorum actio unicè pendet à

mala maxima; vel nimis strenue mitiora aggre-
diuntur, errores turpissimos serio pænitendos
patrabunt. Nec debet Tyro se gerere in illis
instar FABII Maximi cunctatoris, qui omnia
timide agebat, et ex propinquo; sed absit eum
esse in istis instar Achillis temerarii, atque fe-
rocis, qui NATURÆ

Jura neget sibi nata, nihil non adroget armis.

Horat. Art. Poet. vers. 122.

Attamen generaliter loquendo in Re medica
Fabiana cunctatio, qua instaurata Roma, potior
est Achillea audacia, qua Troia eversa.

(a) Agitur hic de primo munere, quod
Medicus in morborum curatione debet adim-
plere, ut ita præscribitur §. 1067. nempe con-
servare vitam.

contractione (*a*) illa fibrarum, qua hæ ab humore transfluente distractæ, et in arcus distentæ, se accurtant, in lineas rectas disponunt, versus axin suæ cavitatibus accedunt, humores propellunt contentos: adeoque hæ sunt propriè vires vasorum variè determinandæ pro figura illorum.

1093 Patet autem has requirere vim elasticam, et contractilem fibræ, quæ renitatur suæ distractioni (*b*).


1094 Atque simul exigunt in majorum vasorum membranis vasculosis influxum humoris tenuissimi acti in vascula minima nervosa, et in alia, alternè ad pulsum humorum crassiorum per vasa maxima.

(*a*) Nequit ista subsistere absque humorum motu, neque motus humorum absque elasticitate vasorum. Hæc nihil aliud est, quam conatus, ut reddant se minora, inde vero necesse est humores promoveri. Neque unum absque altero potest fuisse, sed utrumque necesse est factum esse ab EA CAUSA, quæ omnia simul prævidit: adeoque corpus humanum non mechanicè fabricatum, sed ab ENTE OMNIPOTENTE simul omnia faciente constructum est.

(*b*) Leevwenhoeckius et Ruyschius demonstrant vasa mayora constare membranis, has habere sua vasa, et hanc progresionem pergere, donec veniatur ad vas ultimum inter cognita, nempe nervulum. Vid. §. 440. 6. 7.

CARDIACA, ET DIÆTA

ÆGROTI.

1095 uum vero Cor sit causa princeps omnium illorum motuum, unde Vires Vitales æstimantur, hinc auxilia indicationi vitali satisfacienda jure quodam vocantur Cardiaca (a), licet soli cordi proximè non inserviant.

1096 Varia quidem hæc esse invenies, sed tamen reduci posse, et debere ad aliquas classes (b); nempe

I. nonnulla restituunt in corpore copiam requisitam humoris sani, vel illi quam proximi (1091).

(a) Hoc nomen datum est non quod in Cor immediatè agant; sed ob effectum oblique cordis vires augmentem, et vitam conservantem. Latini cardiaci nomine morbum stomachi intelligunt. Horacius de Avaro, qui præ turpi sorditie nolebat edere ait.

Non est cardiacus.

(b) In hoc § proponuntur quatuor cardiacorum clases optime distributæ, et quas Medicus vere notas habere debet, ut in eorum administratione optime se gerat, percurrendo causas, et variando pro ratione diversitatis harum cardiacorum ussum.

2. Alia autem infundunt fibrosæ compagi vires roboratas, atque conciliant iis requisitam elasticitatem (1092. 1093.).

3. Et quædam augment copiam, et motum humoris nervosi, ut repletis vasculis minimis roboventur vasa tam majora, quam minora (1094.).

4. Denique ultima stimulant fibras motrices, atque sic movent vasa inertia, et humores stagnantes.

1097 Ad primam ergo horum classsem (1096. 1.). refero liquores, qui sunt 1. præditi facultate nutriendi corpus ipsius ægri. Et 2. ita præparati prius, ut non indigeant iis motibus manducationis, digestionis gastricæ, atque intestinalis, qui in ægris debilibus, et exhaustis vel deficient, vel nimis tardè operantur. 3. ex tali materie constant, quæ sponte sua non putrescat facilè, dum scilicet deficit vis expellens satis cito, quia debiles jam sunt actiones viscerum; aut dum in corpore assumtis admiscetur aliquid humoris morborosi et sæpe putrefacti, saliva, bilis, aliudve quodcunque fuerit. 4. et deniquè ne sint talis indolis, quæ similis humoribus in ægroto corpore forte morborosis, eorum malignitatem, sicque causam sæpe morbi foveat, augeat, ejusve symptomata excitet.

1098 Tale Cardiacum (1097.) indicatur dandum à defectu virium una cum

signis exinanitorum (a) vasorum quibus-
cunque.

(a) Sæpe vero debilitas à sola plethora est:
tunc inanitio ipsa pro cardiaco est.

Ita optime hic Boerh. in prælectione bre-
vi quæ doctrinam maxime notandam includit
amplius pro Tyronibus enodandam.

De debilitate ista quæ vel per esentiam,
vel per aggravationem contingit ante omnes,
et præ omnibus loquutus fuit supremus Medi-
cinæ conditor Hippocrates lib. 2. de ratione
vicius in morb. acut. textu 47. ubi postquam
modeste reprehenderit Medicos hac in re mi-
nus peritos, et proposuerit omnes debilitatis
causas in ista verba prorumpit: *quamvis cognitæ
salutem, et mortem ignoratæ ferant.* Gravissima
quidem et tremenda verba, quibus suam sen-
tentiam claudit Hippocrates ut ea ita esse ju-
dicat Antonius Ponce de Sancta Cruz Archia-
ter hispanus Lib. 1. de Impedimentis magnor.
auxilior. Cap. 13.

Doctrinam istam non solum utilem sed pror-
sus necessariam amplificat ibi iste Doctor hispa-
nus qui merito consulendus. Homobonus Pisoni
Med. Doct. cremonensis qui hispanum laudat
et illustrare conatur concise admodum se gerit
hac in re de qua agit cap. 6. Dissert. prim.
libri sui *De Regimine magnorum Auxiliorum.* Val-
lesius noster in commentario sent. Hippocrat.
prædictæ documenta utilia profert à Medicis
consideranda. Jacobus Gregori in languore,
et debilitate corporis ob nimiam sanguinis abun-
dantiam, aut febrem vehementem victum te-
nuissimum, requiem, sanguinis detractionem
aliasque exinanitiones tanquam vera cardia-

1099 Materies autem singularis in hoc Cardiaco requisita cognoscitur, si Medicus primo noverit accuratè indolem propriam humoris vitiosi, qui in ægro prædominans peccat; tum enim eligenda est ea materies Cardiaci, quæ opposita sit illi detecto vitio: hæc autem doctrina jam tradita habetur in Semeioticis (909. ad 920).

1100 Ergo, ubi humores vergunt in naturam alcalinam (725. 757. 911.), tum materies cardiaca hæc (1096. I. 1097). optimè petitur I. ex decocto bene maturato seminum frumentaceorum lenissimè prius quodammodo tostorum, cum aqua pura longa coctione præparatorum, ut fiat inde ptisana levior, flos meracior, vel cremor paulo spissior, aut puls crassior, Græcorum (a); aut ex similibus præparatis ex mica panis cum aqua, ut sunt panadæ, vel panatellæ Italorum, varia pariter spissitate differentes; vel Britannorum, et Germanorum, talia fac-

ca proponit in suo *Conspectu Medicinæ theoreticæ* §. 1142. Videndum etiam Commentarium Ant. Musæ Brasavoli in Lib. istum Hippocrat. de Rat. Vict. in eundem Textum pag. 92.

(a) Hippocrates in Lib. de Rat. vict. in morb. acut. ista exactissime pertractavit, cujus lectio utilissima esse poterit.

ta ex avena (a) celeberrimo usu laudatissima : inserviunt his omnia semina frumentacea , et leguminosa , sic præparata (1034. 1. 2. et 53. parte priore) , et emulcta , vel decocta amygdalarum , pistachiorum , papaverini seminis &c. 2. Ex fructibus bene maturis , gratis , acidodulcibus , maximè succulentis , recentibus , aut in saccharo conditis , vel in gelatinam versis , cum aqua coctis , et cum pauxillo panis incocti deinde præparatis : talia hic apta sunt

Poma acidula , vinosa ;

Cydonia matura ;

Aurantia Indiæ occidentalis , et

Lusitaniæ :

Pyra acidula , vinosa ;

Persica ;

Armeniaca ;

Pruna matura , siccata ,

Gallica ,

Hispanica ,
Damascena ,
acidodulcia ;

Cerasa ;

Mora ;

Uvæ ;

Uvæ passæ ;

Ribesia ;

Rubi fructus ;

Baccæ vitis Ideæ ,

Sambuci ,

Ebuli ;

Fraga ; &c.

(a) Avenæ decoctum facillime acescit , alcali subigit , sanguinem diluit , neque putrescit unquam ; ideo hic maxime debet commendari.

3. ex fructibus , pulposis (a) mollibus, similiter diuturna coctione in aqua resolutis , atque deinde condimento sapidiore gratioribus redditis ; cui apta censentur operi

Poma, Melones et
Cucumeres, Cinaræ capita.

Cucurbitæ,
4. ex oleribus lacteis , blandis , acidulis;
Brassica rubra; Acetosæ;
Rapa; Scorzonæræ,
Intyba; Tragopogona;
Cichorea; Sisara;
Portulacæ; huc spectant.

5. Lac (b) animalium solis herbis pastorum , ejus serum , lac defloratum , flos, lac acidum , lac ebutyratum , et similia.

II 01 Quorum quidem omnium (II 00.) delectus , præparatio , condimentum , co-

(a) Hi acescunt , fermentant , et humores mitigant. Nihil credo ad temperandam bilem, et in ardentibus morbis præstabilius dari posse , quam Cucumeres , quos non video cur adeo vituperent ægri. Boerh.

(b) Lac facile acescit , serum lactis etiam magis , lac ebutyratum jam acidum est. Hydrogala , sive lac triplici pondere aquæ temperatum . . prodest.

pia, occasio adhibendi, ordo offerendi indicantur ab ætate, sexu, temperie, victu consueto, causa, morbo ipso, statu morbi, duratione ejus præterita et futura; symptomatibus, anni tempore, cælo, et similibus, quæ circa ægrum adsunt.

1102 Si autem indoles acida (912. 760. 765.) deprehenditur prædominari, tum Cardiaca hæc (1096. 1097.) petenda sunt ex familia animalium (1034. 5.) quorumcunque salubrium: quorum tum partes firmiores diuturna, sed levi coctione cum aqua resolvuntur in jus tenue, meracius, gelatinam, consummatum, vario gradu tenacitatis differentia: ova eo referuntur: et quæ ex his binis varia compositione nata habentur. Optima hic quæ aliis animalibus pascuntur.

1103 In usu eorum (1102.) observanda iterum omnia, quæ modo recensita (1101).

1104 Si muriatica acrimonia præest (913. 760.), conveniunt descripta (1000. 1102.) salis condimento orba.

1105 Ubi autem peccat oleosum acre (761. 762. 765.), eadem (1104.) dempto oleo, et pinguibus, dilutiora posunt.

1106 Quin etiam facillè apparet quibus utendum sit in temperie nimis fluida, aut crassa humorum: quum præsto sit materies in recensitis modo (1100. 1101. 1102. 1103.) ad hosce casus apta.

1107. Ad Classem alteram Cardiacorum (1096. 2.) censentur pertinere illa, quæ I. fibrillis nimis flaccidis vasorum applicant partes illas, quæ adhærescentes iis, eas rigidiores reddunt: qualia sunt omnia, in quibus moderata virtus adstringens laudatur; quæ sunt inprimis

Poma, et	Portulaca,
Pyra, austerius-	Pimpinella,
cula,	Bistorta, &c.
Cydonia,	Flores
Punica;	Granatorum,
Fructus leniter acer-	Rosarum;
bi,	Cortices
Corni,	Granatorum,
Arbuti,	Peruviani,
Mespili,	Tamarisci,
Omnis Myrobala-	Radicum
ni,	Capparidis,
Glans quercina,	Myrobalanorum;
Berberis,	Succi
Myrti,	Acaciæ,
Acaciæ,	Pruni Sylvestris,
Rosæ,	Omphacii,
Sorbi,	Mastiche,
Hypocystidis;	Tus,
Herbæ,	Sanguis Draconis,
Pentaphylla,	Lacca,
Tormentillæ,	Vina Austera;
Lapatha,	Terrestria, vel Me-
Plantago,	talica,

Boli,	Alumina,
Rubricæ,	Vitriola,
Cretæ,	Chalybs.

2. quæ fibras corporis resolutas à se mutuo vi austera compingunt in unam inolem; qualia sunt omnia præcedentia, sed inprimis quæ valde acerba deprehenduntur; ut sunt vegetantia et fossilia austerrissima; fructus immaturi, vitriola calcinata, ossa acriter calcinata. Inprimis si juventur illa motu frictionis &c.

1108 Indicantur talia (1107.) necessaria esse tum, quando adest magna debilitas in toto corpore, una cum pallore, frigiditate, torpore, colluvie serosa, flacciditate corporis notabili.

1109 Sed in exhibendis iis prudens (a)

(a) In ista classe proponuntur remedia roborantia, adstringentia, quæ omnia prudenter administrari oportet.

Documentum istud hic præsertim attendendum, tonica enim adstringentia resorventia vasa ventriculi, et intestinorum constringunt; adeoque fere unice in primis viis operantur, et si in sanguinem pervenirent moraretur hujus per minima vasa transitus. Motus muscularis, et frictiones ad hunc scopum præstant.

Aliqui adstringentia effectus suos præstare putant ex ventriculo in partes remotiores per impressionem, quam in illo exercent. Ita sisti credunt hæmorrhagias uterinas, narium &c.

requiritur cautela petenda maximè ex jam dictis (1101.) ; sed præcipuè tamen ex consideratione certi experimenti hujus, quo scimus austera in primas vias nimis, in interiores difficulter agere.

1110 Classis autem tertia Cardiacorum (1096. 3.) videtur consistere imprimis in subtilissima parte animalium sanorum, juniorum, vegetorum, derivata copiosè in corpus debile ex defectu hujus: fieri id videtur 1. inspirando exhalationes ex iis emanantes, dum fomenti instar applicantur corpori ægro. 2. sugendo lac ex ipsis uberibus (a). 3. primo jure decocti carnis clauso vase parati assumendo. 4. vaporibus odoratis, blandis, ut

Croci,

Jasmini,

Citrii,

Aurantii,

Melissæ,

et similia. 5. vino fragranti, limpido, suavi, satis volatili, et mobili.

(a) Capiuaccius contavescentem Principem Columnam unicum nobilis stirpis conservavit juuendo ut delectæ feminæ certo victu utentes eum lactarent, consilio adeo felici, ut nunc post duo sæcula stirps antiqua superest, floreat.

Lac asininum, Caprinum . . eodem modo sumpta, seu sucta maxime valerent.

III Cardiacæ hæc necessaria sciuntur, quando cognoscuntur vires deficere, simulque apparent evidentia signa languoris ad omnes motus musculares, simulque valde impediuntur exercitia sensuum, imprimis vero si tum simul cernuntur signa clara humorum crassiorum per reliqua vasa. Hinc et alia intelliguntur.

IIII Ultima tandem classis Cardiacorum (1096. 4.) multiplex profectò admodum invenitur, quæ ideo in varias subdividi debet doctrinæ facilius ergo. I. itaque sunt Succii recentes omnium illorum fructuum, in quibus gratus, acidulus, penetrans sapor, atque reficiens, suavis, fragrans odor inest, simulque aliqua vis nutriendi. Primarii sunt

Aurantiorum tam acidorum, quam
duicium, imprimis Curassavicornum;

Granatorum maturorum; Baccarum Rubi
Idæi;

Pomorum fragrantium vinosorum; Uvæ odoratæ;
Ribesiorum nigrorum;

Ananas; Prunorum acidulorum;

Cerasorum sapidissimorum. Malorum Armeniacorum,

Fragorum; Persicorum;
Mororum;

et multa similia : quæ in sicca , calida debilitate sunt optima stimulantia. 2. huc spectant odores diffusi vegetantium odoratorum , quorum suaveolentia est *lenis* , et fere unicuique tolerabilis , ut habentur

Cortices	Ladani,
Aurantiorum,	Melissæ,
Citriorum,	Melissophylli,
Limoniorum;	Myrti,
Flores	Philadelphix,
Borraginis,	Sambuci,
Betonicæ,	Sassafras,
Botryos,	Hyacinthi tube-
Buglossi,	rosi,
Crocii,	Radicis
Jasmini,	Rhodiæ ; &c.
Liliorum,	

vel <i>acrior et calidior</i> ,	ut in
Abrotano,	Chamæpiti,
Absinthio,	Cumino,
Amomo,	Chærophylo,
Agallocho,	Caro,
Anetho,	Coriandro,
Angelica,	Caryophyllis,
Aniso,	Cinnamomo,
Artemisia,	Cardamomo,
Acoro,	Dictamno,
Cypero,	Galanga,
Calamintha,	Hyssopo,

Imperatoria,	Nuce Myristica,
Junipero,	Ocymo,
Lavendula,	Pulegio,
Lauro,	Ruta,
Macere,	Sabina,
Mentha,	Salvia,
Majorana,	Serpillo,
Maro,	Thymo,
Mastichina,	Zingiberi &c.

quo et Gummi Ferulacea, et alia reducuntur,

Ammoniacum,	Olibanum,
Bdellium,	Sagapenum,
Elemi,	Asa foetida (a),
Galbanum,	Camphora,
Myrrha,	Styrax,
Opopanax,	Liquidambar.

3. odores quidem planè singulares in multis mirificas stimulationes producentes, ut inveniuntur in

Ambaro,	Styrace tam sicca
Benzoino,	quam liquida,
Castoreo,	Zibetha.
Moscho,	

(a) Hic proponuntur varia remedia antihysterica inter quæ foetida eminent. Pilulæ ex Asa foetida, camphora, castoreo, mastiche, et terebinthina hic à Boerhaavio laudantur; stimulum enim excitant tenacem, et diuturnum.

4. Ex his omnibus intra corpus receptis, ibique agentibus. 5. numerosa hic est series eorum, quæ volatili, tenui, acri, stimulante vi prædita nervos mire afficiunt, et reduci queunt

Ad *acida*, ut sunt vina, et aceta, tam simplicia, quam aromatica facta.

Ad *spirituosa* dicta, ut sunt omnes Spiritus vegetabiles fermentatione parati simplices, vel aromatum odoribus repleti.

Spiritus *Alcalinos* volatiles simplices, aut unitos *Alcoholi*, aut et oleis *Aromaticum*.

Olea aromaticum stillatitia, vel pressa.

Denique composita ex his innumera-bilia pro arbitrio artificis, quo epithe-mata, linimenta, potus medicati, suffi-menta pertinent: ut et huc referas aquas stillatitias aromaticas simplices, composi-tas; balsama odorata arte facta simpli-cia, composita; Elæo-sacchara varia; Con-fectiones cardiacas nomen à primario ac-cipientes; Spiritus aromaticos, oleosos, compositos, cardiacos; Sales volatiles oleosos, aromaticos, spirituosos, admo-dum varios; Tincturas cum alcohole pa-ratas ex fragrantissimis quibusque aro-matibus: et multa similia pro cujusque genio inventa.

III 3 In usu horum omnium (III 2,) maxima cautela opus: data enim in cor-pore, ubi humores hærent in vasis non

dispositis ad facilem liquidorum transmissionem, excitant motum, qui tendit in destructionem (a) citam. Itaque iterum attendendum ad omnes cautelas datas (1101).

1114. Indicatur hoc genus Cardiacorum (1112.) à defectu motus circularis liquidorum orto ex sola inertia fibrarum una cum humoribus blandis, vasisque transmittendo aptis: quænam vero singularis species eligenda sit docemur considerata indole mali peccantis, et Cardiaci adhibendi.

1115. Quin etiam patet simul jam actum esse de victu ægri ad curationem morbi requisito (1097. ad 1114.).

PROPHYLAXIS THERAPEUTICA.

1116. **M**orborum causæ (737. ad 801.) accuratè cognitæ per sua signa (871. ad 1018) indicant sui ablationem, si ergo in partibus firmis hæreere considerantur, requirunt ablationem (b) destruend-

(a) Cardiacæ stimulantia in debilitate per oppresionem perniciosissima admodum sunt. Maximum cardiacum est ipsa debilitatio, quod sæpe neque unquam satis se monere, ait hic Boerh.

(b) Absoluta prima indicatione conservandi vitam agitur hic de secunda prophylactica dicta

tis , vel lædentis , externi , aut adunationem partium morbosè separatarum , vel separationem partium morbose unitarum , aut ablationem superflui , vel denique supplementum deficientis.


III7 Indicantia hæc (III6.) occurrentia in partibus majoribus , et sensilibus requirunt Chirurgiam , quæ tota occupatur , ut per suas operationes manu artifice peractas , vel per sua remedia applicata , hæc quinque dicta peragat. Ut videri potest apud optimos in his Auctores, Paræum, Hildanum, Solingen, Dionis , &c.

III8 Si vero in interioribus hæserint eadem (a) (III6.) , aliis remediis , licet in operatione ultima similibus sunt oppugnanda : inter quæ quum Venena sint primaria , primo de his agendum erit.

qua nitimur morbos prævertere, eosque veluti in semine suffocare. Hoc consequemur si morborum *Causas* delere possimus , antequam per ætatem in morbos adolescant.

Ludwigius , et Carminati indicationem istam Prophylacticam *Causalem* etiam in suis Therapeuticis vocavere.

(a) Inter causas omnes , quæ graviora mala producent *Venena* sunt primaria , et ita sunt ea , quæ majori cura dignoscenda atque suffocanda sunt.

III9  enena (a) velocia (796.) ingesta, vel applicata (744. I. 4.) causæ morborum factæ vi propria, vel corruptione prius inducta partibus infectis, indicant I. causæ venenatæ ablationem. 2. veneni jam suscepti, vel inevitabiliter suscipiendi correctionem. 3. aut ejus expulsionem ex corpore. 4. mitigationem symptomatum. 5. munitionem corporis contra

(a) Qui Entia ista malesanus applicare audet, gravissimè secundum omnem legem mulctatur. Legislatio Hispana adversus facinora ista justissime invehitur jubens venenatorem etsi effectu careat ejus crimen morte mulctandum esse; si vero effectum sortiatur debere mori immaniter, ignominiose à Leonibus, Canibus seu ab aliis ferocissimis Animalibus devoratos. Videantur ista in Collectione Legum Regii Proto-Medicatus Pag. 185. Ludovicus XIV. Exhibitores pulveris venefici camera ardenti ad eam rem constituta extingui jussit.

Viennæ Vespilliones scelestissimi lardo pestilentia defunctorum alios inficiebant, et necabant, quos in ultionem sceleris sepelierunt vivos. Boerh. prælect. in §. 1122.

Per venenum inteligitur hic illud quod per exigua mole corpori humano ingestum seu applicatum effectus producit maximos in perniciem vitæ ac sanitatis tendentes.

vim ingerendi, vel applicandi Veneni.

1120 Causa venenum spargens, atque communicans corpori, vel atmosphææ immiscens miasmata, vel corpori jam applicata illa miasmata inspirans, si sensibilis est et cognita, facilè auferitur. 1. tollendo rem venenatam, et quidem imprimis eam flammis vivis, magnisque comburendo. Aërem corrigendo, qui miasmata defert; quod ferè optime fit vaporibus densis rerum accensarum, vel calefactarum, quæ oppositam habent vim veneno cognito. Ut in peste, causticis alcalicis, halitibus putridis, conducunt fumi aceti, spiritus salis, pulveris pyrii: in acidis exhalationibus venenatis, sparsi odores spirituum alcalinorum oleosorum: aërem mutando, dissipando, renovando, per ventum arte factum; imprimis si simul per ignes magnos accensos transmitti queat arte Hippocratica, eum fugiendo, vel ad alteram partem montium aliorum transeundo. 2. Tollendo, vel corrigendo id materiæ venenatæ, quod corpore jam ingestum, vel et applicatum est.

1121 Venenum ipsum præsens cognitum corrigitur applicatione talium, quæ valent inertes reddere illas ejus qualitates, quibus nocet corpori.

1122 Quæ 1. in multis venenis hactenus vix noscuntur nisi deleteria tantum

facultate vix patente nisi per solam mortem infecti; 2. in aliisprehenduntur per mirabilia, et vix explicanda effecta; 3. in nonnullis per effecta in aliis notis morbis occurrentia; 4. denique in quibusdam intelliguntur à priori, quod ajunt, dum cognita veneni natura facillimè prævidentur.

1123 Priora (1122. 1.) dicta nocere toti substantiæ hactenus indicant accuratè opposita remedia, æquè parum intellecta, ac illa venena quoad scientiam effectus. Hæc propriè vocantur *Antidota*: *Antidoti*: *Alexicaca*, *Alexipharmaca*: *Alexitheria*: *Theriaca*. Quæ sola experientia cognita ex historia Venenorum peti debent.

1124 Secunda (1122. 2.) dicta obesse qualitate occulta similiter exigunt remedia mira, Specifica dicta, vix nisi mero casu inveniendâ, in historiam Venenorum referenda, inde petenda.

1125 Tertia (1122. 3.) antequam interimant, dum effectus prius morbosos producant, quibus ita corrumpitur fabrica corporis, ut in certis morbis cognitis (a),

(a) *Dypsas* serpens perimit hominem per sitim. Acidissima posca, spiritus vitrioli magna copia in aqua dilutus . . . in morbis magna siti conjunctis prossunt. Danda igitur ista in *Dypsade* demorsis.

requirunt ut adhibeantur illa remedia, quæ Medicina observavit valere in sanatione talium morborum, qui similibus effectis se distinguebant.

1126 Si cognoscuntur venena (1122.4.) applicata, vel applicanda corpori, tum vero opus erit illa medicamenta adhibere, quæ habeant præsentem promptam vim enervandæ malignitati illi cognitæ, hæc autem sunt quamplurimum opposita malignitate valida, ideoque nocitura corpori omnino, nisi illud prius venenum adesset.

1127 Unde cernimus veneni indolem cognosci quidem ex historia Physica, et Medicæ venenorum; ut et ex scientia Mechanica; tum ex Chémica; denique etiam ex Anatomica effecta exhibente. Atque Scientia hinc nata hic indicat (a).

(a) Ista omnia absolute præscienda. Inventio auxiliorum specificè venena extinguentium non mero casui relinquenda, sed ab obstinata Professorum applicatione, et industria confidenter expectanda.

Labor omnia vincit improbus.

Quodcumque sibi imperavit animus obtinuit. Seneca. De Ira. Lib. 2. Cap. 12.

Chémia recens, nova doctrina de corporibus gaseosis, ulteriori super Affinitatibus, quam uberrime amplificavit, aliqua optima huc facientia invenit, et absdubio inveniet.

Sed præ iis omnibus et super hæc omnia

1128 Atque ex illa habita indicatione (1127.) scitur remedii correcturi materies, præparatio, dosis, applicatio, moderamen.

1129 Primaria autem, et fere communia, contra omnia ferme venena, Antidota, quæ ideoque summi sunt usus ubi cognoscitur venenum datum, sed ignoratur singularis ejus natura, sunt hæc præcipuè: Aqua sincera, calidior paululum sanguine nostro salubri, affatim, subito, diu ingesta, injecta, applicata; tum lixivium leve ex aqua communi et saponе veneto, simili copia, modo, tempore, usurpata; aut aqua simplex saponacea facta cum oxymelle simili usu adhibita; olea blanda, recentia, pressa ex lenibus, pinguibus et farinaceis seminibus, statim, multum, diu hausta, injecta, applicata, vel similia ex oleo animalium recentium cum multa aqua subito decocta; tum plerumque in multis celeribus Acetum;

hac in re adeo difficili, atque funesta Dominus præsertim invocandus, adorandus. *Ipsi vero (Medici) Dominum depræcabuntur, ut dirigat requiem eorum (infirmorum) et sanitatem propter conversationem illorum.* Divina verba capit. XXXVIII. Eccles. v. XIV. in omnibus ægris in effectum à Medicis adducenda, dirigenda, in iis vero venenatis, contagiosis, pestilentibus reverentius, efficacius, impensius, in memoriam atque executionem revocanda.

denique et Opium. Generale autem antitoxicon prophylacticum nullum omnino cognoscitur hactenus, quin et repugnat tale esse.

1130 In dandis antidotis singularibus summa prudentia opus: quum enim hæc polleant singulari virtute corrigendi hujus, illiusve veneni tantum, habent ut plurimum violentiam æquè magnam, vel majorem, ac est illa, quam debellant. Ideoque hæc simul concurrentia in corpore, se mutuo destruunt, inertia evadunt, nec multum nocent: si vero adsunt solitaria, æquè noxia sæpe deprehenduntur, ac ipsa venena, quibus domandis exhibentur (a).

1131 Antidota autem hæc omnia sive universalia (1129.), sive singularia (1130.), fuerint, possunt, et debent ita præparari, applicari, dirigi, ut apta sint cito, perpetuo, intactis suis viribus, pervadere ad illa loca, in quibus hæret virus, atque ibi illud domare: debet ergo intelligentiæ Medici semper presto esse classis, quæ complectitur omnes diversitates ap-

(a) Sit exemplum, Oleum vitrioli (acidum Sulphuricum) et oleum tartari (Carbonas potassæ) seorsim data ventriculum exurunt; mixta eadem innocentem, et efficacem in chronicis malis tartarum Vitriolatum (Sulphatem potassæ) constituunt.

plicationum, quæ primariæ sunt aëris suffumigium; vapor siccus, vel humidus, ad pulmones, Haustus, Clysmata, Epithema, Balneum, Fomentum, Injecta in uterum, aut in vesicam, fauces, &c.

1132 Venenum susceptum expellitur ex corpore 1. minuendo resistantiam eo loco, per quem tutissimè expediri queat, ubi minus nocet, ubi exitui proximum habetur, ubi viscera vitalia minus lædit; tum enim vi Vitæ, vel Medicamentorum, eo pelletur, ibi expelletur. Id fiebat olim mirabili tum habito, jam industria Rhedi facilè intellecto, suctu Marsorum, et Psyllorum; hodie per cucurbitas magnas, validas, cum multa flamma applicatas, sæpe renovatas; per fomenta tepida et valde emollientia; per hirudines, scarificationes, frictions, calores, Emplastra. 2. Attractione magnetica, qua corpus vi singulari trahens venenum, ægrum liberat, ut de carne venenatæ bestię, de lapide Cerastis, calculo serpentum, et similibus narratur. 3. omni medicamento validissimè diluente, et movente; qualia sunt vomitoria cita, purgantia celeria, fortissima sudorifera, et forte diluentia diuretica. Unde Confectiones opiatæ, Diascordia, Mithridatia, Orvietana, Theriacæ (a).

(a) Electuaria ista alibi explorabuntur, et in *Criterion* adducentur. Vid. Not. in §. 1189.

prosunt, quibus tamen minus tuto fides adhibetur ut universalibus vel Therapeuticis, vel Prophylacticis antidotis. 4. partem toxico affectam quam ocyssimè auferendo, ne sincera trahat, quod caustico ex ferro ignito optimè fit.

1133 Symptomata sæva, venenorum effectus jam sensibiles, juxta doctrinam pathologicam non difficulter reducuntur in suas classes; tumque poterunt curari ac si essent morbi quidam singulares; de quibus postea agetur.

1134 Corpus munitur contra venena applicanda imprimis 1. usurpando largiter antidota generalia, et singularia, quæ modo tuta sint, si prius cognoscitur indoles ejus toxici, quod prævidetur applicandum. 2. partem corporis, cui metuitur, inungendo iis, quæ leniter oleosa (a). 3. omnes partes corporis retinendo in perspiratione æquabili: sed nullum tutum hic universale cognosci jam dictum (1129.), licet jactentur plura.

1135 Quæ autem de venenis hactenus (1119. ad 1135.) dicta, similiter intelligenda sunt etiam de Peste, contagio, et aliis. Videntur autem optimè dicta in-

(a) Medicus Pestis tempore, ægros inexcusabiliter visitaturus toto corpore oleo prius inungatur, et aerem inspiret per spongiam aceto-vini madidam.

telligi ex subsequenti præcipuorum toxicorum et antidotorum forte non inepto compendio.

1136 Enimvero i. nonnulla Venena possunt referri ad acria manifesto, sed ita ut acrimonia singularis sit, et tamen phlogistica, caustica, gangrænam creans, putrefaciens; talia sunt primaria

Cobaltum.

Arsenicum citri-
num.

Arsenicum ru-
brum.

Arsenicum album
sublimatum.

Realgar.

Lapis Armenus.

Lapis Lazuli.

Hæc applicata internè, externè, inflam-
mant, erodunt, dolores, ardores, sic-
citates, primo in primis locis læsis, mox
in toto corpore excitant; hinc ori, fau-
cibus, œsophago, ventriculo, intestinis
morbos acutissimos inflammatorios creant;
nauseas, vomitus, dysenterias, choleram,
Ileum inflant; palliditatem lividam pro-
ducunt; inde vertigines, convulsiones,
mortem, aut hac evitata, pallorem, pa-
ralysin, contracturam. Indicant Aquæ
tepidæ, acidiusculæ, mellitæ, copiosum,
diurnum, bibendo, injiciendo, balnean-
do, usum promptissimum. Si vomitu, et
alvo rejici potest, eo melius, et magis re-
petendum. Jura pinguia, lac, olea, oleo-
sa, butyrum, prosunt. Deinde requirunt

usum diuturnum laxantium , mollium,
pinguium , acidulorum , tam ingerendo,
quam balneo.

1137 Ex vegetantibus similia (1136.)
fere sunt

Aconita.	Grana Nubiæ.
Anacardium.	Helleborus albus,
Anemone.	niger,
Apium risus.	viridis.
Apocynum.	Hermodactyli.
Arum.	Hyacinthi.
Azedarach.	Laureola.
Cataputia.	Mezeræum.
Chamælaea tri-	Mel (a) venenatum.
coccus.	Napellus.
Chamæleon niger.	Nigella Sylvestris.
Clematitis.	Oleander.
Colchicum.	Ranunculi.
Corona Imperia-	Ricinus.
lis.	Scammoneum.
Cyclaminum.	Semina oleosa , diu-
Dracontium.	turna corruptione
Elaterium.	acriter rancida
Esula.	facta.
Euphorbium.	Tithymali.
Flos Africanus.	Thapsia.

(a) Si de Apocyno Syriaco , quod muscas
necare solet apes mella paraverint , vis ipsa
terrifica in mel transivit , et ita mel istud,
recens præsertim venenum est.

Horum effectus fere similes ac modo dicta (1136.); quin et indicatio perfectè eadem.

(1138) 2. Alia violenta quidem sunt et acria venena, ita tamen ut simul quasi viscosa, in ventriculo hærentia, et singulari modo cerebrum, nervosque inde afficientia: ut sunt

Chrysomela.	selino similis,
Cicuta major,	Aquatica Ges-
minor Petro-	neri.

Huc ob aliam causam refer

Crocum.	lio, succo vi-
Datyra.	roso.
Hyoscyamus.	Opium.
Nux vomica.	Solanum Melano-
Oenanthe apii fo-	cerasos.

Hinc vertigines, scotomiæ, deliria, furores, nausæ, vomitus, dysenteria, convulsiones horrendæ, apoplexia, mors. Indicant præsentissimum usum promptissimi vomitorii; aquosa oleosa, mellita, acidula, ingenti copia ilico ingerenda, assiduè repetenda, per clysmata, balnea, potus. Sedato morbo sudorem per Theriacalia fortem, et sæpe repetitum. Tum diætam mollem, et tenuem.

1139 3. Sunt venena acria manifestata aciditate; ut nempe.

Spiritus Salis.

Spiritus Nitri.

Aqua regia.

Aqua fortis.

Spiritus sulphuris,

Spiritus aluminis et

vitrioli.

Eadem acida unita metallicis corporibus, et hinc validissima, ut sunt

Solutio Auri, atque ejus Crystalli.

Solutio Argenti, et ejus vitriolum,

Lapisque infernalis.

Solutio Cupri, at-

que inde

Sal.

Solutio Argenti

vivi in Spiritu

Nitri,

Salis,

Aqua forti,

Aqua regia,

aut ejus calcinatio cum oleo vitrioli; et hinc natus

Mercurius præcipitatus ruber,

albus,

viridis;

sublimatus

corrosivus et

dulcis;

calx,

turbit.

Imprægnatio antimonii cum aqua regia, et hinc

Calx escharotica.

Ab his nascuntur saporēs horrendi, fœtores acidi, inflammationes, erosiones, escharæ gangrænosa, nausæ, vomitus, dysenteria, cholera, tormina atrocissima, cardialgia, Iliaca, colica, tumores ad glandulas, cadaverosus fœtor, salivatio, syncope, mors. Petunt hæc dilutionem per aquea; obtusionem per olea; inversionem per lixiviam saponacea, vel leviter alcalica; absorbentia fortissima acidorum; deinde vero, impetu sedato, frequentem usum olei, juris pinguis, et similium emulsionum.

1140 Tum 4. alia venena acria manifesto alcalina cognoscuntur; suntque cineres ustorum vegetantium.

Alcali inde factum;

Idem cum calce saxi usti igneum redditum.

Ova, humores, caro, omnino putrefacta;

Sales inde separati;

Idem ignei facti per sublimationem ab alcali fixo, calce, lapide calaminari, creta, ferro, &c. hæc autem creant citissimam, violentissimam, igneam inflammationem, erosionem, gangrænam, dolores urentissimos ubique, sitim immanem, convulsiones, febres acutissimas, fœ-

torem cadaverosum, dissolutionem intimam humorum, putrefactionem horum et viscerum, mortem. Petunt autem ad curationem dilutionem per aquosa laxantia, obtusionem per oleosa, pinguia, terrestria pinguia; inversionem per acida diluta, volatilia, facilè mobilia; deinde diætam diuturnam ex acidulis, oleosis, emollientibus.

1141 Et 5. quædam habentur acrimonia singulari sæpe lethalia, ita tamen ut illa acrimonia vix se manifestet alio, quam deleterio in homine, effectu.

Æs	lando parata.
Æris calx usta.	Ut et Vitrum hinc
Æris calx per corrosiva.	factum.
Æris flos.	Flos Antimonii
Ejus squamma.	sincerus solo
Antimonii crocus.	igne, aut et
Ejus calx ustulando	ope salis ammoniaci factus,
	dein ablutus.

Hæc asumta nauseas, vomitus, dysenterias, choleras, hypercatharses, dolores atroces viscerum, spasmos, tetanos, syncopas, anxietates horrendas, mortem creant. Exigunt pro curatione diluentia, emollientia, obtudentia, acida, mellita, supernè, inferne, externè, statim, diu, usurpata; deinde opiata, et oleosa.

1142 Quin etiam numerantur 6. Venena acria mere mechanica.

Adamas.	Alumen plumo-
Crystallus mon-	sum.
tana.	Vitrum contu-
Limatura ferri.	sum.
Limatura Æris.	

Et similia. Hæc pungunt nervos, vulnerant vasa, convulsiones, hæmorrhagias excitant, inde ulcera, et similia mala. Indicant usum olei, butyri citum, copiosum.

1143 7. Sunt toxica quæ constringendo, incrassando, obstruendo, exsiccando, cita vel lenta morte perimunt.

Calx viva, et ex-	Vitrum,
tingta forte huc	Lithargyrium.
spectat.	Cinis stanni usti.
Gypsum (a).	Synopis.
Plumbi minera,	Psylli semen.
Limatura,	Cynosbati spon-
Squamina,	gia.
Calx,	Fungi.
Cerussa,	Agaricus.
Minium,	Viscum.

(a) Gypsum odore, et sapore carens funestissimum est. Liquida exugit, obturat vasa resorbentia. Possent hæc resolvi adsumpto acido.

Hæc conglutinant, constringunt, præfocant, misserrimos hinc morbos, et sæpe, post omnem miserabilitatem languorum tolerantium, mortem creant, Demonstrant necessitatem usus vomitorio-
rum, purgantium, diluentium, acidorum spirituosorum, alcalium oleosorum spirituosorum, saponaceorum omnium; quæ cito et diu continuato, vel repetito usu adhibenda.

1144 Octavo denique habentur venena heteroclita, toti vitæ adversa, nec, explicato (a) effectu vel virtute, hæctenus bene nota, quæ assumto, applicatu, aut ictu, mortem inducunt.

Plumbum gustu Sacharino nocet pessime. Cavendum ab usu Cerasæ (albayalde). Aquæ vegeto-mineralis Sachari Saturni... Istud Canes et feles reddit anxios, rabiosos, et eos occidit. Acida prodesse possunt debite administrata.

(a) Animalia venenata varia diversos effectus producant. Aspis somnum ciet, cerastes tetanum facit, Bufo tumores, ut homo pene crepet, et convulsiones. Vipera icterum, seps gangrenam, Scorpius febrem acutam, et convulsiones, Lepus marinus tabem pulmonalem, Pastinaca marina Hepar infestat, Dyspas Oesophagum, sitimque facit perpetuam, Cantharides urinæ vias exagitant...

Effectus isti aliquam lucem offerunt ad ista venena utcumque dignoscenda præcavenda; atque domanda, et expellenda.

Cantharides.	Canis rabidus.
Aranea.	Bufo.
Tarantula.	Buprestis.
Aspis.	Stellio.
Vipera.	Salamandra.
Cerastes.	Lepus marinus.
Prester.	Pastinaca marina;
Seps.	et similia.
Scorpius.	

Hæc varios, miros, vix explicabiles effectus edunt, dein necant. Indicatio in his, si internè assumta sunt, statim evacuare per vomitum; summopere diluere per aquosum; maximè emollire per laxantia, emollientia, oleosa; putrefactioni resistere per acida spirituosa, et salina. Si externo ictu, morsu, applicatu, agunt, tum indicatur veneni eductio per locum contagii, sugendo, scarificando, urendo, emolliendo, fovendo, tum sudorem fortiter eliciendo per antidota penetrantia, diluta, putrefactioni adversa; Veneni enervatio per acida, salina, vel per specifica antidota.

II45 Ultimo sunt quædam uno momento specie halitus suffocantia, ut

Carbonis clausi vapor.	diu reclusus.
Aer subterraneus	Halitus vini fermentantis.

Farina volatilis Fumus sulphuris.
 fungi O pernici- Et similia multa
 ciosi. potius tacenda.

Hæc ex præcedentibus intelliguntur
 pulmoni, nervisve applicata, aut vix sa-
 nari queunt (a).

(a) Horret Animus meminisse tot cladium,
 atque ærumnarum, quibus expositus est infelix
 homo adeo aliunde elatus, atque superbus. No-
 vem clases Toxicorum in isto capite sunt pro-
 positæ, et quorum sanatio in Prophylaxi, sive
 Præservatione, removendo ea, seu inertia red-
 dendo consistebat. Si enim in actum jam re-
 ducta, et morbum ipsum jam produxerint, iners
 est Medela... Moriendum!

Medici antiqui jam de Venenis cicurandis
 trataverunt. Nicander Theriacam, et Alexiphar-
 maca in duo Poemata græca copulavit quo-
 rum Commentationem notasque Joanni Gorræo
 Medico Parisiensi debemus. Jacobus Esteve doc-
 tissimus Medicus Valentinus Theriacam Nican-
 dri versu heroico latino vertit, et maximis ani-
 madversionibus ornavit. Valentini Anno 1552.

Mathias Garcia ejusdem Universitatis Va-
 lentiniæ Doctor et Professor amplam hac de Re
 Tractationem evulgavit Ann. 1677.

Aliique plures...

Recentiores Medici de iisdem Toxicis per-
 tractant inter quos Richardus Mead, Lindes-
 tolphius... et Boerhaavius eminent, et iste ins-
 tar omnium consulendus. Doctissimus Gaubius
 de istis in communi pertractavit Capite de Po-
 tentiis, quæ virus habent à §. 486. ad 501. quod
 merito videndum.

MITIORUM MALORUM PROPHYLAXIS.

1146 **C**ausæ autem remotiores morborum, sensu cognitæ, facile mutantur, aut tolluntur: nam indicant mutationem (a) in sex rebus nonnaturalibus.

Horum doctrina deservire admodum potest ad venena, et antidota dignoscenda: ad cadavera veneno interfecta distinguenda et coram Magistratibus dijudicanda, in quo bivio summa scientia, atque prudentia nobis omnibus Professoribus commendanda, imo imponenda, et denique ut venena ista letifera in salutiferam Theriacam, quoad fieri poterit convertantur. Ast hoc prudenter, et circumspectè!

In hoc negotio utilisimo primus exproffesso insudavit Melchior Friccius Medicus Ulmensis Tractatu *de virtute venenorum Medica*, qui Ulmæ An. 1693. et 1701. prodiit. Ant. Storck Archiater Spartam istam ornavit suis Tentaminibus super Aconito. Cicuta . . . aliisque plantis venenosis.

Utinam Res ista impensius à Viris doctissimis, majorem lucem præmonstrante nova chemia, ulterius hodie excoleretur, et factis in Brutis horum Entium energicorum experimentis ad hominum vitam conservandam; morbosque terribissimos, aliasque indomabiles sanandos accommodarentur! Utinam, et Deus faxit!

(a) Post malorum indomabilium doctrinam

1147 Si autem eadem (1146.) magis tectæ sunt, tamen cognitæ per sua effecta (a) sensibilia, indicant per hæc sua phænomena remedia apta.

1148 Decursus etiam horum phænomenon (1147.) ritè observatus docet nos, quo auxilio, tempore, ordine, modo, et via utendum sit, ut causa morbi proxima in corpore humano corrigi, vel expelli queat.

1149 Quin etiam docet nos accurata observatio eorandem, quid deficiat, et quæ supplementa adhibenda sint.

1150 Ut et qui motus excitandi, sus præcedenti capite super causis eorum destruendis, seu amoliendis proposita, intendere etiam debemus Medici Causas alias morborum, quamvis mitiores destruere, et ita morbos ex eis sequuturos præcavere. Ad ista consequenda traditur hic à Boerhaavio selectissima doctrina à Tyronibus discenda, et ab ipsis Medicis jam factis in usum postea revocanda.

Ætiologia tota, tota semeiologica, atque Chirurgia, huc ad Rem istam ut §. 1116. innuitur advocandæ.

(a) Traditur hic optima atque aurea Methodus Hippocratica ad cognitionem Causarum et morborum per effecta sensibilia. Et si adhuc causæ valde tectæ supersint Phænomena cognita indicant remedia ad hæc phænomena apta. Licet nesciam, quid sit venenum Variolarum, (ait hic Boerh.) methodum tamen ex ipsis effectibus deduco.

tinendi, sopiendi, minuendi sint in eundem scopum.

1151 Ordinata igitur in his, et exacta cognitio effectuum docet egregie correctionem, et ablationem causæ.

1152 Unde etiam cognoscitur, quod hactenus duplex via sit cognita, qua itur in cognitionem causæ, nempe methodica, vel specifica dicta.

1153 *Methodica* quidem, ut cognoscat causam proximam, et tollat, utitur his auxiliis (a), et viis.

1. Accuratissimè explorat et ordinat phænomena (1147. ad 1152.), observatque sollicitè naturæ decursum.

2. Si videt vitam labascere in iis agendis, quæ ad expugnationem causæ morbi requiruntur, illi succurrit per cardiaca (1095. ad 1116.) administrata, vel per ablationem impedimentorum, quo evacuantia mali præternaturalis ducunt.

3. Ubi autem cernit actiones vitæ nimis insurgere, adeoque causam morbi magis intricare, quam extricare, tum ad-

(a) Optima hic, admodumque methodica doctrina traditur, medulitus introspicienda, et summa cura in exercitium revocanda. Quarta Regula optima est, sed est æque difficilis. Boerhaavius promittit in Prælect. nullum morbum adeo tenebrosum esse, quin ex his regulis aliquid videri queat.

hibet modèramen , ut reducantur ad eum gradum impetus , qui hic requiritur ; quod efficit per aquosa , evacuantia , blanda laxantia , mollia glutinosa , evacuantia causam materiale virium , opiata , anodyna.

4. Nihil omnino agendo , vel mutando , nisi quod evidentissimè cognoscitur faciendum ex indicatione clarissima.

1154 *Specifica* autem dicta tollit causam morbi simpliciter applicando tale quid , quod solo usu novit eo valere , non attendens ad illa quatuor modo dicta (1153). Quærit ergo nomen mali , et remedium ; ut in cura febris intermittens per corticem peruvianum (a) , doloris per

(a) Hic febrem directe tollit , quatenus febris est , et in febre tertiana absque alio humorum viscerumve malo verum specificum est , quale opium est in ratione nimiorum motuum , qui ab animali facultate pendent , verum hæc methodus magnas requirit cautelas. Nam , si aliud cum febre malum conjunctum fuerit , id adeo non sanat cortex , ut deterius reddat , sive cacochymia fuerit , sive viscerum tabes. *Sed velox pigritia medicastrosum* ad auditam vocem febris intermittens , continuo quinquinam inclamat. Hæc Boerhaavius docte , sapienter , atque judici summo prolata à Medicis omnibus attendenda ut ab empiricis , et medicastis discriminentur.

Opium etiam quando adest cacochymia vel plethora , vel inutile est , vel noxium. (§. 1256).

opium, veneni singularis cujusque per cognita sua singularia, propria, corrigentia, vel attrahentia, aut expellentia antidota.

INDICATIO CURATORIA IN MORBIS SOLIDI.

1155 Si ipse morbus hæret in parte solida simili, cognitus facillimè præbet indicationes suas (a).

1156 Etenim si est unitas ibi soluta requirit ad curationem 1. ablationem rei peregrinæ, vel mortuæ, interpositæ inter partes separatas. 2. harum adductionem ad se mutuo usque in situm naturalem. 3. quietem non turbatam in hac ipsa adunatione. 4. conservationem in naturali sua humiditate, calore, mollitie. 5. conglutinationem iterum naturalem ope advecti, applicati, moderati, sani, liquidi nutritii.

1157 Tria priora efficit dextra Chirurgi; quarto conducunt balsama, un-

(a) Agitur hic de tertio munere Medicis in morborum curatione §. 1067. imposito, quo præscribitur: *auferri ipsum morbum*, sive curare illum.

guenta, olea, mollia, blanda, putredini contraria.

Balsami de Tolu,	Medulla;
Peru,	Unguenta,
Palma,	Balsamus Arcæi,
Copayva,	Unguentum basili-
Mecha,	cum;
Terebinthina na-	Oleum præssum oli-
tiva,	varum,
Butyrum,	seminum lini,

eadem cum floribus herbarum balsamica-
rum digesta, ut

Oleum hiperici, Liliorum alborum.
Verbasci, Et quæ ex his in-
Altheæ, finita alia.
Agrimonix,

Quinto satisfat præscriptione requisi-
tæ in ægro diætæ. Vid. §. 1097.

1158 Rigiditas nimia partium solidarum cognita indicat laxationem earundem: quæ obtinetur 1. fotu, balneo, potu, injectu, vapore aquæ tepidæ (a). 2.

(a) Nihil in his malis potentius est aqua tepida quæ sub vaporis specie se insinuat. Sæpè felicem eventum vidi, et rustici memini cui genu anchylosi coaluerat. Ego miserum quotidie per duas horas in balneum Vaporis po-

iisdem modis applicato decocto leni emollientium vegetabilium:

Althea.	Cicerum,
Malva.	Lini,
Verbascum.	Malvæ,
Acanthus mollis.	Cydoniorum,
Parietaria.	Tritici,
Mercurialis.	Avenæ,
Semen fœni Græ-	
ci,	

prosunt. 3. iisdem modis applicato molli oleo. (1157. 4.) 4. moderato, sæpe renovato, motu.

1159 Flacciditas nimia partium solidarum cognita indicat roborationem earundem: quæ obtinetur 1. Cardiacis iis, quæ descripta habentur (1107). 2. majori motu corpori applicato per frictiones(a),

sui, deinde bene fricare curavi, et toties oleo perfundi. Ita aliquoties repetito remedio convaleuit. Boerhaav. hic. Ista aqua lapsu in partem morbosam destillata, seu per embrochen præstat. Antlia aquisgranensis ubique potest adaptari.

(a) Hippocrates Lib. de Officina Medici hæc scripsit: *Frictio* potest solvere, ligare, carne implere, minuere. Dura ligare, mollis solvere, multa minuere, moderata carne implere. Videantur ista, et Galeni in ea Commentaria apud Charterium Hip. et Gal. Op. omnia tomo XII. Pag. 94. Textu XXIV.

vectiones, exercitia, ut callositas paululum densior concilietur parti. 3. calore sicco. 4. simili victu, et aëre.

1160 Ex quibus etiam patet, quid agendum sit in elasticitate aucta, vel imminuta, in debilitate nimia fibræ ultimæ; in fragilitate ejus; in nimia ejus contractione, vel distractione (a).

1161 Morbi partis solidæ organicæ hærentes in mole, situ, cohæsiōe, indicant quæ jam dicta (1116. 1117. 1118).

1162 Reliqui autem morbi in partibus solidis præsentés, pendent imprimis à vitio fluidorum (vid. Aetiologiam totam Pathologiæ.); quare nos jam ducunt ad considerationem hujus.

Galenus toto fere Libro II. de Sanitate tuenda de Frictionum utilitatibus tractavit. Character. Tom. VI. Pag. 66. (vid. §. 433. N. à.)

(a) Horum morborum simplicissimorum Curatio alibi proponenda. (Aphor. 21. ad 37.) Repeto addendam considerationem Morborum solidi Vivi. (Vid. §. 700. N. à.)

INDICATIO CURATORIA IN
MORBIS CORRIGENS FLUIDA.

1163. Humores in morbo peccantes perspecti indicant sui immutationem, vel evacuationem (a); idque, vel in toto, vel in una parte affecta.

1164. Vitium humoris in una parte singulari hærens semper ponit, vel tenacitatem liquidi, vel malam conditionem solidi, et ideo indicat mutationem in meabilitatem tam viæ, quam materiæ.

1165. Materies in loco nimis tenax, mobilis, et meabilis, redditur

1. Per diluentia aquosa, tepida, specie potus, fodus, vaporis, balnei, injecti, applica eo modo, ut quam proximè loco obsessio adsint, ac fieri potest.

2. Per salina resolventia similiter apposita.

Nitrum.	Sal gemmæ.
Sal prunellæ.	Sal marinus.
Sal polychrestus.	Sal ammoniacus.
Nitrum stibiatum.	Flossalis ammoniaci cum sale alcali fixo.

(a) Ab his duabus indicationibus oritur divisio summa medicamentorum in *Alterantia*, et *Evaquantia*. Hic de alterantibus sermo insituitur.

Sal Borax. Sales alcalini vola-
 Fel vitri. tiles.
 Sales vegetan- Tartarus solubilis.
 tium ustulato- Tartarus regenera-
 rum. tus;
 Sales alcalini fixi. sunt præcipua.

3. Per saponacea

Ex oleo presso et alcali fixo.

Ex oleo stillatitio et alcali fixo.

Ex oleo presso et alcali volatili.

Ex oleo stillatitio et alcali volatili.

Bilis animalium eo spectat.

Et succi plantarum abstersivi

Lactucæ. Scorzonæræ.

Chondrillæ. Tragopogoni.

Sonchi. Cichorei.

Hieracii. Endiviæ.

Taraxaci. Saponariæ (a),

hic præcipui, et egregii. 4. per illa, quæ

causæ singulari coagulum facienti con-

(a) Ista conveniunt maximè quando glu-

ten adest. Aliquando in tota massa humorum

diathesis crassa dominatur, tunc sapo cum Sac-

charo, vel melle sunt medicamentum optimum

quod ferè omnia dissolvit. Huic morbi abdo-

minis pertinacissimi cedunt. Ejus constantia la-

xat, solvit, et per omnia emunctoria humores du-

cit, expellit. Succus recens uvarum similia facit.

traria sunt. Ut in coagulo per acida facto usu alcalium leniorum ; in coagulo glutinoso et pingui usu saponaceorum ; in coagulo à quiete usu salium et saponaceorum ; in coagulo phlogistico , nitrosis, et saponaceis herbaceis.

5. Per Cardiaca (1112.), salina , aromatica , oleosa , spirituosa , quatenus ut stimulantia considerantur.

1166 Via impedita redditur meabilis
 1. aperiendo meatus potu , fotu , vapore, balneo aquæ calidæ , emollientibus et salinis temperatis medicatæ ; calore moderato ; frictione sicca , vel humida , calida. 2. idem fit materiem impactam una cum vasis oppletis fovendo , molliendo, agitando , coërcendo , ut emollitio , putrefactio , suppuratio , totius loci affecti resolutio in pus fluidum contingat. Huc faciunt

Farinæ blandæ,	Fabarum,
lentæ,	Pisorum,
Tritici,	Lentis,
Secalis,	Orobi,
Avenæ,	Fœni græci &c.
Lini,	

tum Radices emollientes

Malvæ,	Ceparum	assa-
Bismalvæ;	rum;	
Liliorum	albo-	Flores
rum,		Althææ,

Verbasci,	Vitelli ovorum.
Meliloti;	Gummi aromatica
Folia	cacia,
Malvæ,	Ammoniacum,
Bismalvæ,	Galbanum,
Acanthi,	Opopanax,
Mercurialis,	Sagapenum;
Parietariæ.	Butyrum recens,
Ficus.	

tum quæ ex his forma cataplasmatibus, unguenti, emplastri componuntur. 3. materiæ sic præparatæ viam aperiendo per sectionem scalpello factam, vel per caustica applicata.

1167 Humoribus vitia in tota massa eorum peccantia cognita prius juxta doctrinam Semeiotices (910. ad 918.) indicant sua remedia contraria.

1168 Nempe fluiditas nimia requirit inspissationem; quæ acquiritur 1. victu gelatinoso ex animalibus, et vegetantibus. 2. potu aquoso farinoso non fermentato. 3. aucta actione viscerum per ea, quæ præmemorata (1159.) 4. usu idoneo Cardiacorum (1107).

1169 Spissitudo autem, si peccat, exigit attenuationem: hæc procuratur 1. victu ex cibis inprimis fluidis, et levibus; jura carniū cocta cum oleribus moderatè attenuantibus,

Endivia,	Brassica, et
Cichoreo,	Panis optimè fer-
Chærophyllo,	mentatus,
Apio.	conducunt.

2. Condimentis acrioribus,

Sinapi,	Cochlearia,
Erysimo,	Capsico condito,
Eruca,	Cepis,
Sisymbrio aqua-	Porrìs,
tico,	Alliis,
Nasturtio,	Aromatibus orien-
Raphano horten-	talis et occi-
si et rusticano,	dentalis In-
Lepidio,	diæ, &c.

3. Potu acriore, fermentato, vetustiore, spirituosò, aromatico, cerevisia, viño, hydromelle, vino in spiritus converso.

4. Diluendo (a) potu fotu, balneo, injectu aquosorum adjuutorum per calorem, vel et motum cursus, exercitii, frictionis, equitationis, vectionis.

(a) Multi sanitatem amiserunt quia partem primam hujus consilii potibus theæ et coffee . . . explevere, et partem alteram exercitii, equitationis neglexerunt. Jungenda igitur documenta ambo.

5. Per valida stimulantia sudorifera, diuretica, purgantia, vomitoria, epispastica, mercurialia, aromatica, de quibus postea (1189. 5).

6. Per valida resolventia, ut sunt alcalini fixi, volatiles, saponacei (1165. 2. 3. 4.) sales, atque ea, quæ ex his componendo fiunt.

1170 Motus vero nimius humorum quorumcunque per vasa circumducendis, secernendis, excernendis humoribus dicata, indicat sedationem ejus, quæ fit.

1. Ablato illo singulari stimulo, qui fibras irritans motum illum excitat; aut et correctione ejus per sua contraria; cognoscitur imprimis indagine acris, et correctione ejus statim secutura (1172. ad 1178).

2. Imminutione totius massæ fluidorum.

3. Quiete inducta per opiata, et anodyna.

1171 Idem ille motus nimium imminutus exigit excitationem majoris impetus, qui produci potest

1. Ablato impedimento per remedia corrigentia, vel auferentia.

2. Ope Attenuatum (1169.) et Cardiacorum (1095. ad 1115).

1172 Acrimonia (a) humorum in ge-

(a) Quam frequens sit morborum Clasis ex

254 INDICATIO CURATORIA IN
nere cognita (911.) etiam in genere in-
dicat reductionem acrimoniæ ad inertiam
majorem ; hæc autem efficitur

I. Victu assiduo ex iis alimentis , quæ
fere insipida , farinacea , gelatinosa , blan-
dè oleosa , qualia sunt lac cum pane et
paucis acidum prohibentibus. Jus carnis
recentis , junioris , coctione , vel expressio-
ne , paratum. Carnes , piscesque recentes.
Panis triticæus bene fermentatus , per-
fectè coctus.

acrimonia , quam late pateat hæc doctrina , soli
boni observatores practici norunt ; mirum inde
cuivis videbitur quod humorum vitia ab acri-
bus derivanda à multis hodiedum Medicis ne-
gligantur. Hæc Dejeanus in Path. Gaub. §. 306.
Iste Vir doctissimus longo sermone *Acritates
morbosas humorum* persequitur à § 289.

Ex hujus Viri doctrina primus morborum acris
fomes situs est in commercio multiplici homi-
num cum externis rebus Aere , cibo , potu , mias-
matibus , contagiis , inedia , circuitu humorum
velociori , calore immodico , stagnatione , ano-
malia illorum motuum , quibus coctiones , se-
cretiones , et excretiones , peraguntur crudita-
te , materiæ excrementitiæ retentione . . . aliisque.

Effectus hujus genericæ acrimoniæ (§. 911.)
sunt pruritus , dolores , spasmi , convulsiones . . .
echimoses , pustulæ , ulcera , evaquationes nimix ,
atrophia . . . læssis ab isto acri tribus nostri
Corporis facultatibus , nempe vi coherentix , vi
sensitiva , et vi motrice seu vitali , ut addit De-
jean in Comm. §. 306. ex Gaubio eodem.

Amygdalæ bonæ , recentes.

Nux Cocos utriusque Indiæ cum suo lacte.

Pistachia.

Fructus horæi suaves perfectè maturi.

2. Potu aquæ (a).

3. quiete animi , et corporis.

4. Diluentibus aquosis , lenientibus farinosis , et suboleosis , emollientibus blandis ; quæ fiunt specie ptisanæ , emulsiōnis , fomenti , balnei , haustus , clysmatis , injecti.

5. Opiatis , et anodynis.

1173 At acrimonia Acida (b) (913.) petit correctoria sua ; ut sunt

1. Victus ex ovis , carnibus , piscibus , suboleosis , una cum condimentis humores in alcalescens determinantibus (1169. 2).

2. Potus aqueus , vel oleosus pinguis , ut ex Cerevisiis , imprimis

Brunsvicensis ex Vinis ,
Mumma; Malvaticum,

(a) Nihil Natura dedit magis oppositum acrimoniæ. Omne enim acre domat aquæ potus. Ista est materiæ salinæ , optimum , atque efficacissimum menstruum.

(b) Causæ hujus acrimoniæ acidæ sunt: Immoderatus usus acidorum aut acescentium , Debilitas Viscerum præsertim primæ digestionis , Inertia defectusve succorum præparantium , ma-

Canariense, Hydromel merum
Hispanicum, et vetus.

3. Quies primo, quamdiu acor ingens prædominatur, postea motus sensim auctus, et tandem satis magnus; animi hilaritas.

4. Medicamenta acidum *a.* absorbentia,

Lapis cancrorum; Terræ pingues (*a*),
Chelæ cancrorum, Armenæ,
Ossa piscium, Lemniæ,
Ostracodermata Sigillatæ,
quælibet, Lapis Hæmatites,
Conchæ, Sanguis draconis,
Margaritæ, Limatura ferri,
Corallia, Stannum,
Creta,

et similia, igne, atque tritu, potentiora.

b. Acidum convertentia in salem compositum blandum et facile meabilem, ut sunt sales alcalini volatiles, fixi, saponacei.

ximè bilis, potentia acidum phosphoricum in corpore generandi... Gaubius. Path. §. 307.

(*a*) Istæ in ore deliquescunt. Causa est in sulphurea molli suavissima pinguitudine, quam conjunctam habent omnia acria inhibentem.

Obtundentia idem blanda oleosa virtute (1157. 1158. 2. 3.) emollientia.

Diluentia aquosa mollia (1172. 2. 4.)

1174 Rursum detecta acrimonia Alcalina (a) (912.) exigit.

1. Diætam ex lacte animalis herbis mollibus pasti, ejus sero, lacte deflorato, lacte ebutyrato; ex fructibus horæis; ex farinosis acidis, vel facile acescentibus (1100).

2. Potum aquosum, farinosum, subacidum, vel fermentatum leviolem.

3. Quietem, frigus moderatum.

4. Medicamenta quæ alcali destruendo illud in salem compositum blandum, et facile meabilem convertunt, ut sunt acida fere omnia; ex Animalibus serum lactis acidum, lac ebutyratum, lac acidum factum; ex Vegetabilibus,

Acetosa,

Cerasa acida,

Acetosella,

Ribesia,

Oxys trifoliata,

Baccæ sambuci,

(a) Cause acrimoniæ hujus alcalinæ volatilis sunt: Abusus vegetabilium acrium, quæ hoc sale scatent, ex. gr. Cochlearia, Nasturcium, Raphanus, Cepæ, Allia, Sinapi . . . de quorum natura alkalina, sive acida dubitatur hodie. Aromata calidiora, eorum usus quæ nativo sani corporis sali admixta alkali volatile ex eo evolvunt, ejusmodi sunt sales lixivii, sapo, Calx. . . Gaub. Path. §. 310.

Berberis fructus,	Acetum,
Succus Aurantii,	Acepti Spiritus,
Citrii,	Aceti fœx,
Limonii,	Tartarus Rhenanus,
Omphacium,	ejus cremor
Vinum Rhena-	ejus crystalli,
num;	Tamarindi,
Mosellanum,	Acaciæ succus, &c.

ex Fossilibus

Spiritus Sulphu-	dulces, aut conges-
ris, seu	ti in aliquod cor-
Vitrioli	pus, ut nitrum ni-
Salis,	tratum, sal mari-
Nitri,	nus acidus reddi-
tam puri, quam	tus, &c.

Quæ illud obtundunt insorbendo, ut
sunt multa,

Trochisci V. C. Terræ omnes pin-
de viperis (a), gues, molles,

(a) Dubitatur hodie an Viperarum caro aliquid habeat speciale pro acrimonia ista curanda. Dum lis sub iudice est ego Trochiscos istos amplector, et viperarum jusculis frequenter per lustra VI. et amplius praxeos clinicæ usus fui pro morbis eutancis præsertim debellandis, pro restauratione virium... suc-

Antitoxicæ habi- Armena,
 tæ, Lemnia, &c.
 Melitensis,

vel obvolvendo, ut omnia olea lenia,
 recentia, pressa, sulphura viva, et depu-
 rata, horumque flores.

Diluentia aquosa mollia (1172. 2. 4.)
 1175 Acrimonia Muriatica (a) inventa
 (914.) indicat.

1. Diætam perfectè insulsam.

cesu non contemnendo, imo si fas est dicere sat
 felici. Bassianus Carminatus Med. Doct. The-
 rapeutices, Chirurgiæ, ac Pharmaciæ in Tici-
 nensi Gimnasio Profesor Regius, carnes istas
 post accuratum examen Chemicum, Pathologi-
 cum... commendat, atque virtutem earundem
 extendit ad strumas fundendas, et suppurandas.
 Vol. 1. Opuscul. Therapeutic. Paviæ. A. 1788.
 Opusc. IV. Celebr. Morgagnus (ab ipso Carmina-
 to citatus licet inexaete) eas etiam commendat.
 De Sedib. et Causis Morb. Lib. IV. Ep. LV. ART. 15.

Hieronimus Ximenecius de elephanthiasi lo-
 quens ait: cæterum nihil æque ac viperarum
 usus huic malo succurrere videtur. Ergo et
 theriaca, et theriaci pastilli, et sales itidem
 theriaci, et vinum in quo viperâ extincta sit,
 statim à balneo sumpta prossunt. ita elegan-
 ter et docte lib. IV. Inst. medic. cap. XXVI.
 pag. 444.

(a) Salis cibarii abusus maximè cum potio
 aquæ parcior est, nec sufficiens illius per uri-

2. Potum aquosum levissimè acidulum spirituosum.

3. Medicamenta emollientia, farinosa,

nas evacuatio, acrimoniam muriaticam per humores diffundit. Hæc Gaub. Path. §. 315.

Acrimonia ista communis est Classiariis præsertim, qui salitis omnibus affatim utuntur, quibus inter alia siccitas, et rigiditas carniū, sive musculorum ob ipsam observatur (§. 914.)

Acrimoniam istam siccantem per lixiviosa ex calce viva inter alia sanari hic pronuntiat Boerhaavius. Hac occasione methodum proponit extricando sali aptam ex carniū salitis et duris, et pro flexilitate ipsis concilianda ad usum culinarem per hæc verba, quæ in prælectione adsunt:

Caro salita quæ salsedinem neque tertia coctione deponit, et lardum quod etiam viginti quatuor horarum maceratione minimè salem exuit, semel omnino in lixivio Calcis vivæ cocta dulcescit. Hinc Scorbutus, muriaticum illud malum ortum à sale marino cum oleis nostris tenaciter conjuncto, non facilius quam per lixiviam *proportionata* calcis vivæ sanatur.

Haenus etiam in sua prælectione hæc habet: dudum est quod in Navibus carnes nimio sale contra putredinem asservatas, et inde durissimas didicerint tali lixivio immittere, ut inde sal marinus extraheretur. Hinc in muriatica acrimonia extricando salia juvat.

Acrimonia ammoniacalis, quæ à muriatica vix differt (§. 914.) mitior est ista et aliis omnibus: est enim tantum excessus aliquis salis nostri nativi, qui ammoniacalis est. Causa hujus acrimonie est usus alcalinorum, et præ-

diluentia, tum quoque lixiviosa ex calce viva.

4. Generalia illa, quæ expugnando acri in genere apta (1172).

1176 Acrimonia Oleosa, aromatica, biliosa, exusta, putrida (a), rancida exigit

1. Victum ex insipidis, insulsis, farinosis, oleribus, fructibus acidulis, cibis lenissimè acidulis.

2. Potum ex aqua et oxymelle dilutissimo, vel decocto fructuum.

3. Quietem et frigus moderatum.

4. Medicamenta saponacea, sed leniter acescentia,

sertim carniùm fumo induratarum: fuligo enim bonam salis ammoniaci quantitatem eis exhibet, atque communicat. Vid. Gaub. §. 316. et De-jean. Comment.

(a) Acrimonia ista alcalina putrida oleosa rancida pessima est, alcalina degeneratione et frequentior, est et deterior (Vid. §. 912.)

Causæ hujus sunt pinguis, et oleosa, tostata, frixa . . . affatim et abusive sumpta una cum viriùm coctriciùm actione torpida, bilis iners, immo exusta, vita deses, somnus multus, calor ingens maxime humidus subito succedens frigori glaciali, agitatio nimia . . . Vid. Gaub. Path. §. 313. 328.

Sapones, et saponuli acidi à Boerhaavio hic indicati, et de quibus peculiari Opusculo egit Carminatus, in usum revocandi. Opuscul. Therap. Vol. 1. Opusc. 1. De medicatis Saponis acidi facultatibus.

Mel;

Cassia,

Manna,

Saccharum,

succi recens præssi fructuum horæorum maturorum (1100. 2.), aut olerum quorundam (1165. 3.),

Oxymel,

talìa fere sunt.

Sapo,

5. Generalia contra acria (1172).

1177 Acrimonia tandem acida austera (a) indicat medelam; (1173. et 1169).

1178 Quicumque bene intellexit fundamenta hactenus jacta in hac methodo medendi, simulque curatè expendit Hip-

(a) Hæc nascitur ex acido in multam terram defixo, jungitque acrimoniæ spissitudinem, qua humorum coagula, obstructions refractariæ, vasorum constrictiones &c. creantur. Hæc Gaub. §. 309.

Fructus acerbi, immaturi, glandes, pyra, mespila, cydonia. . . vina acido-austera. . . acerbam, seu acido-austera acrimoniam istam, in primis viis faciunt. Si ista malo omine in humores transit, obstructions creat in vasis lacteis, mesenterii glandulis: hinc dolores colici præsertim cum sensu frigoris, scrophulæ, strumæ, calculi, scabies ipsa, particulis crassioribus ad cutim deductis, et perspirationem impredientibus.

pocratica opera, atque Galeni in illa erudititas Curas (a); ille profecto cognoscet remedia requisita ad coctionem, et crisis in morbis Acutis, et Chronicis excitandam, promovendam, gubernandam, absolvendam.

1179 Etenim consistunt hæc tantum in attenuatione spissi (1169.), in lenimine acris (1172. ad 1178.), in apertura viarum obstructarum (1166.), in roboratione laxi (1159.), in laxatione rigidi (1158.), moderamine motus (1170. 1171.),

(a) Hic laudat, et commendat Boerhaav. Hippocratica Opera, et Galeni in illa erudititas Curas. Inter hujus scripta numerosa palmam præripiunt in illum Virum Commentaria, seu eruditæ Curæ, quæ absdubio sunt aliis omnibus aliorum Commentariis præferenda.

Hac occasione non possum non Tyronibus commendare duo in istos Medicinæ Principes Enarratores eximios. Primus est Alphonsus Lupejus Curæleanus, Ecclesiæ, et Urbis Turiasonensis in Aragonia Medicus qui Annotationes in omnia fere Galeni Opera concinnavit, quibus obscura, ac difficilia, et quæ in hoc Auctore videntur pugnancia breviter, et dilucide explicantur in libro maximo, quem edidit Cæsaraugustæ A. 1548. Secundus est Prosper Marcianus Romæ Medicinæ Professor, qui per omnes fere libros Hippocratis annotationes sparsit bonæ frugis plenas, lectuque dignissimas, libro etiam in folio quem Romæ edidit. A. 1628. et Patavii A. 1719 recusso.

264. INDICATIO CURATORIA IN
ut evolventi placita Veterum liquido constabit.

1180 Quin etiam ex iisdem definiri potest, quid sentiendum sit de jactata omni quidem tempore, et imprimis per primarios Chemicorum (a), Panacea, si prius attentè considerantur hæc axiomata:

1. Panacea non agit sua virtute in cadaver.

2. Sed requirit actionem vitæ supersitit, ut in exercitium suæ potestatis excitetur.

3. Non etiam agit in partem corporis perfectè mortuam, adhuc toti cohæ-

(a) Potius ineptissimorum Alchemistarum, qui doctrina ista Boerhaaviana optima perciti, veluti agmine facto

Qua data porta ruunt.

Et licet verissima sint et maxime consideranda quæ numeris quatuor ultimis proponuntur, Panacea tamen sive remedium quod unico momento tollat morbos omnes, quale Paracelsus, Helmontius . . . somniavere in Democriti Puteo latet, et æternum, ni DEUS concesserit, latebit.

Num. 5. ait Boerhaavius non restitui per Panaceam liquida *vitalia* perdita. Vita enim non in solidis tantum, sed in liquidis etiam consistit. Vid. Gaub. Path. §. 182. 3.

Num. 11. proponuntur Spasmi tanquam multorum malorum, admodumque variorum causæ Vid. §. 864. et Gaub. §. 742.

rentem, sive in pus conversa sit, vel in ichorem, vel in sphacelum.

4. Sed terminatur extensio virtutis ejus in solo vitali adhuc.

5. Non restituit per se liquida vitæ perita.

6. Nec eadem exquisitè corrupta reducit in indolem naturalem, ex. gr. pus, ichorem, putidam saniem, liquamen cancri.

7. Non restituit partes solidas extirpatas; aut consumtas planè vasorum, viscerum, artuum.

8. Multi, admodumque varii morbi possunt oriri ab una, eadem, simplici, materiali, et efficiente causa, si illa variis modis diversis partibus corporis applicatur.

9. Equidem à solo motu spirituum animalium variato plurimi certè morbi oriri, foveri, crescere possunt.

10. Ut et à solis obstructionibus superstite vita natis.

11. Tandem à solis spasmis, flatibus, stimulis exiguis, venenisque.

1181 Qui enim omnia dicta, verissima quidem ponderat, clarè videbit, uno medicamento multos morbos sæpe tolli, nullo autem omnes.

1182 Remedia autem maximè (a) uni-

(a) Remedia igitur, quæ si non sunt PA-

versalia nota hactenus, sunt Aqua, Argentum vivum, Opium, Ignis.

NACEA, suâ tamen virtute admodum generali maxime superbiunt, hic sunt commemorata.

AQUA tanquam remedium universale à Frederico Hoffmanno prædicatur. Tom. V. Oper. omn. medic. pag. 201.

ARGENTUM VIVUM *hydrargyrus*, *Mercurius* magnam morborum cohortem aggreditur, et sanat, præsertim chronicorum, ast non omnium, sed et in illis prudenter à prudenti Medico administrandum. Metallum istud est aqua quatuor decuplo ponderosius, et ita ad loca penetrat quo aqua numquam perveniret.

OPIUM omnium spirituum nimis motorum domitor quamplurimis morbis absdubio medetur. In variis tamen aliis casibus deficit, imo nocet.

IGNIS est certe supremum efficacissimum heroicum Remedium. Prosper Alpinus eum vocat Medicinam Egipciorum, Kempferus Japonensium, Ruischius linguæ caneros sanavit igne. Hippocrates insanabilia quæcumque igni resistantiam opponerent pronunciavit. VIII. aphoris. VI.

His quatuor medicamentis heroicis, et universalioribus Haenus addit SAL pro quinto. Sal enim marinus, nitrosus, ammoniacus. . . salia acida, alcalina, neutra, essentialia. . . magnam absdubio Medicinæ partem explent.

Ego, si mihi fas esset adderem his omnibus, et super ista omnia medicamenta collocarem CORTICEM illum PERUVIANUM quem Divinum appellare Trillerus non erubescit, et revera est vere magnum DEI DONUM.

1183 Et his quidem plurimum usurpatis, sed cautissimè absconditis (a), nomen sibi maximum comparaverunt, qui

Bassianus Carminatus de isto aserit esse medicamentum tam validum, tamque eximium ad roborandum, atque ad alios vere singulares effectus præstandos, ut nisi antecellat ceteris omnibus Artis præsiidiis, nulli saltem cedat. Profecto, sequitur Carminatus, *Cinchona officinalis* . . . corticem qui Peruvianus, vel China-china nuncupatur, largitur tot, tantisque medicatis viribus præditum ut eo salutaris ars maxime superbiat, eumque auro et gemmis è novo orbe allatis longe præciosiorem jure existimet . . . hæc et alia similia profert ibidem vir iste doctiss. qui etiam hoc pene *Divinum* remediî genus salutare audet. Parte prima, vol. II. de Hygiene, Therap. . . n. 314. pag. 295.

(a) Paracelsus, Helmontius . . . barbara in Arte nostra nomina, Principes eorum hominum declarantur qui vaserrima ut plurimum fraudulencia remedia occultant. Remedia quæ illi cautissimè celabant erant Opium, atque Mercurius . . . Remedia nota, quibus temere, et inconsulto administratis ab illis præsertim hominibus heteroclitis quam plurima homicidia abs dubio perpetrarunt; et casu, atque fortuna, revera perniciosa (qua illa facinora simulabantur, et tegebantur) aliquos eventus prosperos, atque salutare produxerunt, quibus cæcitas eorum atque audacia immaniter intendebantur.

„Remedia *Naturæ* munera non ostendere et in arcanis habere non decet, perfidiæ, et avaritæ crimine manifesto”, ita doctissimo Alexandro Benedicto vere, et firmiter pronuntian-

268 INDICATIO CURATORIA IN
Medicinam Universalem possedisse vulgo
creduntur.

1184 Iterumque inde constat, quæ-
nam Correctoria (a) medicamenta in mor-
bis dicantur, et an sint ulla universalia?

te libro 1. Aphorismor. sive Collection. De Me-
dici, atque Ægri Officio. Cap. 1.

Si quis felicitate incomparabili remedium
inveniat quod ab omnibus jam cognitis diver-
sum sit; et præ omnibus illis superius, sive vir-
tute, sive acquirendi facilitate, sive gustu,
sive pretio . . . dignissimus est mercede, et præ-
mio illud revelans, et omnibus palam faciens;
si vero celat obstinate illud, clamque diven-
dit perfidum illum, et avarum cum prædicto
Alexandro judicamus.

(a) Curatio morborum, quia difficilis, ad-
modumque desiderata coegit Medicos ad qua-
renda auxilia nedum regularia, alterantia nem-
pe, et evaquantia, sed etiam heroica, et speci-
fica. Ista in plantis toxicis existere sibi fuerunt
persuasi v. gr. Cicuta, Aconito, Napello, Phy-
tolaca, Lactuca virosa . . . quæ in experimen-
ta conjecerunt, designio laudabili, ast æque
terribili, Tyronibus præsertim, ut jam dictum.

Specificæ remedia, quæ vix ulla doctis vi-
ris apparent, quamplurima divenduntur; sed
dictaverunt ea hucusque ut plurimum opinio
popularis, ignorantia, præjudicium, avaricia,
credulitas, insaciabile sanandi desiderium, et
necessitas . . . ut advertit optime Medic. Doct.
Fourcroyus in sua Arte cognoscendi, et ad-
ministrandi medicamenta. Tom. 1. pag. 123.

Simili modo potest ingenuè pronuntiari

INDICATIO CURATORIA IN FLUIDIS EVACUANS.

1185 **M**orbi materia, vel id, quod ad levamen ejus educendum ars indicat, evacuatur equidem per duplicem viam: 1. per naturalia emunctoria, et spiracula totius cutis externæ, narium, oris, faucium, œsophagi, ventriculi, intestinorum, vesicæ, urethræ. 2. per artificialia in vasis sanguiferis per phlebotomiam, arteriotomen, scarificationes, hirudines; in vasis lymphaticis per caustica, et vesicatoria; in utrisque per foniculos, setacea, ulcera, fistulas.

1186 Hinc prima distinctio Evacuandi esse morborum *Correctoria* universalis nisi in ore Empiricorum arrogantium, et iudicio carentium. Ita finis imponitur hic tractationi medicamentorum alterantium tam respectu fluidorum, quam partium solidarum, quæ omnia summatim sumpta sunt, respectu solidorum, *Relaxantia*, *Indurantia* *Stimulantia*, *Sedantia*: et fluidorum respectu sunt, *Diluentia*, *Demulcentia*, *Absorbentia*, *Depurantia*, *Incrasantia*, *Attenuantia*; utrorumque denique respectu: *Calefacientia*, et *Refrigerantia*.. quæ omnia in Libello *De Viribus Medicamentor.* Boerh. tributo videri debent. Venet. An. 1752, Edit. 4.

tium habetur à diversitate Emunctorii, per quòd educunt materiem morbosam.

1187 Altera autem petitur à diversitate materiæ, quæ per singulas quasque partes educitur.

SUDORIFERA.

1188 **P**rimo itaque per cutim educitur ex corpore Sudor, et materia Perspirabilis; medicamenta quæ priorem eliminant vocantur Hidragoga, vel Sudorifera; quæ alterum educunt, appellantur Diaphoretica; quorum quidem non adeo magna differentia, utpote solo gradu actionis diversa. Sunt autem talia

1. Omnia, quæ humores validius movent per totum corpus (1171).

2. illa, quæ interim simul imminuunt resistentiam in vasis exhalantibus circa cutim.

1189 Prius illud efficitur inprimis

1. Potu copioso aquæ valdè calidæ.

2. Acidis fermentatis, acetosis, maximè stillatitiis vegetabilium, aut et valde attenuatis fossilium, iteratis destillationibus subtiliorum (1174. 4.), inprimis si hæc aquæ calidæ mista bibuntur.

3. Alcalicis volatilibus, et fixis, aqua calida dilutis.

4. Salibus omnibus compositis dictis

(1165. 2.) aqua solutis; quo et saponēs referendi (1165. 3.); item crystalli ex metallicis, vel sales iis juncti, aut ipsæ partes metallicæ valde attenuatæ, nec fortiter acres, ut

Stibium diaphoreticum (a) vulgare,

Stibium diaphoreticum Helmontii,

Sulphur stibii fixatum Tache-

nianum,

Bezoardicum minerale,

Mercurius diaphoreticus,

Aurum diaphoreticum Crollii,

Cinnabaris,

et plura similia, quæ examinata deprehenduntur vel nihil agere, tumque diaphoretica dici, vel acrimonia salina adhærente operari, tumque sudorem sæpe exprimere.

5. Aromatibus acri, subtili acrimonia præditis, ut sunt præcipuè

Absinthium,

Abrotanum,

Ageratum.

Apium.

Asparagus.

Anisum.

(a) Hæc omnia non agunt alia vi quam vomitoria diminuta, si calida superingesta fuerit. Nam omne emeticum minerale debilius anxietates, et sudores movet, si aquam superberis. Hæc Boerhaav. in prælect.

Angelica.	Erysimum.
Asarum diu coc- tum.	Eruca.
Asclepias.	Galanga.
Acorus.	Gentiana.
Aristolochia.	Hyssopus.
Ammoniacum gummi.	Laurus.
Bardana.	Levisticum.
Becabunga.	Marrubium.
Betonica.	Matricaria.
Carlina.	Melissa.
Carduus bene- dictus.	Mentha.
Calamintha.	Nasturtia.
Caltha.	Origanum.
Cardiaca.	Porrum.
Caryophyllata.	Pulegium.
Carum.	Rosmarinus.
Caryophylli.	Ruta.
Centaurium mi- nus.	Sabina.
Cinnamomum.	Salvia.
Crocus.	Sanicula.
Chamæmelum.	Sarsaparilla.
Capilli veneris.	Sassafras.
China.	Satureja.
Dictamnus creti- cus.	Scabiosa.
Dictamnus albus.	Scolopendria.
Eupatorium.	Scordium.
	Serpillum.
	Tanacetum.
	Thlaspi.
	Thymus.
	Veronica.

Virga aurea. Zedoaria,

Urtica.

Et composita ex his.

Theriaca aucta. Electuarium de Ovo,

Theriaca diates-

saron. Diascordium.

Mithridatium. Orvietanum.

Et plurima similia, ut sua cuique pla-
cent (a).

(a) Medicamenta ista tanti aliqui fecerunt ut *Mysteria* vocarent, deinde alii Medici alias compositiones excogitarunt. Sed revelata vilesunt. Boerhaavius hic in prælectione notabili, Jam alibi modestè dixerat idem non esse eis fidendum ut universalibus, vel thrapeuticis, vel prophylacticis antidotis. (§. 1132.) et in prælectione ita loquitur: Hæc valent, quando mobile et volatile venenum à centro corporis ad peripheriam pelli, et ea via, excitata febre eliminari debet. Ad venena mineralia, fixa, ineptissime adhibentur, cum à medicamento fixum venenum etiam mobilius, et ferocius reddatur.

Ita iudicio solido, et exacta crisi se explicat Boerhaavius circa remedia ista stupenda, horrida, et ob compositionem nimiam incomponibilia. De istis nunc breviter agendum, *Theriaca aucta* à Medicis Rom. et Bonon. ex Pharm. Augustana Clase XIV. pag. 177. Edit. VI. est eadem, ast exactior, et opulentior, ac ipsum

1190 Posteriorius (1188. 2.) vero efficitur

I. Mundatione accurata totius cutis per vapores, lotiones, balnea, frictiones.

Electuarium Theriacæ Andromachi. Isti monstruosæ compositioni, immo variarum compositionum plastro propter mirabilem illam, ut ait Trillerus, peregrinam, contrariam, et incompositam compositionem, cæco quasi acervo temere consociatam, aptari possunt illa ovidiana:

Obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno,

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,

Mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus.

Electuarium Theriaca Diatessaron, cui quatuor pulveres Aristolochiæ, Gentianæ, Baccarum lauri, et Myrrhæ, melle excipiendi nomen *Diatessaron* imposuerunt, est certe minus onerosum. Alexifarmacum est, carminativum, excretionem provocat, opio caret, certis hominibus, temporibus, alisque circumstantiis est utile.

Electuarium Mitridatium, mirabilis immo rectius forsitan miserabilis compositio ex tot diversis et inter sese pugnantibus rebus cæco veluti impetu, et fortuito quasi concursu temere conficitur, ut jam idem de Theriaca Andromachi pronuntiatum.

Electuarium de ovo præter confusam faraginem, Nucem vomicam in confectione sua admitit, quæ Nux venenata, perfida, et semper noxia est, ideo damnanda prorsus theriaca ista notissima de ovo dicta.

Electuarium Diascordii ex Fracastorio, Dias-

2. Laxatione omnium vasculorum cutaneorum, et subcutaneorum; quæ felicissimè impetratur vapore (a) aquæ calidæ toti cuti, excepta capitis, applicato.

cordio rosato, spagirico, et sylviano præferendum. Ægregium est medicamentum sudorificum, alexipharmacum, anodinum, stipticum.. sed nimis etiam compositum est, et consarcinatum.

Electuarium orvietanum, cui nomen ab inventore circumforaneo Jeronimo Ferrantes ex urbe Orvieto impositum, minus est illis compositum. Opio caret, nihilominus exulandum.

De his omnibus vere potest dici, quod de Theriaca cœlesti Trillerus pronuntiavit: in pluribus morbis, quibus ea tamquam specifica destinatur perfecte illam sanare ægrotos, eosque ad cœlestem patriam, sedesque beatas certissime transferre.

Dici etiam possunt, quæ de Theriaca, et Mitridatio olim Plinius vere, licet ethnice pronuntiavit stupefactus »peregrinis mercibus quibus conficiebantur, extremo prætio quo tantum largiebatur excogitata ista compositio »ambiciosa luxuriæ; interimque nullo pondere æquali constante, et quarumdam rerum sexagesima denarii unius imperata. Quo Deorum exclamat iste, perfidiam istam monstrante? Hominum enim subtilitas tanta esse non potest. Ostentatio Artis, et portentosa scientiæ venditatio manifesta est. Ac ne ipsi quidem illam novere." Lib. XXIX. Cap. 1.

Electuarium Theriacale, et *Electuarium Scordii Pharmacopœæ Hispanæ* his omnibus præstant, et sunt absolute præferenda.

(a) Quando sudor nullo remedio cieri po-

3. Aucto calore externo circa corpus nudum tepore lecti, balnei vaporis, spiritus vini accensi. His ipsis (1189. 1190.) lenius agentibus promovetur Perspiratio insensilis, Diaphoresis dicta.

1191 Præparatur corpus ad facilitatem ejus exercitationem, si id requiritur,

1. Attenuatione (1169), et dilutione humorum.

2. Vasculorum laxatione (1158.) et apertura (1166).

1192 Sudor et Diaphoresis indicantur in morbis:

1. A præsentia incipientis sudoris Critici solventis, vel levantis morbum.

2. A tenuitate materiæ morbosæ dispersæ, vel dispergendæ per omnia vasa. Ut in peste, morsu venenato, lue Gallica (a) subtiliori, nec fixata hactenus.

test corpus nudum, et solo capite excepto tectum oportet in vapore calidæ ponere, ita brevi totum difluet ex sola laxatione vasorum cutis. Neque majus diaphoreticum datur, quam calidæ vapor ita institutus.

Spiritus vini accensi vapor similis efficacior est, Lue venereæ determinatis casibus sanandæ destinatus.

(a) Quando lues gallica ad exteriora vergit facilius per sudores, quam per salivationem sanatur ex Boerhaavio in prælect.

Pestis in primis initiis fortassis sanaretur ista methodo sudores urgendi supposito incen-

3. A temperie singulari ipsius Ægri.
4. A constitutione Epidemica cognita.
5. Ab obstructionibus variis, et ubique in toto corpore hærentibus, resolvendis; maximè in morbis subcutaneis, scabie, psora fera, lepra, lue Gallica ulcerosa.

APOPHLEGMATIZONTA.

1193 ¶ In Nares se evacuant omnes partes membranæ pituitariæ Schneideri, quæ ingens, et per varia cava distributa est (494.), et secernit mucum (497.), falso pro pituita cerebri habitum; huc et materia humida oculorum tam naturalis; quam lachrymosa (513.); tum materies liquida in coryza, crassior in catarrho pituitoso; adeoque ingens hic copia humorum evacuari tam vi naturæ in morbis, quam et per medicamenta potest.

1194 Indicatur hæc evacuatio instituenda;

1. A gravedine, coryza, catarrho, sternutatorio morbo, pure per nares destillante, morbis oculorum lacrymosis.

2. A temperie ægri multum levato alcohole, dum copiosissimas ptisanas acidas ægri bibunt.

men capientis ab hujusmodi evacuatione.

3. A revulsione facienda à pulmonibus in broncho, peripneumonia, phthisi, gravedine pulmonali.

1195 Excitatur fotu, vapore, vel decocto per nares attracto,

1. Aquæ calidæ cum emollientibus diu coctæ.

2. Ejusdem melle aut saccharo paulo acrioris redditæ.

3. Decocto mellito ex
 Betonica, Pulegio,
 Lavendula, Roremario,
 Majorana, Ruta.

4. Iphis his herbis viridibus contortis, sicque in nares inditis.

5. Omni stimulo acriori, ut
 Saccharo, Sal Ammoniaco,
 Sale, Pulvere Antimonii;

aut semicaustico ex
 Tabaco acerrimo, Helleboro,
 Nigella Sylvestri, Euphorbio (a).
 Hæc Errhina, et Ptarmica.

(a) Quæ isto num. 5. proponuntur, præter saccharum, salem, et Tabacum non acerrimum, sed præparatum, omnia insolentia sunt, et valde periculosa, sicque vitanda.

1196 Sistitur si nimia sit, maximè si fortis sternutatio comitatur, et destillatio acris.

1. Lacte recenti, tepido, malvaceo, naribus attracto,

2. Suffumigiis blandis ex vapore accensi

Benzoini,
Mastiches,
Olibani,

Succini,
Turis;

aut leniorum aromatum, ut sunt

Majorana, Pulegium.
Mastichina,

Cæterum, si nimis exercetur hæc evacuatio, damnosa consuetudine huc derivat assiduo humores.

1197 Quum vero per os, et in illud se evacuent nares (1193.), ductus salivosi (65.), tonsillæ et membrana Schneideri (65. 5.), hinc primo hic est Indicatio, medela, remedia, cautela, ut (1194. 1195. 1196.): quare et hic Apophlegmatismi, et Gargarismata.

1198 **E**vacuatio Salivæ magna, et artificialis indicatur:

1. A crisi tali.
 2. A singulari natura morbi hærente inprimis ad glandulas, et ad membranas adiposas, inprimis autem in cura Luis Gallicæ (a).

3. A natura morbi Epidemici.
 1199 Corpus eo præparatur quam optimè usu largo, aliquamdiu continuato, præmisso decoctorum attenuantium, diluentium, lenientium, actu calidorum;

Scabiosa, Sarsaparilla,
 Parietaria, Sassafras,
 Bardana, Santalum,
 China. hic præcipua.

1200 Excitatur;
 I. Collutionibus oris (1197).

(a) Curatio Luis Syphiliticæ per salivæ evacuationem magnam, magnas requirit cautelas. Moderamen semper consignandum. Methodus, qua absque salivatione lues celtica sanatur: et quæ per extinctionem dicitur infida est. Medicus tamen doctus effectivam poterit fortassis procurare, atque securam.

2. Manducatione lenta , continua,
materiæ tenacis , ut

Mastiches, Myrrhæ,
Ceræ,

maximè si his acria permista , ut

Pyrethrum, pore Pyrethri,

Leucanthemum Zingiber,
canariense sa- Piper , &c.

3. Hauriendo vapores acres , irritan-
tes , ut

Tabaci, Majoranæ,
Salviæ, Thymi;
Rorismarini, Serpilli , &c.

4. Imprimis et egregiè actione me-
dicamentorum , quæ levem quidem , sed
diuturnam , nauseam creant , ut est

Stibium non pe- Parum Vitrioli vul-
nitum fixatum, garis simul sum-
nec tamen pla- tum , &c.
ne emeticum,

5. Iis quæ omnes partes sanguinis pe-
nitus dissolvunt , in lympham vertunt,
in ptyalismum convertunt : ut sunt

Argentum vi- cinnabaris,
vum crudum,

Solutio argenti Ruber,
 vivi in aqua Turbith minerale,
 forti, Mercurius sublima-
 Præcipitatus al- tus solutus (a), &c.
 bus,

priorum autem primum, una cum calido fotu capitis, cervicis, colli, faciei, eam actionem promovet.

1201 Nimia salivatio minuitur; vel sistitur, aut saltem emollitur:

1. Largo, assiduo usu potus tepidi blandissimi, ut decocti

Malvæ, et Hydrogalacte.
 Glycyrrhicæ, in

2. Sedando impetum per emulsiones blandas, oleosas, anodynas, addito prudenter diacodio, vel opio.

3. Revellendo in alias partes per evacuationem quamcunque magnam, inpri-

(a) Mercurii præparata, quæ num. 5. proponuntur cautissime administranda. Argentum vivum crudum, quod est horum primum in pilulas redactum mica panis, gumi arabico... utilissimum est.

In Syrupum etiam potest Mercurius adaptari gummi arabico et Syrupo aliquo v. gr. cichorei cum Rhabarbaro, et cochleatim infantibus commode administrari.

mis hydragogam alvinam. Ubi tamen summa prudentia (a) opus est, ne impetus motæ, et hic semper acris materiæ ruat in alias partes majori cum periculo, quare qui hic bene dividit, is tuto imperat.

EMETICA.

1202



Vomitioria (b) indicantur:

1. A fœditate matutina oris, ejus amarore; ructu, nausea, morsu ventriculi, appetitu lentè ablato, sine febre (c) concomitante, vel causa.

2. A spontaneo vomitu una cum magna ejus facilitate.

(a) Opium utile, et certum medicamentum est in salivatione nimia. Purgantia non commendo, etsi vulgo laudent, mortem enim accelerant, quando acris illa materia ad intestina vergit. Hæc Boerhaavius serio consulendus, et sequendus.

(b) Vomitoria, seu Emetica sunt, *Medicamenta quorum vi contenta Ventriculi sursum in os per Gulam projiciuntur.* (Vid. §. 809.)

(c) Maxima Res est in praxi medica vomitoria exhibere, quando febris causa est eorum, quæ illud videntur indicare, vel ista omnia febris concomitatur. Levis enim hac in re error multa mala producet absdubio. Cauti igitur sint præsertim tyrones, et totam istam Boerhaavii doctrinam penitus calleant.

3. A natura materiæ cognitæ , ut mobilis , vel immobilis.

4. A loco affecto repletionem , et obstructionem , infra diaphragma , maximè si ea affectio primaria , nec aliud repugnat.

5. A natura generali morbi , vel epidemica.

6. A constitutione anni.

1203 Vetantur à contrariis horum (a)
(1202).

1204 Præparatur corpus ægri ad faciliorem , tutumque Vomitum.

(1. Reddendo materiem mobilem , diluen-

5. Natura generalis morbi non potest intelligi de iis qui vomitu incipiunt. Multi enim acuti ita se habent , ab introversa perspiratione , aliisque , quibus vomitoria nocent.

(a) Ista pro Tyronibus amplius declaranda.

1. Vetantur emetica quando nausæ et vomitus non à materie notabili in primis viis collecta orti , sed ab introversa perspiratione , ab iracundia .

2. A febre inflammatoria.

3. A difficultate magna vomendi , quam multi habent.

4. Ab obstructionibus viscerum scirrhis.

5. Si quid repugnet v. gr. hernia , menstruatio , calculus renum , hæmoptisis , graviditas , hiemale tempus...

Hæc tria ultima aliquando prudentia superantur. Sed cautio nimia Tyronibus præsertim imperatur. Vid. Carminat. Therap. Vol. III. num. 1327. p. 257.

do, attenuando, resolvendo (1169. 1165).

2. Vias blaxando, lubricando, per emollientia, oleosa, blanda.

3. Prius mittendo sanguinem (a), si corpus est plethoricum, aut nimis forte, simulque validissime agitatum.

1205 Excitatur.

1. Irritando spiritus oblata idea maximam nauseam producente; aut agitatione quadam non consueta, in mari &c.

2. Irritando fibras faucium et pharyngis penna oleo madida, aut simili quadam re.

3. Copia magna ingesta aquæ insulsæ cum oleo, melle, saccharo, et similibus tepidis.

4. Omni acri valde, et simul viscoso;

(Anethi flore, et Atriplicis radice et semine. semine.

Asari foliis.

(a) Sæpe certe ex neglecta hac ipsa cautela homines plethorici inter vomendum perierunt apoplectici. Alii hæmoptoici facti fuerunt, ruptis tenerrimis arteriis cerebri, pulmonum, ventriculi. Prudenter adeo declaratur in omni morbo, quando et emetico, et venæ sectione opus est istam oportere, immo necessarium esse præmitere. Idem dicendum de catharticis.

Aut violentioribus iisdem,

Cataputia.	Helleboro utroque.
Esula.	Semine Nasturii,
Cyclaminis ra-	Ricini;
dice.	Thymelææ,
Ebuli. flore,	Cnici.
succo , corti-	Radice Bryoniæ,
ce,	Iridis,
Genistæ floribus,	Tithymali.
seminibus,	Gratiola.
radice	Nicotiana.

5. Antimoniatis Croco : Vitro : Floribus : Regulo in substantia , in infuso,

Sapa Vomitoria,	Mercurius vitæ.
Syrupus Emeticus,	Tartarus Emeticus.
Vinum emeticum.	

Et similia ; quæ vario gradu violentiæ (a) varia effecta præstant.

6. Mercurio acri facto per acida , in quo etiam varia admodum distingui possunt , prout acidum copiosius , et aper-

(a) Catapucia , Helleborus , Thymelea , Tithymali , Esula , exulent , et proscribantur : et cum ipsis Antimoniata , et Mercurialia violenta et etiam Mercurius ipse Vitæ , qui aptius Mercurius Mortis appellari dignus.

tius illi adhæret , vel parcius et tectius (a).

1206 Horum quidem delectus , dosis , formula (b) , tempestivitas indicantur ab idea morbi et materiæ educendæ.

1207 Promovetur potu copioso leni aquoso , mellito , tepido , post singulos quosque vomituum paroxysmos affatim ingesto , rejecto , repetito.

(a) Deficit in isto emeticorum cathalogo Radix illa Brasiliensis lenissima , et securissima *hipecacuanha* dicta , qua alibi utitur Boerhaavius , in Materia Medica , in Consultationibus. . . De viribus hujus radiceis multa sunt scripta , ut emetica , antispasmodica , tonica , anti-dysenterica. Minuta dosi in morbis chronicis cum obstructionibus et spasms junctis maximè probatur , et ita in hysteria , hypochondriasi , asthma te... Aliqui ad hæmorrhagiam Uteri , ad hæmoptisim , Pthisim ipsam prædicant. Ad febres intermittentes pertinaces dosi refracta , et chamomilæ infuso adjuncta prodesse creditur. Tartaro emetico præfertur in debilitate , morbis convulsibis , quibus necessaria Emesis , Tartarus enim ob vim potenter resolventem , et purgantem ubi Pituita incidenda prævalet.

Ista radix *hipecacuanha* , radices *brionia* , *Scillæ* , et *iris* , vinum emeticum , et tartarus emeticus , emetica usitatiora sunt , et adhuc ista prudentiam maximam requirunt , Tyronibus præsertim inexpertis , et audacioribus.

(b) Dosis Emeticorum maximè varianda , atenta præsertim ægrotantis idiosyncrasia. For-

1208 Sedatur iisdem (1207.) hausto oleo blando ; opiatis ; aromatibus ; acidis gratis , corroborantibus ingestis (a) , aut externè applicatis.

PURGANTIA, CLYSMATA, SUPPOSITORIA.

1209 **I**n Intestina plurima evacuari queunt , adeoque hac via educi queunt ex corpore , saliva , mucus oris , faucium , oesophagi , ventriculi , bilis duplex , pancreatica lymphæ , humor intestinorum dilutus vel mucosus , materies atrabiliaria eruoris , viscerumque hypochondriacorum , materies sanguinis serosa , tum purulentia quælibet ex abscessu quocunque critico , symptomatice , morbose (b).

mula regulariter debet esse non ficca , sed liquida , vel fluida.

(a) Antiemeticum Riberii fit ex sale Absinthii alkalino et succo limonum acido mixtis et effervescentiam excitantibus , et sic spuma illa cochlearum sumpta prodest. Magnæ cucurbitæ Stomacho ipsi affigantur , et renoventur...

(b) Ad ista efficienda , purgantia levia , mediocria , et acerrima gradatim valebunt.

Hæc medicamenta purgantia per alvum sunt illa , quæ vivo Corpore vel interne assumpta,

1210 Indicatur (a) hæc Evacuatio:

1. A fluxu alvi non colliquativo.
2. A materia peccante, ejusque loco.
3. A loco repleto, vel obstructo sub diaphragmate.

vel externe applicata materiem morbosam per intestinum rectum evacuant.

Purgatio est: excretio per alvum eorum omnium, quæ ex aliqua corporis parte per intestina fluere possunt.

(a) Indicantia medicamenti purgantis optime noscenda. Hoc enim medicamentum, quantumvis leve potest ægrum liberare; potest etiam illum occidere. Illustris Vallesius purgans dedit PHILIPPO II. in Civitate Pacensi. Quo maxime auxilio (sit honor DEO), et ipse à morte et tota Respublica Christiana à summo timore liberata est. Hæc Valles. Lib. IV. Methodi medendi. Capit. II. pag. 260.

Ast è contrario: præscriptum fuit ægro medicamentum purgans lene, blandum. Oritur hypercatharsis, et æger eodem die moritur. Doctor Radcliffe maximus, quem præsens ætas, et quæcumque forsitan post Hippocratem alia produxit, in Medendi Arte peritus, post Naturæ, Symptomatumque febrilium examen, cathartici revera lenitatem agnoscit, sed proprio sibi emphatico stylo pronuntiavit: *Fuisse intempestivum, impeditam inde crism, adeoque occisum ægrum.*

Ita refert Jacobus Nihell. Novæ raræque observationes circa crism Prædictiones ex Pulsu sect. 1. cap. 4. pag. 61. Haen. Rat. med. tom. VII. pag. 145.

Ut igitur in his præscribendis minime aber-

4. A natura singulari, generali, epidemica morbi.

5. A revulsione.

6. A signis coctionis.

7. A statu ægri.

1211 Vetatur à contrariis (a).

remus, quædam indicantia, et Regulæ instar Cynosuræ debent nobis præsto esse in administratione illorum, et sunt sequentia.

Purgans medicamentum indicatur

1. A fluxu alvi à materia sordida, corrupta, glutinosa, acri in intestinis hærente producto, dum interim viscera integra sunt. In phyticis, empiematicis alvi fluxus ipsis communis tale remedium non indicat utpote colligativus, et à visceribus suppuratis, et tabefactis procedens.

2. A materia peccante jam dicta, ejusque loco intestinis nempe, in quibus pondus, anxietas, dolor, borborigmus adsunt, et istud innuitur num. 3. sequenti.

4. Aliquæ febres epidemicæ, dysentericæ purgantia exigunt observante Sidenhaamo.

5. Revulsio intenditur per purgantia in dolore capitis, in ophthalmiis, in cophosi, sive surditate, in anginis serosis, phlegmaticis...

6. Signa coctionis cum aliquo motu critico versus ventrem attendenda.

7. Status ægri seu ipsius idiosyncrasia, qua quandoquidem per alvum se expediat maximo cum levamine, qua evacuatione diu suppressa eam arte instituendam fore prænuntiatur.

(a) Medicamenta purgantia vetantur imprimis à facili ventriculi, et intestinorum ir-

1212 Materies movenda præparatur, si opus est, iisdem ac ad Vomitum (1204).

1213 Excitatur.

1. Diluentibus, simulque leniter stimulantibus, magna copia, jejuno corpore, in frigore modico, haustis.

Aquæ mineralium sulphuræ, quam les dictæ, tam salinæ, tales sunt. ferratæ,

Serum lactis; succi horæorum maturi, recentesque.

2. Lubricantibus simulque acrimonia facili stimulantibus utcunque.

Olea blanda, Decocta emollientia, horumve extracta, recentia, horumve extracta, pressa.

Jura pingua.

ritabilitate, aut inflammabilitate, aut schirrocancerove ad loca eadem sedentibus. Si hos homines purgaveris et tu dolebis, et æger tuus, ex Boerh. in Prælect.

Ex doctrina allata contraindicantur purgantia ab alvi fluxu colliquante: ab absentia materiæ in ventre inferiori latitantis: à natura morbi spasmodici, inflammatorii: quando talis revulsio noceret, ut accidit præsertim in pleuritide, peripneumonia... iis casibus exceptis, quibus aliunde possent convenire de quibus egit Jacob. Sinibaldus proprio capite de purganti-

Saccharum.	darum succus.
Mel.	Gummi Ammonia-
Cassia.	cum,
Manna.	Galbanum,
Terebinthina,	Myrrha,
Rosæ pallidæ.	Opopanax,
Syrupus rosarum	Sagapenum, medio-
solutivus.	cri dosi sumptum.
Rosarum palli-	

3. Leniter acribus, simulque paulu-
lum crassioribus, ideoque inprimis in
primas vias agentibus.

Pruna acido-dul- Ficus recentes.
cia. Uvæ corinthiacæ.

bus in morbis pulmonum. Animadvers. practi-
cæ pag. 156. Animadv. IX.

Cruditatis materiæ morbum producentis et ip-
sius morbi cruditatis; item et denique Naturæ
ægræ, ejusque idiosyncrasia pariter illa repug-
nant. Hoc accidit ut plurimum in hystericis,
hypochondriacis, multisque aliis, quos a pur-
gantibus male habere observatione Medici, ip-
siusque ægræ constat.

De iis impedimentis Purgantium, et venæ-
sectionum, quæ Magna Auxilia sunt exprofeso
et utilissime tractaverit Antonius Ponce de San-
ta Cruz Hispanus Vallesoletanus, et Homo bonus
Pisonæ Cremonensis Med. Doct. qui Hispanum
nostrum laudat, et exornare conatur, ut alibi
jam dictum, (in Præfatione).

Rheum.	Aloë.
Tamarindi.	Mercurius dulcis ru-
Myrobalani.	dius tritus.
Tartarus.	Polypodium.

4. Acribus.

Asarum.	Soldanella.
Carthami semen.	Turiones Sambu-
Agaricus.	ci, et
Mechoacanna.	Ebuli.
Jalappa.	Scammoneum.
Turpethum.	Diagrydium.
Hermodactyli.	Flores Persicæ.
Senna.	

5. Acerrimis fere causticis.

Helleborus niger.	Lapis Lazuli.
Veratrum.	Euphorbium.
Iris.	Mezeræon.
Gummi.	Crystalli argenti,
Gotte.	Mercurius præcipi-
Esula.	tatus, albus,
Gratiola.	ruber,
Elaterium.	flavus.

(a) Ex his omnibus medicamentis purgantibus usitatiora sunt Tyronibus indicanda.

Num. 1. Omnia ibi memorata.

Num. 2. Olea, jura, decocta, saccharum, mel,

6. Variis ex his, et vix enumerabilibus compositis, forma pilularum, Electuarii, vini medicati, &c.

cassia, manna, rosæ pallidæ, sirupus rosarum solutivus. Rosarum palidarum succus, quibus adendus syrupus de Cichoriis cum Rhabarbaro.

Num. 3. Pruna, ficus, uva et reliqua, cum Aloe tamen, et Mercurio caute.

Num. 4. Mechoacana, jalappa, Hermodactyli, senna, turiones sambuci, et ebuli: scammonium, diagrydium, flores persicæ. Scammoneum purum raro: præsat Dyagrydium.

Num. 5. Helleborus, Iris, gummi gottæ, gratiola, mezeræon, provectoribus, sapientioribus, prudentioribus. .relinquenda. Reliqua et præsertim lapis lazulus Boerhaavii manibus, Boerhaavio ipsi sapientissimo redivivo. Nos enim omnia ea fastidimus, aversamur, ab eis penitus abstinemus.

6. His omnibus addi possunt: Pulveres, Pilulæ, Electuaria, Vina, de quibus in Pharmacopœis.

Pulvis jalappæ compositus (loco pulveris cornachini alias adeo famosi) Electuaria catholicum, et de cassia Pharmacopœæ Hispanæ utilia sunt.

Electuaria baccharum lauri, Benedicta laxativa, Hamech simplex, et majus, Hiera simplex Galeni, Hiera magna. . quorum descriptio habetur in Pharmacopœa Matritensi electuaria sunt clysteribus amandanda.

Pilulæ ad purgandum comodissimæ sunt pilulæ de rhabarbaro, pilulæ stomachicæ ex aloë, cinamomo, et diagrydio ad drachmam dimidiam, pilulæ familiares ad scrupulum unum,

1214 Horum delectus, dosis, formula, præparatio, oportunitas indicantur, ut de vomitoriis dictum est (1206.); imprimis vero ex indole materiæ educendæ. Unde varias appellationes nacta sunt; ut *Eccoprotica*. Purgantia per *Epicrasim*. Minorativa. Laxantia. Cholagoga. Phlegmagoga. Hydragoga. Melanagoga. Panchymagoga. Quorum nominum origo intellectu facilis (a).

pilulæ agregativæ, seu catholicæ ad scrupulum dimidium (in quarum dosi prædicta Matritensis exuperat) præscribendæ. Pilulæ cochix, pilulæ lucis. . majores et minores utpote nimis fortes ablegandæ.

(a) Nihilominus pro tyronibus explicanda ista.

Purgantia *Eccoprotica* sunt ea quæ motum intestinorum leviter adaugendo alvi fæces eliminant, quin corpus turbent nec frangant. Hæc sunt vel lubricantia, vel diluentia, vel laxantia, seu lenitiva dicta.

Purgantia per *Epicrasim* sunt ea quæ per vices instituuntur, sive repetuntur eadem. Hoc mitioribus ut plurimum efficitur.

Purgantia *Minorativa* sunt ea quæ tantum educunt, quantum mobile præsto est neque valde mutant corpus, nec corporis humores. Quot lites excitatæ usu an abusu horum in acutorum principiis dum materia turget, vel non turget. Ista minorativa *Lenitiva* hodie nominantur.

Purgantia *Cholagoga* sunt illa, quæ bilem expurgant, et officinas, sive viscera hujus secre-

1215 Promovetur juscule salito, pingui, butyrato, sero lactis recenti, et similibus.

tioni destinata emungunt. Non igitur sunt *Electiva*, ut ait hic optime adversus antiquorum credulitatem nimiam Boerh. sed *distincta* sunt, ratione nempe partis, cui destinantur, et humoris conditioni, seu naturæ, cui aptantur. Sic *Bilis* cum mobilissima sit, addit Boerh. per lenia facile expellitur, mannam v. gr. cassiam, tamarindos, succumve rosarum.

Si hæc non sufficiant juvanda cremore tartari, tartaro solubili, rhabarbaro, mirobalanis, aloe, dyagridio.

Purgantia *Phlegmagoga* sunt illa quæ Pituitam, humoresque crassos expurgant: ideo aliquantulum efficaciora esse debent v. gr. semen carthami, hujus sirupus, qui etiam sirupus comitis nominatur, agaricus, hermodactylus, thurbit gummosus, colocynthis gummi arabico sociata, electuarium de hiera piera, mercurius dulcis.

Hydragoga vero sunt ex Boerh. quæ sanguinem liquefaciunt. Ita præcedentibus fortiora esse debent v. gr. ebulus, iris, scilla, sambucus, mechoacanna, ramnus catharticus, jalappa, scammonium gummi gotta.

Melanagoga totum corpus evertunt, hinc eadem etiam *Panchimagoga* seu Purgantia universalialia sunt. Eadem detergunt muccum intestinorum et tenesmos faciunt. Boerh. hic.

Hoc verum erit quando purgandus est humor melancholicus crassus, terrestris, tenacissimus, qui ista exigit v. gr. sennam, polipodium, helleborum nigrum, confectionem Hamech.

1216 Sistitur (a) potu olei, oleosis blandis; acidis; adstringentibus, opiatis; spi-

Hoc igitur sensu accepta divisio ista utilis esse poterit. Ludwigius expendit eam et ait, differentiam istam non tam ex indole medicamenti, quam constitutione ægri dijudicandam esse. Institut. Therap. Part. IV. Sec. II. §. 338.

Verum præcipua divisio medicamentorum purgantium est, quæ sumitur á varia eorum efficacitate ac vario actionis gradu. Hæc igitur divisio est in *Lenia*; seu laxantia, *Mediocria*, seu valida, et in *Drastica*, seu validissima, ut initio adnotatum.

(a) Aliquando accidit hypercatharsis, superpurgatio, seu expurgatio immodica vires dejiciens, tormina ventris creans, lypothimias faciens, quæ methodice sistenda. Acida dulcificata, v. gr. muriaticum sulphuricum... administranda. Opiata, inter quæ *Diascordium Fracastorii*... eminenter prossunt. Revulsio per cucurbitulas Epigastrio impositas poterit adipisci. Antequam finis huic Tractationi utilissimæ *de Purgantibus* imponatur, sciat Medicinæ alumnus. 1. Purgantia in forma liquida matutino tempore stomacho vacuo sicut emetica sumenda esse; in forma solida, v. gr. pilularum, noctu duabus horis post cœnam levem, et post illarum sumptionem, dormiendum.

2. Magna cautela opus esse in horum remedium administratione, nam ut jam Hippocrates pronuntiavit: *turpis est calamitas adhibito purgante hominem occidere*. Lib. de Medic. Purgant. qui sedulo legendus cum Commentariis Lazari de Soto Archiatri hispani: Joan. Heurnii... aliorumque.

298 PURGANTIA, CLYSMATA,
rituosus; revulsione in alias partes quas-
cunque.

1217 Fit et evacuatio alvi per *Clysmata*: indicantur hæc.

1. A loco affecto.
2. A materie educenda.
3. A viribus attritis ægri, ejusve temperie, simulque urgente necessitate evacuationis.
4. A siccitate, calore, motu nimio humorum in acutis.
5. A concilianda revulsione, et lenimine requisito in fibris, et humoribus acribus (a).

3. Circa purgantis exhibitionem in declinatione morborum, seu in eorum fine, ut vitentur recidivæ, juxta Hipp. Aph. (II. 37.) *Quæ relinquuntur in morbis post judicationem recidivas facere consueverunt*, observandum aliquando non relinqui pravorum humorum abundantiam expurgandam, sed debilitatem, seu pravam aliam dispositionem, qua hi ulterius producuntur, tuncque purgantia nocere impense, et corrigentibus atque roborantibus rem absolvi, et recidivam præcaveri.

(a) Diluentia, et oleosa per anum injecta maximam partem in totum corpus abeunt per venas mesentericas, et lacteas ad sanguinem. Ergo clysmata, infert Boerh. ad plura prossunt etiam præter purgandi scopum.

In morbis exustis clysmata diluentia repetita refrigerant, diluunt, humectant. In affectibus comatosi convulsivis, paralyti linguæ, an-

1218 Clysmata itaque varia sunt:

1. Diluentia ex aqua, sero lactis, cerevisia dulci.

2. Emollientia et lenientia simul ex jure pingui, oleo, farinosis decoctis; decoctis emollientibus, lacte, saccharo, saponibus, syrupis.

3. Stimulantia leviora, aqua salsa, nitrosa, decocta purgantium leniorum (1213. 2. 3.), urina.

4. Acrìa, ex decoctis purgantium acrium et acerrimorum (1213. 4. 5.)

5. Certissima fere ex fumo injecto Tabaci.

Atque hinc *suppositoria* moventia, stimulantia, acria intelliguntur. Mel coctum spissum, Saccharum durum, Sapo præbent cum acribus hæc cuncta.

1219 In his iterum observanda eadem ac in vomitu, et in purgatione (1206. 1214).

gina . . . per clysteres seu enemata nutrientia ex jure carniùm, vino, et vitellis ovorum, ex lacte, aromatibus . . . aliisve similibus sustentur. Pueri, delicatæ fœminæ eodem modo à febribus intermittentibus, clysmatibus cortice perubiano imbutis liberantur. Quibus purgantia inevitabiliter repugnant per viam eandem additis purgantibus exonerantur. In affectione hysterica, hypochondriaca, doloribus colicis immanibus, convulsivis . . . enemata laxantia, et anodina prossunt.

DIURETICA (a).

1220 **E**vacuatio per vias Urinæ indicatur:

1. A signis coctionis.
2. A fluxu critico materiæ morbosæ per renes.
3. A materie peccante salina, saponacea, terrestri subtili, scorbutica, purulenta.
4. A loco affecto.
5. A constitutione Epidemica.

Ast advertendum omnia medicamenta per anum injicienda triplici (vel quadruplici) dosi aucta idem efficere, quod simplici per os assumpta ex Boerh. hic.

(a) Medicamenta diuretica magna cura investiganda, atque administranda sunt, cum mala quamplurima, chronica præsertim eis subjiçiantur. Aliqui morbi pectoris hac via decedunt. Hydrops, malum fere indomabile urina diabetica sanatur. Sanguinis impuritætes, salinæ præsertim per Renes, atque vesicam è corpore possunt diureticis amandari. Nam uti intestina viscerum chylopojeticorum; ita Renes hæmatopojeticorum cloacæ sunt: et absdubio crasiores aliquæ sanguinis impuritætes per eos transire possunt, et revera transeunt.

Medicamenta ista diuretica sunt ea quæ liquidi secernendi in papillarum renalium ramis et fistulis copiam augment. Hoc efficitur 1. laxando vasa arteriosa emulgentia renalia 2. di-

6. A temperie ægri auscultante huic evacuationi, vel assueta.

1221 Vetatur à contrariis.

1222 Excitatur usu:

1. Aquæ copiosæ, vel aquosorum.

2. Salibus alcalinis fixis, volatilibus, simplicibus, vel compositis.

3. Salibus fixis neutræ compositis, marino, gemmæ, nitro, borace, alumine (a), Tartaro Tartarisato, ostracodermatis solutis cum acido in corpore nostro, vel

luendo et solvendo sanguinem. 3. majori velocitate eundem præcipue jam dilutum, et solutum ad vasa laxata jam, et dilatata applicando. 4. determinando sanguinem ad Renes. 5. vasa in contractiones secretorias stimulando. Hæc omnia perficienda remediis aptis de quibus Boerh. statim hic, et in libello de viribus med. cap. de Diureticis tractat.

Divisio horum Diureticorum in *propria* quæ sunt ea, quæ solvunt, liquant, fundunt humores, fibras renum stimulant; et *impropria*, quæ serosos humores augment, viasque urinarias laxant, tenenda est, licet *propria* rigore diuretica desiderentur.

(a) Alumen non secus ac alia roborantia urinæ fluxum promovet, ait Licutaudius in Synops. P. II. p. 824. Attamen ad styptica valida, et tutiora aptius reducendum. In hæmorrhagiis, et aliis fluxibus passivis præsertim præstat. Serum aluminosum Meadii in Diabete omnium evacuationum nimiarum teterrima, et fere indomabili prodest, et præscribendum.

extra illud ; eo succus conchyliorum, et ostreorum spectat, et Ammoniacus.

4. Acescente humore animali, sero lactis acido, lacte acido, eove ebutyrato.

5. Acidis levibus vegetabilibus

Arantii, Sambuci,

Citrii, Vino tenui Mossel-

Limonii, lano,

Ribesiorum, Rhenano.

6. Spiritibus acidis

Aceti, Vitrioli,

Nitri, Simplicibus, com-

Salis, positis,

Sulphuris, Sale succini.

Aluminis,

7.

Apium, Milium solis

Asarum coctum; Nuclei Persicorum,

Asparagi, Ononis,

Amygdalæ ama- Petroselinum,

ræ, Pinpinella,

Chærophyllum, Ruscus,

Daucus, Saxifragia,

Eryngium, idem præstant.

Eupatorium,

8. Quæcunque ex omnibus his composita (a).

(a) Præter ista Medicamenta diuretica inter quæ spiritus acidi num. 6. propositi dulci-

1223 Diuretica juvantur vacuo stomacho ; coctione prægressa ; motu corporis leni ; aëre frigidiusculo , calidis interim lumbis , hypogastrio , pube , perinæo.

1224 Sistitur , aut sedatur usu :

1. Emulsionis viscidioris gelatinosæ.
2. Adstringentium , et roborantium simul (1107. 1159).
3. Opiatis.
4. Determinatione in alia loca : imprimis autem sudore per motum , aut sudorifera excitato , et aliquamdiu continuato.

bus substituendi , alia etiam ab Auctoribus prædicantur , quorum notitia Tyronibus utilis esse poterit.

Talia sunt Butua , seu Pareira brava , juniperus , canna montana , seneka , seu polygala virginiæ , scilla , betula alba , uva ursi , vulgo *gajuba* . . terebinthina , balsama de copaiva . . cineres , saponis . millepedes . Item : Colchicum , Nicotiana , Digitalis , lactuca virosa , cantharides.

Caveant severisimè Tyrones ab istis quinque ultimis , quæ non tam duretica , quam diabetica urentia , et inflammantia sunt , paucissimis imo rarissimis , et fere nullis casibus , et prudentissime quidem applicanda.

An prodesse ista possint in paralyti renum , ureterum , vesicæ , urethræ ? An in vesicæ catarrho minime acuto , sed chronico magna inertia frigiditate , atque lentore ipsius vesicæ humorisque catarrhosi sociato , seu producto ? Viderint practici scientia atque prudentia consummati.

MENAGOGA ET ARISTOLOCHICA.

Evacuatio sanguinis menstrui, vel puerperii (a) per uterum indicatur:

1. Ab ætate.
2. A plethora.
3. A morbo quocunque hinc pendente; ejusque symptomatibus; ut in primis in puerperio.

1226 Exercetur:

I. Determinantibus ad uterum; fomentis, balneis pedum, crurumque;

(a) Menagoga à *men* mensis, et *ago* conduco, exire facio: Emmenagoga ab *emmen* menstrua: Aristolochica à *lochiis* movendis: Ecbolica ab *ecballo* expello, foras ejicio, foetum provoco, partum accelero derivantur.

De his ultimis non agit hic Boerhaavius quia provocare foetum licet mediis levissimis nefandum; accelerare partum periculo est plenissimum, et utilitas in quovis casu parva, immo nulla.

Indicantia illorum Remediorum optime notanda. Aliquando menses deficiunt non à morbo, obstructione nempe, rigiditate, paralyti, sanguinis inopia, atrophia. sed à *gestatione uteri*, qua menses ut plurimum supprimuntur. Estote cauti, immo cautissimi Tyrones Medici!

frictionibus sæpe exercitatis in pedibus, cruribus, femoribus, hypogastrio; cucurbitis ad femora, et crura superiora applicatis, sæpe renovatis; missione sanguinis ex venis pedum; Emplastris ex gummi foetidis (a) umbilico, femoribus, cruribus, datis.

2. Aperientibus in loca uterina et vasa per vapores, balnea, fomenta, injecta (b); similiaque internè assumta;

Aristolochia.	Pulegium.
Artemisia.	Rosmarinus.
Calamintha.	Ruta.
Cardiaca.	Sabina.
Chamædrys.	Satureja.
Dictamnus.	Tanacetum.
Levisticum.	Gummi foetida.
Majorana.	Aloe.
Marrubium al-	Myrrha.
bum.	Crocus.
Matricaria.	Borax.
Mentha.	Chalybs.

(a) Talia sunt Bdelium, Galbanum, Sagapenum, Opopanax...

(b) Cavendum ab istis injectis. Honestæ Feminae, ob speciem turpitudinis non ferent. Vires aliunde harum injectionum, pessarium . . . sunt valde incertæ: Uterus est sensibilissimus, non temere ideo tam immediate medicamentis adeundus; multo minus irritandus.

Succinum. Olea stillatitia aromatica &c.
 Sal alcalinus volatililis. sunt præcipua (a).

3. Remediis Chirurgicis (b), Diæteticis, Pharmaceuticis, quæ contraria sunt impedimento singulari evacuationis; quæ tantum inveniri possunt singularibus signis in qualibet specie propriis.

1227. Sistitur, si nimia fuerit:

1. Revulsione (c).

(a) His addenda valeriana, rubia tinctorum, cicuta, helleborus niger, taxus à Carminato impense laudata, cujus folia, cortex, lignum, baccæ valida sunt medicamenta ab Althofio aliisque ab ipso Carminato (Therap. vol. IV. §. 1901.) citatis celebrata.

Num scintilla electrica toto corpore excitata, et præsertim circa lumbos, abdomen, inguina, pubem...his omnibus præstat? Ita videtur Mauduytio (tom. 4. Societ. Roy. de Medecin. Paris. pag. 352.) aliisque; cave tamen; »ictus enim electrici utrum valide percutere possunt, etsi fætum non necant mitiores» ex Guill. God. Plocquet de Embryoctonia cap. II. §. 15. et »ictus electricus nimis vehemens hominem necare potest» ex eodem in Processib. criminal. super homicidio cap. IV. §. 141. Argentorat. Anno 1787.

(b) Aliquando non fluunt menses, quia membrana Hymen est imperforata, quia laterum vaginæ concretio adest.. in his et casibus similibus ad chirurgiam confugiendum.

(c) Cucurbitulæ mammis admotæ, venæ sec-

- 2. Adstrictu vasorum (a) (1107. 1159).
3. Opiatis.

PHLEBOTOME.

1228 **M**issio sanguinis intra (b) terminum, quo vires non minuuntur.

tio revulsoria in brachiis, ligaturæ in iisdem... revulsionem obtinebunt, et sistetur menorrhagia.

(a) Adstrictus vasorum præter hic citata, linteis aqua frigida, et aceto madidis lumbis, pubi, perinæo applicatis consequetur. Nivis, seu gelu iisdem locis, et in vagina ipsa posita prosunt. An vesica suilla, seu arietina vacua in Uterum ipsum introducta, et postea commode inflata, compressione super pubem, et hypogastrium adjuta prodesse poterit? An lochiis in uteri cavitate inclusis, et coacervatis manu periti artificis Chirurgi educenda illa? Viderint practici saniores, et consumati.

(b) Missio sanguinis est: *Sanguinis evacuatio ex venis, seu arteriis arte facta ad varios usus Naturæ congruentes.* Hæc fit per phlebotomen seu venæ sectionem: per arteriotomen, seu per sectionem arteriæ, per hirudinum applicationem, et per scarificationem cucurbitulis præpositis præparandam, et postpositis promovendam.

Inter fines ad quos instituitur sanguinis missio est ad simpliciter evacuandum seu sanguinem imminuendum, ad revellendum, et ad derivandum. Hinc triplex notabilis emergit

1. Copiam minuit humorum artēriosoꝝ et venosoꝝ.

2. Ergo resistantiam movendorum reddit minorem.

3. Adeoque et plenitudinem vasorum. ut et horum ad se mutuo compressionem.

4. Hinc vasis nimis distentis contractionis, id est elasticitatis exercitium reddit.

5. Rarefacit liquida.

6. Solvit eadem.

venæ sectionum clasis nempe 1. *Simpliciter evacuatoria* 2. *revulsoria* et 3. *derivatoria*, quæ iis numeris innuuntur.

1. Est illa qua totum Corpus exhauriri intenditur, in plethora universali v. gr. febribus synochis...

2. *Revulsoria* nempe, quæ fit in parte distante à parte affecta v. gr. quæ fit in pede ad levandum latus pectoris inflammatione affectum.

3. *Derivatoria* est illa quæ fit in parte proxima parti laboranti, v. gr. in brachio ad pleuritidem sanandam. Addi etiam posset particularis evacuatio, quæ in ipsa parte laborante fit ut, scarificationes in latere ipso pectoris inflammatione affecto.

Electio ista locorum quibus sanguis educi debet, non tantum subjicienda legibus ab AA. propositis, quantum Naturæ modo quo se sponte nititur expedire, qui regulariter accidit per partes proximiores, ut in Phrenitide per narium hæmorrhagiam, in Pleuritide per sanguinis sputum... ideoque venæsectionem derivatoriam generice præferendam censemus.

7. Resolvit.
8. Obstructa expedit.
9. Circuitum, secretionem, excretionem promovet.
10. Revellit.
11. Refrigerat.

1229 Hinc morbos quam plurimos, eosque varios admodum tollit; simul tamen mutationes miras profert.

1230 Indicatur:

1. A copia nimia.
2. A resistentia nimia cordi nata per humores.
3. A motu suffocato per nimium tumorem à copia, vel à rarefactione natum in arteriis.
4. A motu suffocari incipiente per nimiam extensionem vasorum, qua ipsa vasorum elasticitas destruitur.
5. A sanguine nimium densato.
6. Ab eodem nimis coëunte.
7. Aut nimium inspissato.
8. Ab iis, quæ sunt signa obstructionis inflammatoriæ, et magnæ, deprehensis ubique in corpore; primaria quidem deprehenduntur talia esse dolor, tumor, rubor, æstus, anxietas; dum interim sudor, sputum, urina admodum supprimuntur.
9. A motu nimio humorum per vasa; aut etiam à motu tardiori eorundem orto ex dictis (1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. hujus).

10. A calore nimio per omnia vasa.
 11. A nimio impetu sanguinis moti
 in unam partem; ut in hæmorrhagiis et
 fluxionibus
 12. Ab epidemicis cognitis.
 13. Ab ætate, sexu, victu, temperie.
 14. A cacochymia (a).

(a) In isto §. proponuntur præcipua venæ sectionis indicantia.

In obstructione inflammatoria magna (n. 8.)
 „numquam prætermitti debet, ne inflammatio
 „in suppurationem abeat, vel gangrenam.
 „Quando vero alia evacuatio major se prodit
 „Naturæ vires expectare oportet num forte se
 „sit ipsa liberatura”. Boerh. in prælect.

Ætates . . . venæ sectionem coincidunt, vel
 correpugnant, ut vires. Cacochymia (num. 14.)
 evacuationem eandem etiam aliquando indi-
 cat. Hæc à cacochylia distinguitur. Ista ni-
 hil aliud est nisi pravus chylus, chylificatio,
 seu digestio depravata orta ab actione læssa
 stomachi convertentis alimenta in chylum pra-
 vum; qui ita male præparatus in sanguinem
 transiens illum alterat, seu cacochymum red-
 dit. Per cacochymiam vero intelligitur: Re-
 dundantia humorum sanguini commixtorum, seu
 illorum à variis causis alteratio, sive corrup-
 tio massam sanguinis inficiens (§. 719.) Ista
 igitur infectio si notabilis fuerit, produxerit
 morbum (780) et alterantibus corrigi aliunde
 non possit, sed repletionem quamdam seu spe-
 ciem plethoræ à rarefactione ob acritatem, ar-
 dorem, mephitismum . . . inducat, venæ sectio
 instituetur, parca semper isto in casu et vi-
 rium præsertim consideratione habita, et eo

15. A conciliando ingressu medicamentorum in vasa, horumque simul admistione procuranda; tum et excitanda vi eorundem in magnis curationibus perficiendis.

1231 Optima fit:

1. Lato vulnere secando inflictio.
2. In vena libera, magna, facile detegenda, remota ab arteriis, nervis; tendine.
3. Accelerando velocitatem sanguinis dum fluit, respiratione forti.
4. Motu musculorum circa venam apertam.
5. Jacenti ægro.

sine ut aliis remediis correctoriis paretur ingressus, miscella . . . (num. 15.) et ad expediendas evacuationes alias per urinas, sudores . . . ipsumque ventrem.

Franciscus Vallesius Covarrubianus ait, quod in isto „Cacochymia casu sanguinis missio quædam expurgatio est, illam missionem „sanguinis expurgationem istam præcedere debere, quando etiam facienda ista, et quandoque illam solam missionem cruoris curationem totam absolvere, atque expurgationes „alias spontaneas facilitando, perficere.” Method. medend. Lib. II. Cap. 3.

Homobonus Piso hanc proponit questionem: An liceat venam in Cacochymia evacuationis gratia resignare? Licere certo modo decernit. Dissert. 1. Cap. 3. De Regim. magnor. auxilior.

1232 Præparatio fit ad feliciorē ejus
administrationem:

1. Frictione.

2. Fomento.

1233 Vetatur:

1. A plurimis Chronicis, in quibus
plurima obstructa, paucusque admodum
fluidus cruor vasis restat.

2. A senio (*a*).

3. A temperie.

4. A cognita natura Epidemici, vel
Endemici morbi.

5. A crisi jam facta alibi.

6. A paucitate cruoris rubri, et de-
bilibus hinc viribus.

7. A recenti statu puerperii (*b*).

1234 Unde patet quanto humani ge-

(*a*) Firmus puer, et robustus senex tuto per
venæ sectionem curantur ex Cornelio Celso
(Lib. 2. de Re medica Cap. X.) qui doctri-
nam optimam circa venæ sectionem toto isto ca-
pite proponit.

(*b*) Morbi enim, ait Boerh. hic, qui tunc
infestant his fere ex inanitione oriuntur.

Dubium tamen se offert, utrum fœminæ
fluentibus lochiis aut catameniis morbo inflam-
matorio correptæ sit vena secunda, et quo loco?

Ad Problema istud resolvendum consulendi
inter alios Franciscus Vallesius Lib. de Meth.
medendi, Santa Cruz de Impedimentis magno-
rum Auxiliorum..

Joannes Franciscus Lefeure Bisuntinus Ca-
nones de usu missionis sanguinis ac aliarum

neris damno hoc remedium vel semper, vel numquam adhibendum censeatur, ut in doctrina Joannis Baptistæ Helmontii, et Leonharti Botalli (a) videri potest.

1235 Sanguis educendus ex vasis Hæmorrhoidalibus (b) indicatur.

artificialium sanguinis evacuationum; et cautiones in abusum proposuit et pertractavit.

Med. Doct. Quesnay sermone longo sexcentum fere paginarum (Traite des effets et de l'usage de la saignée. Paris 1770) missionis sanguinis usum effectusque persecutus est, sed reducens istos ad *exinanitionem*, *spoliationem*, et *dimotionem*, tamquam hypoteticum judicat assertum istud et rejicit Carminatus. Therap. Tom. IV. §. 1985. 6.

(a) Uter insanior?

Stulti dum vitia vitant in contraria currunt.

Medio tutissimus ibis.
Aliqua hic addenda in Tyronum gratiam.

1. Quantitas sanguinis mittendi ad uncias non ad libras præscribenda. Magnitudo, seu vehementia morbi, ægri temperies, robur . . . numerum et quantitatem indicabunt.

2. Inspectio sanguinis educti supervacanea non est, licet aliis indicantibus necessario socianda. Viscositas, densitas, cita aut tarda concretio, exigua, nulla, copiosa, cita, tarda seri separatio; tela crasamento super inducta tenuis, densa, coriacea . . . indicia sunt utilitate minime carentia. Ipsius sanguinis halitus, color . . . considerandi etiam. Videantur Carminatus, et Quesnay Libris mox citatis.

(b) Hæmorrhœis est fluxio sanguinis ab hæma

1. A temperie atrabiliaria.
2. A morbis cum phantasia læsa.
3. A consueto fluxu eorum vasorum jam suppresso.
4. Ab eruptione sanguinis per novas jam vias, qui olim felicius per hæmorrhoides evacuabatur.

sanguis, et rheo fluo. Nunc usitatiore significatione est: *illa rubri sanguinis evacuatio, quæ de apertis recto in intestino vasis altius, profundiusve hærentibus profluere solet.* Vasa ista hæmorrhoidalia à duplici vasorum systemate oriuntur, nempe à systemate venæ portarum, et à systemate hypogastrico ita, ut in ano sint vasa duplicis generis: arteriæ, et venæ *hypogastricæ* ex iliacis oriundæ dictæ *hæmorrhoidales externæ*: et venæ pertinentes ad systema venæ portarum dictæ *hæmorrhoidales internæ*. Hæ venæ aut intrant in venam mesentericam paulo ante quam in sinum magnum venæ portarum abeat, vel in lienarem ex Haeno... sed hæc omnia amplius ex anatomicis repetenda.

Evacuatio ista patronos habet strenuos utrimque contendentes, his laudantibus, aliis vero eam tenaciter horrescentibus. Illorum Coripheus fuit Georgius Stahlius, cujus systema ipsius schola Junkero, Alvertoque principibus secuta est, quodque suspectum vocat Ill. Haenus. Hippocrates *de Hæmorrhoidibus* librum conscripsit qui commentariis Foesii sedulo legendus. Prædictus Haen libellum etiam super iisdem exaravit, qui extat in fine Tom. IV. Rat. med. Inter Opuscula med. G. Got. Richter volumin. III. pag. 104. extat Prolusio exhibens

1236 Elicitor:

1. Emolliendo hæc vasa fomento molli, calido ex aqua, oleo, melle, emollientibus, specie clysmatis, vaporis, fomenti applicatis.

2. Aperiendo per frictum cum asperis (a), aut per hirudines.

3. Usu Aloëticorum (b).

1237 Scarificationes (c) agunt stimulando, et evacuando.

censuram nimæ laudis hæmorrhoidum merito legenda.

Ludovicus Duretus in commentario Sent. 46. Coac. Hipp. Lib. 2. *Quicumque spumantem expuunt sanguinem dextroque laborant hypochondrio, à jecore spuunt multique interunt hoc ipso statu constitutus liberatus fuit et ait: „DEO sit honor et gloria qui me sanavit ac mihi Medicinæ faciundæ rationem apperuit per hæmorrhoidas admota hirudine.“*

(a) Folia ficus sunt aspera usitiora: hirudines tamen præferendæ.

(b) Hinc caute cum remediis aloëticis procedendum. Fœminæ, quibus menstrua justo parcius fluunt: et viri alias hæmorrhoidarii, quibus evacuatio ista torpet, vel supprimitur remediis istis levari possunt. Prudenter tamen, et caute semper!

(c) Per scarificationes educuntur sanguis et humores tenuiores ex vasis cutaneis. Hac via ducitur sanguis nedum ex venis, sed ex arteriis etiam, vulnusque facile sanatur, quod in arteriotome difficulter accidit. Idem in hirudinum actione verificatur.

1238 *Hirudinum* actio et hinc bene intelligitur.

SETACEA, FONTICULI,

STIMULANTIA, VESICATORIA.

1239 *Setacea* autem et *fonticuli* (a) dolore leniore stimulant, genus nervosum concutiunt, serum evacuant, nimix repletioni exitum dant.

1240 Unde et liquet ubi, et quando indicentur.

1241 *Stimulantia* dolorem, calorem, rubedinem creantia medicamenta motu nervis conciliato, et determinatione in loca imperata agunt.

Plura utilissima de scarificationibus et hirudinum et cucurbitularum applicatione variis locis in diversis morbis videantur apud Auctores.

(a) *Setacea*, et *Fonticuli* maxime prodesse possunt quando revellere oportet acrem humorem in partes tenerrimas illapsurum, ut in morbis oculorum. *Fonticuli* ad phthisim maxime aut hæmoptoem faciunt, ut noxia humorum abundantia derivetur in naturalia ulcera. Boerh. hic.

Mathias de Lera Chirurgus Regius Hispanus Tractatum edidit utilem, sub hoc titulo: *Practica de Fuentes, y sus utilidades*. Madrid Año 1671.

1242 Unde infinita certè, eaque sæpe exoptatissima effecta præstant, quorum etiam cognita necessitate indicantur.

1243 Revocari vulgo hæc solent in doctrina Medica.

I. Ad *Dropaces* validè adhærentes simulque penetrantes forma Emplastri calidè applicati iterumque avulsi repetito opere donec rubeat, tumeat, caleat parst affecta. Materies his:

Pix.	Galbanum.
Oleum.	Piper.
Bitumen.	Pyrethrum.
Castoreum.	Sal gemmæ,
Cinis sarmento-	Sal Ammoniacus.
rum.	

2. Ad *Sinapismos* lenes, *phœnigmos* dictos, forma cataplasmatibus applicitos, relictosque donec rubor, calor, pruritus, tumor appareant. Materies:

Sinapi.	Scilla.
Bryonia.	Euphorbium.
Allia.	Ranunculi.
Cepæ.	Thapsia.
Nasturtium.	

3. Ad *Vesicatoria* (a); quæ sinapismi

(a) Hæc solvunt epidermidem à subjecta cute

fortiores forma eadem , violentiore effectu. Materies eadem. Diversitas in dosi aucta *Acris*. E. G. ficus ad partes tres *Acris* pars una mistæ dant phoenigium. Ficum pars una , *Acris* pars una dat vesicatorium. Ficum pars una , *Acris* partes tres , dat vesicatorium forte.

ad ignis lenioris modum. Adhibentur in variis morbis et cantharidibus fere excitantur. Olim utebantur ranunculis , tithymalis , euphorbio pro materia acri stimulante.

Remedia ista utpote totum genus nerveum mutantia , et mobile redentia ; et quoniam plurimi etiam stimuli subtiles applicati venis bibulis absorbentur , ducunturque in massam sanguinis in isto motum excitant inter humorum particulas , et agitantes simul vasa efficiunt quoque fluida inter solidaque mayorem motum. Hinc in corpore repleto applicata nocere valde possunt . . . Sed de abusu , et etiam usu horum efficacium Topicorum videatur Dissertatio septima Georgii Baglivii *De usu et abusu vesicantium*. Legatur etiam Disquisicio Medica cantharidum Historiam naturalem , chemicam , et medicam exhibens Auctore Rudolpho Forsten. Med. Doct. Argentorati An. 1776.

Medicamenta ista vesicatoria non empirice , sed methodice , quoad locum applicanda sunt. In Sylloge opusculorum Baldingeri vol. prim. pag. 326. extat Dissertatio *De vesicantium locis merito legenda*. In opere : *La Medicine eclai-ree par les sciences physiques* Tom. 4. Pag. 335. legitur Extractum Dissertationis Med. Doct. Portal , quo ista ex Anatomia et praxi demonstrantur.

4. Ad Causticum *potentiale*; forma singulari pultis, vel et cum linteo carpato applicatum. Materies:

Ranunculi.	Mercurius sublimatus.
Esula.	
Tithymalus.	Spiritus, et sal, alcalinus,
Sal alcali fixus.	volatilis.
Lapis infernalis.	

Effectus, inflammatio, eschara.

5. Ad Causticum *actuâle* dictum ex ferro ignito.

CURATIO PALLIATIVA PER ANODYNA, NARCOTICA.

1244 **M**itigando symptomata semper etiam aliquid de morbo primario tollitur (a).

1245 Unde omnia sanans sympto-

(a) Quartum; et ultimum hic proponitur Munus à Medicis in curatione ægrorum exequendum, ut §. 1067 determinatur. Istud est abigere effectus morbi præsentis, quod idem est ac palliare seu mitigare determinatis circumstantiis morbos, eorumque Symptomata terribilia, urgentia . . . minuere, et si possibile fuerit extirpare. Vid. Aph. Boerhaav. 618...

mata simul, totum fere morbum sanat.

1246 Primaria autem hic considerata sunt sitis, dolor, vigiliæ nimix, (*Excrectiones immodicæ*) lipothymix.

1247 *Sitis* à siccitate totius corporis sedatur potu largo, continuato, calido, aquoso, farinoso, paucis acidis admistis grato. Decocta hordei, avenæ, panis, dilutiora; serum lactis, hydrogala, zythogala; decoctum tenue, insulsum, vitulinus absque pingui, prosunt; ut et ex fermentatis Cerevisia tenuis non aromatica. Balnea. Fomenta. Clysmata, hic etiam in usum vocata prosunt.

1248 *Sitis* à siccitate partis singularis, ut oris, linguæ, faucium, œsophagi, levatur:

1. Usu præcedentium (1247).
2. Colluendo, et gargarisando sæpe per eadem.
3. Aperiendo glandulas, et meatus salivales, per epithemata, et fomenta, ex laxantibus, humectantibus, aperientibusque. Ubi posca cum mica panis egregii usus est.

1249 *Sitis* à sale acri lixivioso, vel et ab acri aromático orta tollitur iisdem omnibus (1247. 1248.), utpote diluentibus; maximè vero, si his admiscentur acida; et nitrosa. Unde et scitur, quomodo sedanda illa, quæ à sale muriatico, utpote solis egente aquosis.

1250 Si vero oritur *sitis* à materie inepta tranare per canales, tum diluentibus, et resolventibus tollitur.

1251 *Dolor*, ut symptoma, sedatur

1. Acre diluendo : quod fit aqua calida, farinosa, applicata per potum, fotum, halitum, clyσμα, balneum (1172).

2. Obstruens diluendo, resolvendo per similia, et per resolventia (1160).

3. Vascula nervosa laxando potu, vapore, fotu, balneo, injectu humectantium, laxantium, anodynorum, blandè aperientium (1158. 1166).

4. Acre ipsum corrigendo suis remediis (1172. 1173. 1174. 1175. 1176. 1177).

5. Obstruens acre, obstructum, liberando à nimia pressione humoris vitalis (1170).

6. Obstruens, acre, obstructum, que emolliendo, suppurando, depurando (1166. 2).

7. Sensum obtundendo (a) stupore in-

(a) Clasis ista medicamentorum sedantium, stupefacientium maximam exigit attentionem. OPIUM princeps horum est illud antidotum, de quo Cel. Trillerus ita pronunciavit: hoc certo, divinoque medicamine vix, aut nullo modo in Medicina carere possumus. Dispens. Pharmac. Tom. 1. part. 217. Pro varia formula, atque dosi varia in corpore nostro præstat.

ducto per narcotica internè exhibita, vel applicata externè. Talia sunt

I. Levia,

Flores papaveris Rhœados, semina ejusdem.

Ad tollendas vigilias, doloresque levandos passim adhibentur, et pro scopis variis quibus destinantur varia eis nomina fuere imposita. Dicuntur enim *hypnotica* ab *hypnos* somnus, quia somnum inducentia. *Anodyna* ab à privativa, et *odyne* dolor, quasi dolorem lenientia, imo sedantia. *Paregorica* à *paregoreo* dulcifico, mitigo, demulceo. *Narcotica* à *narcas* torpeo, stupefacio. *Nepenthes*, à *ne* negativa, et *penthes*, luctus, fletus, afflictio, tristitia. Hæc medicamentum istud *Nepenthes* mærorem dicitur cutit, ac hilaritatem inducit. Hæc est illa celeberrima Helenæ confectio, *Helenæ Nepenthes* nominata, de qua tanta tamque mirabilia prædicavit Poetarum facile princeps HOMERUS, licet eruditissimus Gaspar à Reyes Medicus Cremonensis istam non herbam non succum ex India vino mixtum, sed cum Macrobio narrandi oportunitatem qua hospitem mæroris oblitum flexit ad gaudium. Camp. Elis. Jucund. QQ. Quæst. II. num. XII.

Conjectura tamen prudentissima suadet per istud adeo decantatum Homericum *Nepenthes* intelligendum esse Opium ipsum, vel ex eo compositionem quamdam celeberrimam in Ægypto natam ubi Helenæ dono ista data fuerat, sed hæc obiter.

Inter Medicamenta *Sedantia* Licentiaudius collocat MUSICAM, quæ spirituum motum re-

Flores et semina Papaveris sativi.
Lactuca sativa capitata æstivo tem-
pore lacte prægnans.

2. Fortia.

Capita papaveris hortensis matura,
exploso semine, ante ariditatem
collecta.

Lac ex papavere Europæo, fere
maturo, læso, stillans.

3. Fortiora.

Opium Thebanum, vel
Orientale.

4. Fortissima.

Mandragora, Stramonium,

Solanum, Hyoscyamus,

Cicuta aquatica Petum,

Gesneri, et similia,

non assuetis venena. Ex quibus omnibus
fiunt externè fomenta, litus, emplastra;
internè vero, aquæ, tincturæ; syrupi,
pulveres, pilulæ, condita, confectiones
magnæ opiatæ; ut

Diascordium

Diascordium

Fracatorii,

Sylvii.

fringere, animi pathemata demulcere, dolores
lenire, et Somnum accersere valet.

Theriaca	Tryphera Persarum
Veneta,	vel Arabum,
Andromachi,	Requies Nicolai,
et aliorum,	Orvietanum,
Mithridatium,	et multa simi-
Philonium vario-	lia (a).
rum,	

1252 *Vigilia* nimia ex malo quod ipsum cerebrum infestat ortæ difficulter admodum sopiuntur; et vix nisi extirpato prius morbo hoc cephalico; id in phrenitide, comate vigili, melancholia, mania, &c. patet.

1253 Si oriuntur à siccitate nimia compescuntur victu, potu, fotu, balneo, injectis ex aquosis, farinosis, emollientibus, laxantibus, multum, diuque usurpatis.

Althæa,	Lactuca,
Malva,	Cichorea,
Violaria,	hic præ cæteris probata.

(a) Aliqua dicta sunt circa confectiones istas miras, et inconditas (§. 1189). Hic adduntur *Tryphera*.. quæ sunt medicamenta vi ipsa vocis *delicata*, et *suavia*. In Pharmacopœa Augustana descriptio habetur *Tryphera* magnæ, in qua opium, hyosciamus.. eminent. Clase xiv. pag. 203. sed *Tryphera* istæ, *Theriaca Andromachi*

1254 Si oriuntur ab acri quocunque, curatione acris (1251. 4.) tolluntur.

1255 Si vero inde fiunt, quod humores moventur validius, aut rapiuntur nimis in cerebrum curatio absolvitur

1. Sedantibus (1170).

2. Derivantibus, quæ fomenta, balnea, epispastica applicata inferioribus; hæc ex emollientibus, acrisque simul componuntur, unde herbæ emollientes, farinosæ cum sale, aceto, fermento acri, aromatibus fortissimis, cepis puta, alliis &c., hic laudatissimæ; etiam pisces, carnes recentes eo commendantur. Repercutientibus simul ad superiora applicatis; quæ memorantur

Acetum simplex,	Rosaceum;
Sambucinum,	Olea anodyna
Rosaceum,	Solani,
Violaceum,	Violarum,
Oxycratum;	Papaveris,
Unguentum Po-	Hyoseyami.
puleon,	

1256 Opiatis internis hoc in casu vix utendum, nisi constet malum consistere in solo nimio motu spirituum.

1257 Quo casu, præmissis primo evanachi, Philonia, Requies Nicolai, et similia eidem censuræ ibi positæ subjiciantur.

quantibus , et diluentibus , tum demum his uti prodest.

1258 *Excretiones* autem *nimiæ* sedantur per ea , quæ in pertractatione evacuantium nimis agentium dicta sunt. (1188. ad 1228).

1259 *Nimia excretio cruoris* per læsas arterias , venasve majores sedatur compressu , ligatura , combustione vasis , inspissatione fluidi , contractione solidi. Ubi Alcohol vini , spiritus æthereus terebinthinæ primaria.

1260 *Lipothymia (a)* ortæ à stagnante

(a) *Lipothymia istæ* usque ad asphyxiam per hipopsichyam , et sincopen procedere possunt. De his actum fuit. §. 829. Sed quia Res ista est maximi terroris et momenti , et citissimam curationem expostulat aliqua hic pro Institution. medicar. coronide adjiciendum.

Inter varias causas quibus humores stagnare possunt et spiritus in torporem maximum transire est suffocatio in aqua , suspensionibus , aliisve similibus infaustissimis succesibus quibus non solum *Lipothymia* sed *asphyxia* , sive mors ipsa apparet. Status iste totam Medici sapientis , atque sagacissime prudentis citam opem expostulat. Sed quia locus iste ad tractanda ea aptus non est Tyrones consulo ad ista , cura maxima atendere. Antonius Haen tom. VII. Rat. med. part. 13. pag. 349. et tom. IX. part. 2. pag. 187. de his fuse et utiliter tractat. Michael Barnades Archiater Hyspanus ista omnia pro dignitate explanavit libro utilissimo , quem inscripsit : Instruccion sobre lo arriesgado que

humore, et ab anxietate spasmodica sanantur diluendo, laxando. Si autem à vicio spirituum torpidorum, tum omni sti-

es en ciertos casos enterrar las personas sin constar su muerte &c. A. 1775. Med. Doct. Gardanne Catechesim instituit circa mortes apparentes *Asfixias* dictas, quæ hispanicè versa et publici juris facta Matrivi A. 1784. Quæ opera serio et ex animo consulenda. Hic enim optime citatur ab Hacno caput IX. Geneseos ubi terribilia ista à DEO ipso pronunciantur *de manu hominis de manu viri, et fratris ejus requirant animam hominis . . . ad imaginem quippe Dei factus est homo.*

A suffocatione hysterica potest etiam oriri *Lipothymia*, et *asphixia* etiam. Boerhaavius de hysterica suffocatione vix pertractavit, quod maxime dolendum quum affectio ista communissima sit, causæ abditissimæ, curatio difficilissima; ideo Auctores maximæ notæ consulendi Sidenhamus, Lorryus, Pomcius, Whyttius. Cullenius à Doctore Josepho Manuele Chaves qui eum in Idioma Lusitanicum convertit valde laudatur per ista verba. Toda a doutrina do Dr. Cullen, è Bosquillon posso fazer certa por constantes experiencias na praxe, que tenho feito em hum grande numero de mulheres hystericas. tom. V. pag. 376.

Boerhaavius in Opere de Morbis Nervorum, tom. 2. pag. 698. et 99. aliqua super isto morbo protulit. Sed de illo alibi dicitur in Aphor. ejusdem Boerh. præsertim Aphor. 1198.

Hic in fine Therapeutices Boerhaavius ad suffocationem hystericam debellandam proponit foetida anthysterica, et in prælectione Assam

mulo Cardiaco (1112). Si ab evacuatio-
ne, per replentia curantur (1097. ad
1107). Si a suffocatione hysterica tum per
fœtida Anthysterica.

fœtidam, camphoram et similia adhiberi posse
tantum eligit, et commemorat. Aliqua re-
media anti hysterica in Tyronum gratiam pro-
ponenda ex probatissimis Auctoribus deprompta.
Talia sunt: Radices Angelicæ, Peoniæ, Vale-
rianæ silvestris. . Folia Arthemisiæ, Aurantio-
rum, Matricariæ, Mellissæ, Menthæ, Rutæ...
Flores Calendulæ, Cammemeli, sthæcados, Ti-
liæ. . Cortex Peruvianus, Cascarilla, Crocus,
Castoreum. . Myrrha, Succinum, Ambra, Mos-
chus. . . Tincturæ Castorei, Succini, Croci. . .
Spiritus cornu cervi succinatus, Esentia anti
hysterica. . Sirupus de Arthemisia, de sthæ-
chade, de Betonica, de Karabe, de Corticibus
Citri. . Liquor anodinus mineralis Hoffmanni,
sal volatilis succini. . Opiata...

Circa usum horum auxiliorum notandum Mu-
lieres hystericas alias esse sicci corporis, fibræ
rigidæ valde tensæ, ad motus spasmodicos aptæ..
in quibus diluentia, laxantia, venæ sectio, ano-
dina, opium ipsum etiam per clysterem injectum.
prossunt, atque hisce tractari debent; alias vero
esse laxas, vapidas, inertes. . quibus aromata,
tonica, ferruginea, vomitoria, purgantia. . præ-
stant. Sed de his alibi fusius dicendum.

INST. MED. FINIS.

MATERIÆ MEDICÆ


BOERHAAVIANÆ

SYLLOGE SIVE COLLECTIO,

In qua Medicamenta Omnia quorum in ipsius Therapeutice, et Libello de Materie Medica fit mentio, ordinatim exhibentur.

Adduuntur Verbo Boerhaaviano præposito

1. Synonima, sive Botanica, sive Fossilia, sive Animalia.
2. Pharmaceutica, seu ea quæ usui medico sunt destinata notata Ph.
3. Qualitates, et Vires.
4. Præparata.

mnia Medici Opera tribus instrumentis perficiuntur. Prima ex debita victus ratione secundum legitimum sex rerum non naturalium usum instituuntur. Secunda circa ea versantur quæ manu periti Professoris. Chirurghi dicti, in corpore humano exercentur. Tertia omnia Medicamentorum genera ambitu suo amplectuntur, et Pharmacia nominatur.

Pharmacia de qua nunc dicendum est illa Medicinæ pars, quæ materiam medicamentorum eorumque facultates, usus, et componendi modos amplectitur. Hæc ad tria naturæ Regna se extendit; ad Vegetabile nempe, quod præstantissima; ad Minerale, quod fortissima; et ad Animale, quod blandissima offert Medicamenta. Ex his tribus Naturæ Regnis selectiora Remedia proposuit Boerhaavius.

Medicamenta dividi solent in simplicia, composita, externa, interna.

Simplicia, quæ ex singulis Plantis præcipue desumuntur secundum modum nascendi indicantur, v. gr. Radix, Lignum, Cortex, Folia, Flores, Fructus, Semina, Succus.

Præparata ex his simplicia sunt: aqua destillata, oleum, spiritus, essentia, sal, extractum, conserva, conditum,

confectio, syrupus, rob . . . Eorum qualitates sunt: odor, sapor, color, consistentia . . . et vires, v. gr. alterantes, evacuantes, nervinæ . . . quæ admodum considerandæ.

Præparata ista vegetabilia ex Planta qualibet possunt confici; ideo aliqua tantum, usitiora præsertim apponuntur.

Composita medicamenta sunt illa quæ ex pluribus simplicibus simul mistis conflata sunt; aut quæ artis ministerio in aliam formam commutata fuerunt.

Utraque sunt externa, media, et interna. *Externa* sunt quæ extrinsecus applicantur: *Media* quæ in cavitatem aliquam immituntur: *Interna* sunt quæ internorum affectuum curationi sunt accommodata, sive interius assumantur, sive exterius applicentur.

Præter naturam, virtutes, et utendi modum, etiam doses, sive quantitates remedium exactissime dignoscendæ. Maximi enim est momenti cujuslibet medicamenti dosim recte tenere, sine qua nemo unquam Medicinam facere audeat, nisi cum certo Ægrotantium vitæ discrimine.

Ideo præmitere voluimus Regulas generales pro mitioribus remediis justa, et proporcionata dosi exhibendis, et postea tabulam posologicam aponemus pro fortioribus exacta, atque determinata dosi

prudenter, et à prudenti Medico administrandis.

Doses istæ aptius literis quam figuris exprimendæ atque determinandæ sunt. Medicus in harum determinatione rationem habeat ad Ætatem, Sexum, temperiem, statum. . . Ægrotantis; et præcipue ad morbum, ejus causam, et symptomata vehementia.

Manipulus, Pugilus, Cyatus, Cochlear. . . sunt Doses incertæ et ideo vitandæ. Exactius designantur et designari debent per uncias, drachmas, &c.

Manipulus æquivalet uncia dimidæ.

Pugilus æquivalet Drachmæ.

Cyathus, seu vasculum uncis duabus.

Cochlear, semuncia, seu uncia dimidæ.

P O S O L O G I A

Seu Tabula indicans Dosim in communi,
qua Medicamenta exhibentur.

S I M P L I C I A.

Radices, v. gr. Althææ, Apii, Borraginis, Bistortæ, Chinæ. . In substantia, seu in pulverem redactæ, ad Drachmam. In decocto, ad unciam pro quaque libra aquæ, in qua coquantur ad consumptionem tertiæ partis.

Radices ari, dyctamni albi, gentianæ, polypodii. . minori dosi.

Ligna, v. gr. Aloes, Juniperi, Guajaci, Sassafras, Sandali. . in substantia ad scrupulum : In decocto ad unciam dimidiam.

Cortices v. gr. Chinæ Chinæ, Aurantiorum, Tamarisci. . In substantia ad drachmam : in decocto, infuso, ad drachmas duas, vel tres.

Folia eadem, aut paululum diversa dosi ac cortices.

Flores, v. gr. Acaciæ, Anthos, Aurantiorum, Borriginis, Buglossæ, Lilliorum alborum, Meliloti, Verbasci. . . ad Drachmam.

Fructus, v. gr. Caricæ, Dactyli, Pru-

na . . numero quatuor , vel sex in decoctione pro quaque libra aquæ.

Semina , v. gr. Fœniculi , Apii , Anguriæ , Cucumeris Melonis ; Cucurbitæ , Lactuæ . . pro emulsionibus ad semunciam pro libra aquæ.

Semina Carthami , Cataputiæ , Colocynthis , Hyosciami , Synapi . . parva dosi præscribantur : imo pro usu interno nulla.

Succi Plantarum deppurati per solam subsidentiam , et decantationem , v. gr. Borriginis , Buglossæ , Endiviæ , Rosarum . . ad uncias duas.

Succi inspissati , v. gr. Absynthii , Acetiæ , Cydoniorum , Granatorum , Mororum , Acetosæ , Cichorii . . Qui sunt veluti Extracta ad drachmam.

Gummata , v. gr. Arabicum , Tragacanthum . . ad drachmam semis.

Gummata , v. gr. Galbanum , Hederæ , Juniperi . . vino , vel alio liquore soluta , et in Pilulas redacta ad scrupulum dimidium.

P R Æ P A R A T A.

Aquæ destillatæ simplices , v. gr. Borriginis , Buglossæ , Cardui benedicti . . . ad uncias quatuor , vel sex.

Aquæ destillatæ spirituosæ , v. gr. Ci-

namomi , Melissæ . . . ad scrupulum.

Aceta . . v. gr. Bezoardicum , Rosatum , Scilliticum , Theriacale . . ad drachmam dimidiam.

Olea cocta , et expressa , v. gr. Amygdalarum , Absynthii , Camomillæ , Rosarum . . ad unciam dimidiam.

Olea destillata , v. gr. Absynthii , Anisi , Fœniculi , Majoranæ , Roris marini , Succini , Cinamomi , Caryophilorum . . ad guttas octo.

Spiritus acidi v. gr. Nitri , Vitrioli , Salis communis , seu marini . . dosis vel nulla vel ad guttas duas pro qualibet aquæ libra.

Hi Spiritus dulces , hoc est , Alcohole temperati ad guttas octo , vel decem.

Spiritus alkalinii seu urinosi , v. gr. Salis Ammoniaci , Cornu Cervi , Lumbricorum terrestrium , Urinæ . . ad guttas sex , vel octo.

Spiritus fermentati , v. gr. Cochleariæ , florum Sambuci . . ad guttas quindecim , vel viginti.

Essentiæ , v. gr. Absynthii , Myrrhæ , Succini . . ad guttas quindecim.

Essentiæ Ambriæ , Castorei . , ad guttas decem.

Elixiria , v. gr. Proprietatis Paracelsi , Uterinum , Viscerale . . ad scrupulum.

Salia fixa , v. gr. Absynthii , Cardui Benedicti , Centauræ minoris , Genistæ . . .

In aqua vel alio liquore proprio soluta ad scrupulum.

Sal Tartari, seu Potassa ita soluta ad grana quatuor, vel sex.

Salia volatilia, v. gr. Cornu Cervi, Succini, Viperarum ad grana sex.

Salia accida, v. gr. sulphuricum nitricum, muriaticum inussitata.

Salia Neutra, v. gr. tartarus vitriolatus, Sal Polychrestus, Nitrum, Sal prunellæ, tartarus Solubilis ad drachmam dimidiam vel unam.

Terra foliata tartari ad grana decem.

Flores Antimonii, Martis, Salis ammoniaci, Sulphuris . . . ad grana quatuor.

Lapides, v. gr. Bezoadicus orientalis, et occidentalis, chrySTALLUS montana, cancerorum . . . ad scrupulum.

Lapis hæmatites, vel sanguineus præparatus . . . ad grana octo, vel decem.

Extracta v. gr. Absynthii, centaureæ minoris, cocleariæ, enulæ, fumaricæ, gentianæ, tormentillæ, corticis, puruviani . . . ad scrupulum.

Extracta Croci, Theriacæ Cœlestis . . . ad grana quatuor.

Fœculæ, v. gr. Ari, Bryoniæ . . . ad grana quindecim.

Conservæ, v. gr. Acetosæ, Citri, Mellissæ, Menthæ, Rosarum . . . ad drachmam.

Condita Calami aromatici, Corticum citri, Zingiberis . . . ad drachmam semis.

Confectiones, seu electuaria, v. gr. Alchermes, Diascordii Fracastorii, Theriacæ . . ad scrupulum.

Electuaria purgantia, v. gr. de baccis lauri, benedictæ laxativæ, prunorum, hieræ picræ Galeni . . pro clysteribus ad unciam.

Syrupi, v. gr. Absynthii, Alkermes, Cichorei . . ad unciam unam.

Lohoch, v. gr. Radicis Althææ, Radicis farfaræ . . ad unciam dimidiam.

COMPOSITA.

Doses compositorum, v. gr. Pulverum, Pilularum . . postea suis locis proponentur (a).

(a) Circa doses medicamentorum hucusque propositas, et nunc in sequenti Tabula speciali proponendas, consulendus Pauli Andreae Parenti *Dosium tum ad simplicia, tum ad Composita Medicamenta spectantium Index locupletissimus*. Edit. 3. Venet. An. 1761. in 4. Consulenda etiam præsertim Temperamentum genericum Regni, Provinciæ, Pagi ipsius in quo Medicina peragitur, et denique, atque præcipue Natura ægrotantis, ætas, morbi status . . et reliqua particularia, ex quorum calculo exacto exurgere debet ad eam exacte definendam INDICATIO.

TABULA POSOLOGICA
SPECIALIS.

- A**conitum : ejus extractum à grano uno ad tria vel quatuor , caute tamen.
- Æther Sulphuricum** : Oleum fragrantissimum à guttis quatuor ad octo. Sacharo excipitur , et in vino , aut aqua florum Aurantium sumitur. Extus Gossipio exceptum , et temporibus applicatum est anticephalalgicum.
- Ætiops mineralis seu mercurialis** ex hydrargiro , et sulphure emergens nunc *Oxidum hydrargiri sulphuratum nigrum* à granis duodecim ad viginti.
- Agaricus** in infuso à drachma dimidia ad unam. In substantia à scrupulo uno ad duos ; trochisci usitatiores.
- Aloe succotrina** , succus inspissatus , à granis quatuor ad decem.
- Alumen** à granis duobus ad octo.
- Ambra cineritia** à grano dimidio ad duo , vino , ovi vitello , vel sacharo misceatur.
- Antihecticum Poterii** , vel Diaphoreticum Joviale , è Regulo Antimonii martialis , Stanno et nitro emergens , à granis tribus ad sex. Cautè.
- Antimonium Diaphoreticum** *Oxidum sti-*

bii album nitro confectum à granis quatuor ad duodecim.

Aquila alba, seu Mercurius dulcis à granis quatuor ad duodecim.

Arcanum Corallinum seu Mercurius præcipitatus ruber, à grano dimidio ad unum. Inusitatum.

Arcanum duplicatum, Nitrum vitriolatum, seu sal de duobus à scrupulo uno ad drachmam unam.

Arnicae flores in infuso ad scrupulum. Cautissima herba Storckiana.

Asa foetida, Gummi-ressina à granis quatuor ad decem. Quoniam alias dicitur *Stercus Diaboli* forma pilulari adhibeatur.

Asari radix in pulvere à scrupulo uno ad drachmam.

Asellus præparatus *insectum* à granis decem, ad viginti.

Balsamum Sulphuris Terebinthinatum à guttis duabus ad sex. Aliqua conserva misceatur.

Bdellium, Gummi-resina à granis sex ad decem.

Belladonna, seu solanum letale acidis corrigendum. Baccæ, vel folia sicca infussa ad unum, vel alterum granum. Advertendum epitheton *letale*.

Borax sal minerale à granis sex ad duodecim.

Camphora à granis quatuor ad octo.

Cantharides à quarta parte grani ad unum.

Cave!

Carthami semen ad drachmam dimidiam.

Castoreum in substantia à granis sex ad duodecim. Præstat hujus tinctura dosi simili.

Cicuta major venenum Narcoticum aceto corrigendum. Hujus extractum laudavit Storckius à granis duobus ad sex, vel octo.

Cinnabaris nativa à granis duobus ad quatuor. Factitia præferenda eadem dosi.

Colocynthis.. Fructus .. in decocto seu infuso à scrupulo dimidio ad unum. In pulvere à granis duobus ad sex.

Confectio Hamec , Agaricum , scammonium , et colocyntidem præter alia admitens , à scrupulo dimidio ad unum.

Copaiva Balsamum à guttis decem ad viginti , vitello ovi solvatur.

Crocus Martis apperrens à granis octo ad quindecim.

Crocus Martis adstringens á granis octo ad viginti.

Crocus Metallorum à granis duobus ad quatuor. Inusitatus.

Dyacridium à granis quatuor ad octo.

Dyaphenicum electuarius valde purgans à scrupulo dimidio ad unum. Tutius pro clysteribus ad unciam dimidiam.

Elaterium succus inspissatus, à granis duobus ad quatuor. Vitandum.

Essulæ Radix in pulvere à granis duobus ad quatuor. In Aceto inacerata à scrupulo dimidio ad unum.

Euphorbium Gummi-resina à granis duobus ad quatuor. Vitandum.

Flores Benzoe, seu sal essentielle, et volatile hujus Balsami à grano uno ad quatuor. *Acidum benzoicum sublimatum.*

Fuligo à granis quatuor ad duodecim.

Galbanum, Gummi-resinosum à granis quatuor ad decem.

Gratiola à granis sex ad decem.

Gummi Ammoniacum in pulvere à granis octo ad quindecim.

Gummi gutta à granis duobus ad sex. Sale tartari corrigatur.

Guttæ Anglicæ à guttis quatuor ad decem.

Helleborus albus, ejus extractum acerrimum à granis duobus ad quatuor. Inusitatum.

Hellebori nigri Extractum eadem dosi.

Hæmatites, vel Lapis sanguineus ad grana decem.

Hermodactyli Radices in pulvere à drachma dimidia ad unam.

Jalappa Radix ad scrupulum. Gummi-resina fere insipida à granis sex ad decem.

Kermes minerale, ex Antimonio et Nitro à grano dimidio ad unum. Sacharo misceatur.

Kermes vegetabile vel granum tinctorium in pulvere à granis sex ad scrupulum.

- Laudanum liquidum Sydenhamii , seu
Guttæ anodinæ à guttis octo ad vi-
ginti.
- Laudanum simplex seu extractum aquo-
sum opii à grano dimidio ad grana duo.
- Lillium Paracelsi , tinctura ex tartaro,
et spiritu vini emergens à guttis tribus
ad octo. Nunc *Alcohol Potassæ*.
- Liquor anodynus mineralis Hoffmannii ex
oleo vitrioli seu acido sulphurico , et
spiritu vini emergens à guttis decem
ad quindecim.
- Magisterium sulphuris à granis sex ad
decem. Nunc *Sulphur præcipitatus*.
- Moschus substantia unctuosa à quarta
parte grani ad unum.
- Myrrha à granis quatuor ad octo. Hu-
jus tinctura à guttis sex ad decem.
- Oleum Juniperi æthereum à guttis dua-
bus ad quatuor.
- Oxymel scylliticum à drachma una ad
duas.
- Petroleum vel Naphta fluidum minerale
graveolens à guttis duabus ad sex.
- Philonium Romanum , Electuarium nar-
coticum pro clysteribus ad drachmam
unam.
- Pilulæ Cynoglossi , narcoticæ , anti-
spasmodicæ à granis duobus ad sex.
- Præcipitatus albus interne vetatus.
- Præcipitatus ruber interne noxius.
- Pulvis Algarot , nunc *Oxidum Stibii acido*

muriatico confectum à granis duobus ad sex.

Pulvis Cornachini , dyacridio , cremore tartari , et antimonio diaphoretico confectus à scrupulo ad drachmam.

Pulvis temperans , ex miscella nitri , tartari vitriolati , et cinnabari à granis viginti ad triginta.

Resina Guajaci à granis sex ad quindecim.
Saccharum vermifugum , seu Hydrargirus in Sacchari duplici pondere extinctus à granis quatuor ad octo.

Sal Ammoniacum à granis sex ad decem.

Sal Anglicanum sublimatione è serico crudo eductum à grano uno ad sex.

Sal Glauberi , nunc *Sulphas Sodæ* à drachma dimidia ad unam.

Sal sedativum Hombergii , è Borace , et vitriolo emergens à granis sex ad decem.

Sal Saturni , seu saccharum è solutione cerusæ in aceto paratum pro usu externo tantum.

Scammoneum Gummi-resina à granis duobus ad quatuor.

Scylla præparata à granis duobus ad quatuor.

Soldanellæ folia in substantia à scrupulo dimidio ad unum.

Spiritus Mindereri nunc : *Acetis ammoniacalis* à guttis octo ad quindecim.

Sublimatus corrosivus : sal accerrimum

cautissime utendum ad quartam grani partem in debita aqua pura solutum. Caute iterum!

Succinum vel Karabe substantia vituminosa in pulvere à granis sex ad duodecim. Nunc : *Sulphur sublimatus*.

Sulphuris Flores à granis octo ad duodecim.

Syrupus Glauberi ex tinctura florum Antimonialium cum saccharo : emeticum blandum à guttis octo ad duodecim.

Syrupus de Karabe è succino et opio confectus à drachmis duabus ad unciam dimidiam.

Tartarus stibiatus , seu emeticus ad grana duo : dissolvatur in aquæ puræ libra una , et unciatim sumatur , quousque effectus qui intenditur sequatur.

Thymelæa , sive laureola. Cortex , Folia . . . in aceto macerata in pulvere à granis sex ad decem.

Tinctura croci valde emmenagoga à guttis sex ad duodecim.

Tithymalus cataputia dictus . . . semina pulverata à granis duobus ad sex. Inusitata , vitanda.

Trochisci de Agarico è pulvere hujus fungi , et infusione zingiberis in vino albo confecti à granis sex , ad duodecim.

Trochisci Alhandal ex fructu colocyntidis in pulverem redacto , et Gummi traga-

- cantho excepto à granis duobus ad sex.
Pro enematibus aliquanto majori dosi.
Trochisci Gordonii adstringentes à scrupulo uno ad duos.
Trochisci de Karabe adstringentes à scrupulo dimidio ad unum.
Turpetum, radix resinosa in pulvere à granis decem ad viginti. Inusitata.
Turpetum minerale, seu Mercurius præcipitatus flavus à grano dimidio ad unum. Camphoræ misceatur.
Viride Æris, erugo seu rubigo virescens à laminis cupreis ... ussus externus tantum.
Vitriolum viride, Sal fossile Metallicum, vel ferruginosum, pro ussu externo.
Vitriolum album, seu vitriolum viride calcinatum, emeticum à granis quatuor ad octo.
Vitrum Antimonii ceratum, è fusione vitri Antimonii cum ceræ citrinæ octava parte, et in tenuissimum pulverem redactum à granis duobus ad sex.
Zibetum à grano dimidio ad grana duo.

SYLLOGE.

A.

A brotanum mas : *Artemisia Abrotanum*. Ph. Herba. (a) Summitates. . Qualitates . . Amara , gravifragans . . Virtutes: antacida , anthelmintica . . Præparata : coma pulverata , oleum.

Abrotanum foemina , seu *Santolina* , *Chamæcyparissus*. Ph. Herba , summitates floridæ , semina . . Herba ista est Abrotano mare imbecilior , sed tamen aromatica , amara , acris , antihysterica , anthelminthica , semina præcipue. Folia inter laneas vestes sparsa tineas arcent.

Absynthium vulgare , *Artemisia Absynthium*. Ph. Herba , summitates. . amarissima , aromatica . . antacida , stomachica. Syrupus , conserva , extractum , oleum , sal.

Absynthium ponticum , *Artemisia Pontica*. Ph. Herba Absynthio vulgari suaveolentior , et delicatior , sed debilior... Conserva.

Abutilon , *Sida Abutilon* , *Napea Abutilon*. Ph. Herba . . Malvæ similis sapore , odore , virtute.

Acacia nostras *Prunus spinosa syl-*

(a) Per herbam intelligitur tota Planta præter Radices , flores , et fructus.

vestris. Ph. radix , cortex , fructus , flores. Radix , et cortex adstringentes : flos laxans , fructus refrigerans. . Succus , Syrupus , conserva prunorum sylvestrium.

Acacia vera *Succus* ex planta seu arbore , quæ mimosa nilotica vocatur. Ph. Gummi arabicum. Istud ad subigenda difficulter solubilia aliis omnibus præstat , vitello ovorum præsertim alias consueto.

Acanthus *Branca Ursina*. Ph. Radix , folia . . glutinosa , demulcens.

Acetosa *Rumex Acetosa*. Ph. Radix , herba , semina . . acido-austera , amara , refrigerans , tonica . . Syrupus , conserva.

Acetosella *Oxys* , seu *Oxalis Acetosella* , item *Luyula*. Ph. Herba . . acidula , refrigerans . . Conserva Acetosellæ , seu Al-leluïæ , syrupus , sal essentielle.

Acetum *distillatum* . . ex viti vinifera. Hodie vocatur *acidum acetosum*.

Aceta varia , variis particulis unius , seu plurium simplicium mediante infusione impregnata. v. gr. rosatum , scylliticum , plumbi , acetum vulgo *de estragon*. Vid. Dracunculus.

Aconitum *Anthora*. Ph. Radix . . amara , acris . . suspecta.

Aconitum napellus. Ph. Herba . . suspecta , venenata , etsi Sthorckio laudata . . Pulvis , extractum.

Acorus verus *Acorus Calamus* . . Ph. Radix . . aromatica , acris , amaricans . . .

antiseptica , antiscorbutica . . . oleum , extractum , conditum.

Acorus palustris Iris pseudoacorus. Ph. Radix . . acris , diuretica , stomachica.

Acriviola Nasturtium indicum , seu cardamindum. Ph. teneri caules , fructus . . antiscorbutica . . Conditum in aceto.

Adamas Gemma pellucidissima , duritie summa , colore aqueo , igne persistens. Ph. Pulvis . . iners , inusitatus . . mechanice venenatus . . dosis nulla.

Adiantum aureum Polytrichum commune. Ph. capilli veneris herba . . Splenica , diuretica.

Æs Cuprum nativum , et fusum , seu depuratum. Ph. Limatura , flos , calx , seu oxidum , squama , ærugo . . . adstringens , corrodens , emeticum , venenosum ; externe tantum adplicandum , nam intus suspectum , nocuum , inusitatum.

Agallocum Lignum Aloes , seu Xilaloës. Ph. Lignosa phragmenta interioris medullæ hujus arboris . . lactescens , meditullium ligni amarissimum , venenatum , excorians , inebrians.

Agaricus albus Boletus Laricis. Ph. Resina . . acris , nauseosa , subadstringens. Extractum , trochisci.

Agaricus muscarius Fungus acer , foetidus , inebrians , in furorem conjiciens . . vitandus.

Agaricus quernus seu Agaricus Chi-

rurgorum. Boletus igniarius, in truncis variarum arborum antiquarum provenit ut Quercus, Betullæ. Fungus pro Hæmorrhagiis sistendis, externe presertim usitatissimus.

Agaricus mineralis *Lac Lunæ* subterraneus, candidus, friabilis Agarico vegetabili similis: absorbens, antacidus. . adstringens, superstitiosus.

Ageratum *Achillea Ageratum.* Ph. Herba . . . amara, aromatica Aqua. oleum.

Agrimonia eupatoria . . Ph. folia . . stiptica, roborantia, vulneraria.

Alauda *Avicula* notissima, cristata. . culinaris. Est etiam piscis saxatilis ejusdem nominis, et ejusdem fere substantiæ, et usus.

Alcahest Glauberi: alcali ex calcinatione tartari, et nitri emergens, et per deliquium solutum. De Alkaest, sive menstruo universali vid. Boerhaav. Element. Chemiæ tom. I. pag. 451. Edit. Paris.

Alcea *Rosea.* Ph. Malvæ arboreæ flores, semina . . fatua; emollientia.

Alcea Hibiscus. Ph. Avelmoschi semina, quæ grana moschata etiam dicuntur: odoratissima, ambrosiaca, exanthematica.

Alchemilla Vulgaris. Ph. Radix, Herba . . stiptica, sophisticans.

Ale Britannorum . . Cerevisia fortissima Anglis usitata.

Alkali fixum minerale *soda*, vegetabile *Potassa* nominatur.

Alkali volatile, seu *Ammoniacum*.

Alkohol vini: Spiritus vini rectificatissimus.

Alkekengi *Physaris Alkekengi*. Ph. Herba, Baccæ, semina . . acida, refrigerans, diuretica, eccoprotica.

Alliaria: Vid. Eryssimum Alliaria.

Allium sativum. Ph. Radix; quæ est *Bulbus* subrotundus, graveolens, acris, excitans, transpirans, diureticus, expectorans. .Syrupus ex allio; oxymel ex allio.

Allium *montanum*. Ph. victorialis longæ radix . . fragrans, alliacea . . inusitata, superstitiosa.

Allium *porrum*. Ph. Radix, quæ est *Bulbus* conicus . . acris, calidus . . diureticus . . culinaris.

Allium *cepa vulgaris*. Ph. Radix, quæ est *Bulbus* rotundus, et depressus . . fragrans, acris . . culinaris.

Aloe: succus inspissatus, amarus ex foliis *Agallochi* veri seu ex *Aloe perfoliata* vera extractus. . *Aloe Hepatica*, *succotrina*, *cavallina*.. varietates sunt.. *Aloe depurata*, seu *lota*; *aloe insuccata*, extractum *Aloes gummosum*, *tinctura Aloes*.

Alsine *Planta nemorosa* dicta, et etiam *Morsus Gallinæ* Ph. Herba, flores . . saponacea, refrigerans, nutriens.

Althæa officinalis Ph. Radix, præ

aliis . . . mucilaginoso , emolliens. Etiam dicitur : Hibiscus . . . Syrupus , Pasta.

Alumen *Sal nativum* ita dictum. Est rupeum , vel plumosum. Ph. Alumen crudum , ustum . . . adstringens , antihæmorrhagicum : externe efficax , interne caute adhibendum ; hodie *Sulphas aluminosus*.

Alyson Planta subtilissima , penetrantissima , et diaphoretica per quam expelli potest venenum , fortasse Hydrophobicum. Ph. Folia , flores , semina . . . oleum.

Ambarus , Ambra Grisea , *Electrum opacum tenax* Bitumen è Mari collectum , binis et trinis coloribus variegatum , griseum . . . substantia pinguis , fragilis , ceræ ad instar mollescens , fragrans , inflammabilis , saporis expers , cordialis , cæphalica : anti-epilepticorum princeps ex Hoffmanno . . . exoleta , rara , prætiosa . . . Tinctura simplex vel composita.

Ambra liquida *Resina* ex Arbore liquidambar sive styracis virginianæ. Balsamo peruviano par.

Ammomum : Zingiber. Ph. Zingiberis radix . . . fervida , acris , aromatica , stomachica . . . Culinaris . . . Conditum , syrupus , oleum.

Ammomum cardamomum. Ph. Cardamommi minoris fructus , semina . . . acria , aromatica , stimulantia . . . nervina , culinaria . . . oleum.

Ammomum *grana Paradysi*. Ph. Pa-

radysi grana . . aromatica , acria , fervida ,
stimulantia , calefacientia . . oleum , resina .
Vid. Myrtus.

Ammoniacum Gummi. Gummi resi-
na ex Ammoniaco . . amaricans , nauseo-
sum , alliaceum , resolvens , emmenago-
gum . . . Gummi ammoniacum colatum ,
lac ammoniacum.

Ammoniacum Sal. Sal Ammoniacum
artificiale : stimulans , resolvens , diureti-
cum , anthycticum . . utilissimum . . Hodie
Murias Ammoniacalis dicitur.

Amygdala ex *Amygdalo communi*. Ph.
Nucleus . . dulcis nutriens . . amarus ine-
brians . . oleum , syrupus.

Amygdalus Persica. Ph. Nuclei , flo-
res. Nucleus amygdalæ amaræ similis. Sy-
rupus ex floribus præparatus purgans est.

Anacardium *Avicena Anacardium*.
Ph. Anacardii fructus. Nucleus est dulcis .
Putamen accerrimum causticum. Elec-
tuarium anacardinum , Mel Anacardi-
num. ; An morosis , et obliviosis deserviant ?
maxime dubium , et maniam aliquando
produxisse constat.

Anacardium occidentale. Ph. Fructus ,
seu nux . . Melligo exurens , excorians ,
exoleta . . vitanda.

Anagalis Arvensis. Ph. herba . . suc-
cosa , inodora , oleracea , et tamen anti-
venenosa. Aqua distillata , succus , oleum
coctum , essentia.

Ananas Bromelia Ananas. Ph. fructus globoso-oblongus fragrantissimus, sapidissimus . . . refrigerans, cordialis, diureticus, americanus, præciosus, rarus.

Anemone nemorosa Ranunculoides. Ph. Ranunculi albi herba, flores . . . acris, cosmetica . . . epispastica.

Anemone pratensis. Ph. Pulsatillæ nigricantis herba . . . acerrima, corrosiva . . .
Ophthalmica storckiana. . . . extractum, aqua distillata.

Anethum graveolens. Ph. Herba, flores, semina . . . subfætida, hypnotica, lactifera, carminativa . . . Aqua distillata, Oleum distillatum, et coctum.

Anethum fœniculum. Ph. Radix, herba, semina . . . subdulcia, aromatica, resolventia, carminativa, galactofora . . . Aqua, oleum distillatum, semina condita.

Angelica sativa, Angelica Arcangelica. Ph. Radix, herba, semina . . . calida, acris, amara, fragrans . . . Aqua, spiritus, oleum, balsamum, extractum.

Angelica sylvestris. Ph. Radix præcedenti debilior.

Anime ex Hymenæa Courbaril. Ph. Resina . . . Nervina, ad suffitum.

Anisum Pimpinella Anisum. Ph. Summitates, semina . . . Resolventia lactis, et sanguinis.

Anisum stellatum Illicium anisatum. Ph. fructus . . . stomachicus, carminativus.

Anser domesticus. Avis. Ph. Stercus.
Axungia . . caro edulis.

Anserina *Potentilla Anserina*. Ph.
Anserinæ, vel argentinæ radix, herba . .
insipida, adstringens. Vid. Pentaphilum.

Anthora, vid. Aconitum.

Antimonium *Semimetalium* albo ar-
genteo colore splendens valde friabile,
quod sulphure, terra, arsenico minerali-
zatur. Dicitur etiam stibium striatum.
Est nativum, et fussum; illud hodie *sul-
phuretum stibii* nominatur. Antimonium
purum est attenuans, antivenereum. . . in
pulverem reddactum et oculis cancrorum
mixtum est optimum apperiens, et non
est emeticum. PP. sunt: Antimonium pu-
rum, seu Regulus: Antimonium muria-
tum, semivitrificatum, sulphuratum ru-
brum, tartarus antimonialis. &c.

Aper *Sus Aper*. Ph. Apri-dentes . .
inertes . . suis caro et adeps celebres, usi-
tatæ.

Apium *graveolens*. Ph. Radix, her-
ba, semina . . Suspectum.

Apium *hortense* (vulgo Petroselinum.)
Ph. Radix, herba, semina . . resolvens
emmenagoga . . oleum.

Apium risus: *Ranunculus sceleratus*
Murray. Ph. folia . . venenata.

Apocinum *Planta venenata*. Dios-
corid. Lib. 4. cap. 82. Linn. Gen. 380.

Aqua Regia ex Nitro, et sale ma-

rino emergit. Hodie vocatur *Acidum nitromuriaticum*.

Aquilegia vulgaris. Ph. Herba, flores, semina . . subamara, aperitiva. . Tinctura florum *Aquilegiæ*.

Aranea insectum. Ph. Araneorum telæ . . subadstringentes pro usu externo. Araneæ omnes venenatissimæ sunt ardentis præcipue Syrio.

Arbutus Uba Ursi. Ph. Ubæ Ursi folia . . stiptica, inodora, adstringentia loco *Rhois* recipitur coriariis. Vid. *Rhus*. Pulvis.

Arcanum duplicatum. Hodie *Sulphas Potassæ V*. Sal Polycrestus, sal de duobus.

Argentum nativum, et depuratum. *Argentum foliatum*, præcipitatum, in pulverem redactum . . Prorsus in medicina inutile, si præparata excipias inter quæ *Lapis infernalis* pro usu externo communissimus.

Aries. Vid. *Vervex*.

Aristolochia Fabacea. Vid. *fumaria bulbosa*.

Aristolochia longa, rotunda. Ph. Radix utriusque . . nauseoso-amara, acris, odorata . . resolvens, pellens . . pulvis, decoctum.

Aristolochia vulgaris *Aristolochia clematis*. Ph. Radix . . amara, acris, resolvens diuretica.

Aristolochia Serpentaria Ph. Serpen-

tariæ virginianæ radix . . acris , aromatica ,
diaphoretica , antiputrida , antimaligna .
Pulvis , tinctura , essentia .

Armena *Bolus rubra* . . Ph. Glebæ
lotæ , et in Placentulas redactæ . . Pon-
derosa , stiptica , pinguis , aqua facile so-
lubilis , absorvens , adstringens , infirmæ
virtutis , licet usitata .

Armeniaca . . *Arbor* ita dictus , quia
in Armenia crescit . Fructus est pectora-
lis , cordialis , (vulgo Albaricoque) .

Armoracia *Cochlearia Armoracia* . Ph.
Radix . . acris , diuretica , antiscorbutica . V.
cochlearia .

Arnica . V. Doronicum .

Arsenicum *Semimetalum* fragilissi-
mum atque volatillimum , acerrimum ,
allium redolens . Est nativum , album ,
flavum , rubrum , et factitium ex cobal-
to . Ph. Amuletum in pulvere . . causti-
cum , obsoletum , infensissimum , quam
maxime venenatum .

Artemisia rubra , vel alba . Artemisia
vulgaris . Ph. Herba , summitates . . amara ,
roborans , uterina , pellens . . Aqua , Syru-
pus , MOXA .

Artemisia Abrotanum . Vid. Abro-
tanum .

Artemisia Absinthium . Vid. Absyn-
thium .

Artemisia Dracunculus Ph. Herba . .
fragrans , aromatica , calefaciens , tonica ,

stomachica , emmenagoga . . Culinaris . .
Acetum , in quo ista infunditur vulgo
dicitur : *Vinagre de estragon*.

Arum maculatum. Ph. Radix , Her-
ba . . exurens , incidens , recens corrosi-
va . . Fœcula.

Assa dulcis. Vid. Benzoè . . Gummi-
resina , ex crotone Benzoe.

Assa foetida ex Ferula Assafoetida . .
Gummi-resina. Carminativa , emmena-
goga , anthysterica , anti-asthmatica . . .
tinctura . . In pilulas redigenda.

Asarum Europeanum. Ph. Radix , Fo-
lia , semina . . nauseosa , amaroacria , vi-
rulenta . . extractum (ex radice).

Asarum Hypocistis. Ph. Hypocistidis
succus , acidus , austerus , adstringens . . .
Planta Parasitica. Vid. Hypocistis.

Asclepias Vincetoxicum. Ph. Herba,
Radix . . odorata , subacris . . . sudorifera,
diuretica , emmenagoga . . suspecta . . Pul-
vis , extractum.

Asparagus Sylvestris. Ph. Radix , se-
mina . . subdulcia , diuretica , culinaria.

Asphodelus ramosus. Ph. Radix . . in-
grata , acris , diuretica.

Aspis Animal venenatissimum , infen-
sissimum . . *Aspis* omnium serpentum est
longe virulentissimus , valde exiguo vul-
nere trium horarum spatio necat.

Asplenium , lingua cervina , scolopen-
drium , Trichomanes , Ceterach , Ruta mu-

raria. . herbæ capillares . . roborantes , adstringentes , vulnerariæ.

Attriplex sativa. *Attriplex Hortensis*. Ph. Radix , herba , semina . . dubia . . Suis utilis.

Attriplex Sylvestris , *Chenopodium vulvaria*. Ph. Herba . . foetida , anthysterica.

Avena nigra. Ph. Avena excorticata , farina insipida , refrigerans magis quam hordeum , semina usitata.

Aurantium citrus *Malus aurantia mayor*. Arbor semper virens Ph. Succus aurantium , fructus *Aurantium* dictus , cortex , flavedo , flos *Naphæ* dicta . . suaveolens , roborans. Cortex viridis ad hæmorrhagias utilis , præstans . . . Aqua , oleum , syrupus , conserva , conditum.

Aurum nativum , et purum , solidum , seu coctum , repurgatum. Ph. Pulvis , in folia redactum ; præcipitatum . . Nobilissimum , et præciosissimum metallum ; sed in Medicina plane inutile , iners , frustraneum , et caute si quando est adhibendum . . Tinctura , Aurum fulminans.

Azederach Arbor (venenata ex Avicena). Ph. folia . . diuretica , emmenagoga . . vitanda.

B.

Balsamita : *Tanacetum Balsamita* Ph. Herba , semina . . amara , stomachica , anthysterica.

Balsamum de copaiva, seu Brasiliense: ex copaifera officinali. Ph. Copaivæ balsamum. . amarum, acre, mundificans, vulnerarium, diureticum.

Balamum de Mecca: ex Amyride opobalsamo: Ph. Balsamum de Mecca ovi vitello solvendum. . Aromatico-acre, vulnerarium, emmenagogum.

Balsamum peruvianum: ex Myroxilo peruifero: est album et nigrum, odoris fragrantis styracini, saporis acris calidi amaricantis. . Stimulans, vulnerarium, antiparalyticum, expectorans. . Essentia balsami peruviani, syrupus balsamicus, spiritus. . Balsamum de Palma. Vid. Bdelium.

Barbarea *Eryssimum Barbarea* Ph. Folia. . amara, leniter acria.

Bardana *Arctium Lappa*. Ph. Radix, herba, semina. . subaustera, amara. . diuretica depurans.

Basilicum *Ocymum Basilicum*. Ph. herba, semina. Vid. Ocymum.

Bdellium ex *Bdellio Palma*. Ph. Gummi-resina. . rubens, subamara. . vulneraria, resolvens, thoracica.

Becabunga *Veronica Becabunga*. Ph. Herba. (Vid. Veronica.)

Belladonna *Atropa Belladonna*, *Solanum maniacum*. Ph. Baccæ, folia. . phantastica, narcotica, paralytica, venenata, cautissima, vitanda.

Bellirica fortasse idem ac Bellis.

Bellis pratensis *Crysanthemum*, *Leucanthemum*. Ph. Bellidis majoris herba, flores . . subacris, penetrans, diuretica.

Bellis minor *Bellis perennis*. Ph. Bellidis minoris Folia, Flores . . leviter acria, resolventia, vulneraria. . Succus, tinctura florum.

Benzoe *Benzoinum*, ex *Crotone Benzoe*. Ph. Resina . . graveolens, nervina, balsamica, expectorans. . Tinctura, flores.

Berberis vulgaris. Ph. Berberidis cortex, baccæ, semen . . Baccæ acidissimæ, cortex amarus, purgans . . Succus, Syrupus, Rotulæ.

Beta rubra *Beta vulgaris* Ph. Radix, herba . . sacharina . . culinaris.

Beta alba: Beta cicla. Ph. Herba emolliens, errhina . . culinaris . . Succus.

Betonica purpurea officinalis. Ph. Herba, Flores.. odorata.. nervina, tonica.. Radix purgans, syrupus, conserva.

Bezoardicum Animale. Pulvis ex viperis confectus . . sudoriferus, depurans.

Bezoardicum Joviale. V. Stannum.

Bezoardicum minerale: *Oxidum stibii*.

Bistorta *Polygonum Bistorta*. Ph. Radix . . stiptica, adstringens . . usitata.

Boli: terræ sigillandæ. Vid. Armena. Creta, Lemnia, Melitensis, Rubrica.

Bonus Henricus *Chenopodium Bonus Henricus*. Ph. Folia . . Hæc Ulceribus ap-

plicata ea sanant. Vid. Murr. App. Medic.

Borax Sal Borax. Ph. *Borax* depuratus.. refrigerans, stimulans, purgans, emmenagogus; natura, et origine incertus.. apud Medicos pene obsoletus.. Pulvis.

Borrago officinalis. Ph. *Herba*, *Flores*.. refrigerans, oleracea.. *Syrupus Conserva*.

Bos Taurus, Vitulus, Bacca. Ph. *Stercus*, *Bezoar Cysticum*, seu *Lapis Alchiron*: *Fel inspissatum*; *Baccæ Lac*: *Vitulæ urina*.. Ex illo *aqua milleflorum*.

Botrys Chenopodium Botrys. Ph. *Herba* recens resinoso-balsamica, odorata, amaricans.. aperiens, abstergens, pectoralis, antihysterica.. *electuarium*, *Loch*.

Branca Ursina Acanthus mollis. Ph. *Herba.* Vid. *Acanthus*.

Brasica capitata alba, rubra: Brassica Oleracea. Ph. *Herba*.. nutriens, saponacea, emolliens.. *alkalescens*.

Brasica Napus. Ph. *Napi vulgo Buniadis Radix*, *semina*.. *oleum*.

Brasica Rapa sativa rotunda. Ph. *Rapæ semina*.. *succus resolvens*, *detergens*.

Brasica eruca. Ph. *Erucæ semina*.. *acria*, *fervida*.

Bryonia alba. Ph. *Radix*, *Baccæ*, *semina*.. *acris*, *amara*, *nauseosa*, *purgans*, *resolvens*.. *Extractum*, *Fœcula*.

Buglossum Anchusa officinalis. Ph. *Radix*, *Herba*, *Flores*.. *amara*, *mucilaginososa*.. *Aqua*, *Syrupus*, *Conserva*.

Bugula. V. *consolida media*.
 Bulbocastanum *Arbor*, cujus fructus
 est Bulbus nutricius castanea dictus...
 Usus vulgaris nutritius.

Bunium, et Bunias: duæ Napi spe-
 cies... semen. Vid. Brasica.

Buprestis: Animal ex genere Cantha-
 ridum. Venenatum, si inter Herbas à Bo-
 bus comedatur, eos inflare dicitur.

Bursa Pastoris. Vid. Thlaspi.

Butyrum è lacte Baccino extractum
 ceteris præferendum. Pro Linimentis re-
 cens usurpatur.

Buxus sempervirens. Ph. Lignum,
 folia... amarum, nauseosum, sudoriferum,
 mundificans. Folia purgant... Scobs, Pulvis.

C.

alamintha *Melissa calamintha*. Ph.
 Herba, flores... resolvens, pellens.

Calamita. V. Myrtus... stirax.

Calamus aromaticus *Acorus verus*.
 Ph. Radix... aromatica, amaricans, acris,
 pellens, stomachica... Spiritus, Conditum,
 Extractum.

Caltha Calendula *Caltha vulgaris*.
 Ph. Herba, flores, semina... amara, sudo-
 rifera, pellens... Conserva.

Calx Scarotica. Ph. Calx viva, seu
 Lapis calcareus... corrodens, vesicatoria.

Calx extincta fit, vivam aeri diutius

exponendo, vel ipsi aquam affundendo . . mundificans, cicatrizans, antacida, diuretica . . Aqua prima calcis, aqua secunda, lac calcis, cremor calcis.

— Calybs. V. Ferrum, quod ad usum medicum longe præstat.

— Camelina, seu *Myagrium*. Ph. Herba, semina . . . viscosa, acris, antiscorbutica . . Oleum ex seminibus Myagrii.

— Camphora, sive Caphura ex Lauro camphoriphera V. Laurus.

— Canis *Animal* notum. Ph. Stercus, seu album græcum . . obsoletum, inusitatum. Præparatio cornu cervi præponenda.

— Canis rabidus, et Hydrophobus mor-su, vel contactu hominibus aliisque animalibus infensissimus, maxime vitandus.

— Cantharis Officinarum, seu vulgaris Muscam oblongam pulchre virescentem referens. In Cynosbato, Ligustro, Ebulo, aliisque Plantis Hispaniæ, Galliæ degens. Ph. integra pulverata . . . usus externus, rubefaciens, exulcerans . . Sal acre volatile, causticum, quod ipsis inest, aliqui alkalinum; plerique tamen acidum esse deffendunt. Tessari hic . . Pulvis, essentia Bartholini.

— Capella *parva capra* Vid. Capra.

— Capo: *Avis* nota . . edulis.

— Capparis spinosa. Ph. Capparidis Radix, Cortex, Flores. . subamara, diuretica, emmenagoga. . Conditum ex Floribus.

Cappillus veneris, vid. Adiantum.

Capra alpina, seu Rupi capra. Hircus. Ph. Sanguis siccatus . . . sebum, lac. . . usitata.

Capra orientalis, et occidentalis, Bezoardica. Ph. Lapis Bezoar Orientalis, qui est calculus gastricus nucleo herbaceo, vel lapidoso instructus ex alimentorum reliquiis coalitus . . . Usitatus nimis . . . iners, frustraneus.

Caprillus . . . Quadrupes notus.

Capsicum: Piper indicum. Ph. Fructus, semina . . . igneum, inflammatorium, corrosivum. vulgo *Guindilla*. . . Conditum.

Carbonis clausi vapor, inebrians, necans.

Cardamine Pratensis. Ph. Nasturcii pratensis Herba Flores . . . subamaricans acriuscula, antiscorbutica.

Cardamomum. V. Ammomum.

Cardiaca *Leonurus Cardiaca*. Ph. Herba . . . olida . . . roborans, anthysterica.

Cardus Benedictus *Centaurea Benedicta*. Ph. Herba, Flores, semina . . . amara . . . sudorifera, tonica.

Carica pinguis *Ficus Carica*. Fructus notus edulis, demulcens, pectoralis.

Carlina Acaulis. Ph. Carlinæ seu cardopaciæ, seu chamæleontis albi Radix . . . Acris, amara, aromatica, sudorifera: stomachica, anthysterica, antipsorica . . . ob ignorantiam insueta ex Boerh. H. Pl

Carthamus tinctorius. Ph. Flores, semina . . Nauseosa, diuretica, purgantia . . Syrupus, extractum, electuarium.

Carum Carum carvi. Ph. Summitates, semina . . calida, olida . . resolventia, carminativa, culinaria.

Caryophilata Geum Urbanum. Ph. Herba, radix . . stiptica, antacida, sudorifera . . An febrifuga Radix?

Caryophylus Aromaticus. Ph. Fructus, seu flores nondum explicati. Aromaticus, calidissimus . . emmenagogus . . culinaris . . Aqua, Oleum, Balsamum.

Cassia cariophilata Myrtus Caryophyllata. Vid. Myrtus.

Cassia Fistula. Ph. Siliqua, pulpa . . . dulcis . . demulcens, eccoprotica . . pulpa cassiæ, electuarium è cassia.

Cassia Lignea. Vid. Laurus.

Cassia Senna Alexandrina. Ph. Folia munda, Follicula . . . amara, nauseosa, purgantia . . extractum, infusio . . usitata.

Castoreum Substantia pinguis, in folliculis inguinalibus Castoris seu Fibri Animalis amphibii recondita . . subacris, amaricans, nauseosa, foetida . . antispasmodica, anthysterica . . Pulvis, Tinctura, Oleum.

Cataputia major. V. Rizinus.

Cataputia minor. V. Euphorbia.

Catechu Gummi-resina ex Mimosa Catechu . . Terra Japonica . . adstringens.

Celeri *Apium sativum*, *hortense*. Ph. Herba, semina. Suspecta Vid. Apium.

Centaurea *Cyanus*: Ph. herba, semina.. amara: Flores inodori, insipidi.. laxantes, ophthalmici. Aqua florum Cyani.

Centaurium minus *Gentiana centaurium*. Ph. Herba, flores, summitates.. herba valde amara, inodora.. antiseptica, purgans, febrifuga, depurans.. extractum, sal, syrupus.

Cera: substantia sui generis in corporibus apum digesta, et in Apiariis in favos constructa.. Balsamica, emolliens, resolvens.. oleum.

Cerasa nigra, rubra. Prunus cerasus. Ph. Fructus, Nucleus, Gummi.. Acidiuscula, sapida, refrigerantia.

Cerastes *serpens*, vel vipera morsu nocentissima.

Cerevisia est Potus ex hordeo, tritico, Avena, lupulis, absinthio decoctis, fermentationi expositis, et postea deffecatus.. Humectans, inebrians.. juxta varia ei ingredientia.

Cervus *Quadrupes* et hinnulus cornibus ramosis. Ph. cornu raspatum, ustum, sebum, gelatina, oleum Dippelii, sal volatile.

Cerussa *Plumbum Aceti* vapore corrosivum, intus nocuum, venenatum. Hodie *oxidum plumbi album per acidum acetosum*.

Chærophilum sylvestre. Ph. *Cicutaria* herba ; aromatica , balsamica , aperiens . . Dicitur etiam *cerefolium*.

Chamædrys Teucrium Chamædrys. Ph. Herba, Fores . . odorata , amara . . roborans , pellens , sudorifera , emmenagoga.

Chamepithys Teucrium Chamepithys. Ph. Herba ; resino-aromatica , amara . . . pellens , emmenagoga.

Chamælea tricocos , quasi humilis olea , Ph. Folia , semina . . acerrima , venenata . . vitanda.

Chamelion nigrum , ejusdem generis.

Chamæmelum Anthemis nobilis seu *Leuchanthemum odoratius* , *Cammomila romana*. Ph. Herba , summitates , flores . . fragrans amaricans . . tonica carminativa , paregorica . . eximia.

Chælidonium majus Ph. Herba , Radix . . amara , acris . . diuretica , diaphoretica.

Chælæ cancerorum , sunt horum *forcipes crustacei*. Ph. *chælæ* in clibano siccatæ , et pulveratæ . . antacidæ , absorbentes , diaphoreticæ . . Pulvis.

Chænopodium. V. Bonus Henricus.

China china : *Cinchona Officinalis*. *Quinquina* Ph. Cortex . . amaricans , roborans , febrifugus , antisepticus. Heroicus , præstantissimus. Pulvis , Syrupus , tinctura , extractum.

China Smilax China. Ph. Radix , ino-

dora, mundificans, nutriens, anti-syphilitica . . Extractum.

Chondrilla, *Lactucæ Species*. Ph. Folia . . Hujus Lactucæ lac est amarissimum . . Herba inusitata.

Chrysomela : Malum seu Herba aliqua venenata (§. 1137.)

Chrysomelon, *aureum malum* : fructus fortasse venenatus.

Cicer *Arietinum*. Ph. Semina rubra, alba . . diuretica . . culinaria.

Cicer *Lens vulgaris*. Ph. Semina . . farinacea, nutrientia.

Cicer *Ervum*. Ph. Semina . . farina orobi . . subinsipida, apperients.

Cichoreum *intybus*. Ph. Herba, Radix, Flores, semina . . amara, tonica . . Syrupus, extractum . .

Cicuta major, terrestris, seu vulgaris, *Conium maculatum*. Ph. Herba . . Venenata, externe potius applicanda, apperients, anodina, anticancrosa . . cautione maxima à cautissimo Medico administranda interius . . extractum, oleum.

Cicuta minor *Aethusa Cynapium*. Ph. Herba . . venenatior majori.

Cicuta Aquatica *Cicuta virosa*. Ph. Herba . . venenatissima, maxime vitanda.

Cinnabaris nativa est Hydrargirum sulphure mineralizatum, minera rubra, Hydrargiri vena. Ph. Pulvis . . Cinnabaris pluries lota, seu per sublimationem pu-

rificata est cinnabaris facticia, omnino nativæ pro usu medico præferenda, ut Antivenerea, cæphalica. Nativa inners, et suspecta est ob partes, seu moleculas arsenicales ipsi non raro adhærentes.

Cineres clavellati: Fœces Vini post præviam exsiccationem calcinatæ ex Lieutaud. Sal fixum lixiviosum ex cineribus lignorum duriorum extractum, et calcinatum. ex Triller. Disp. Pharm.

Cinnamomum ex *Lauro Cinnamomo*. Ph. Radix, cortex, flos, fructus olivæ similis. . Cortex interior surculorum est suaveolens, dulcis, cordialis. . Lac, Aqua, Syrupus, Oleum. Vid. Laurus.

Citrum *Ex Citro Medica*. Ph. Cortex, hujus flavedo, caro, succus, Flores Naphæ, Semina. . Flavedo aromatica, cardiaca. Pulpa refrigerans, cordialis. Cortex roborans, antihystericus.

Clematis. recta. *Clematitis* Boerh. Ph. Flamulæ jovis Herba, Flores. . . recens acris, urens, vexicans, sudorifera, diuretica, purgans. . vitanda, venenosa, licet Storckio laudata. Extractum.

Cnicus Sylvestris. Carthamus Cnicus, sativo validior. Vid. Carthamus.

Cobaltum: Cadmia nativa fossilis, metallica. Est minera arsenicalis venenosa.

Cochlearia officinalis. Ph. Herba recens, semina. . amaricans, diuretica, mundificans, antiscorbutica. . conserva, spiritus.

Cochlearia Raphanus rusticanus. Ph. Armoraciæ Radix. V. Armoracia.

Colchicum *Vernale*. Planta perennis Europæ temperatoris. Ph. Colchici radix bulbosa . . Hujus odor hircinus, irritans, sapor acris, rodens. Stirps tota diuretica, drastica, venenata, cautissima . . Syrupus, Acetum, Oxymel. *Autumnale* Colchicum mitius jam est. Hinc lites super istius virtute dirimuntur. Vid. Murray. hic.

Colchicum Illyricum. Vid. Irys.

Colcothar Vitrioli: Vitriolum calcinatum, seu vitrioli viridis oxidum . . styp-ticum . . colcothar etiam est: oxidum ferri rubrum.

Colocyntis *Cucumis Colocyntis*. Ph. Fructus, medulla . . drastica . . vitanda.

Colophonia: Residuum post distillationem olei terebintinæ. Præcipua ex Colophone adsportatur. Vulgo *pez griega*.. solida, splendens, diaphana, fragilis, insipida. Vid. Pinus silvestris.

Columba *Avis Domestica* usui cibario destinata . . Stercus ad sinapismata, Sanguis ad collyria.

Concha Margaritifera *Concha Mater unionum*. Ph. Margaritæ orientales: Mater Perlarum. . Calcarea, aceto solubilis. . Absorbens, nimis usitata . . Aqua Perlarum, sacharum perlatum.

Concha ostreorum. Ph. Testæ calcinata . . superflua.

Confectio Alchermes . . continet lapidem lazulum , ideo reformanda. Confectio cordialis Pharmacopœæ hispanæ præferenda.

Consolida major *Symphitum Officinale*. Ph. Herba , Radix , Flores . .

Consolida media *Ajuga Pyramidalis*, *Bugula*. Ph. Herba , Radix , Flores . . amara . . subadstringens , vulneraria , detergens.

Consolida Regalis *Delphinium consolidida*. Ph. Herba , Radix , Flores : mucilaginosas . . vulneraria , subadstringens.

Contrajerba *Dorstenia Contrajerba*. Ph. Radix . . aromatica , amaricans . . Stomachica , sudorifera . . præstans,

Corallina marina *fucus helminthochorton*: alga polycaris circiter . . odoris ingrati , ut stirpium marinarum , saporis salsi . . anthelmintica . . Pulvis , electuarium , infusum , syrupus.

Corallium rubrum *Zoophitum è fundo Maris* Habitaculum Isidis nobilis. Ph. Corallia rubra , et ipsorum cortex . . absorbens . . usitatum , sed infirmæ virtutis. Pulvis , tinctura , syrupus.

Coriandrum *sativum*. Ph. Semina . . stomachica , carminativa , culinaria . . . confectio.

Cornu cervi. Ex Cervo Elapho , aut C. Dama. Vid. Cervus.

Cornus *Arbor*. Ph. Folia , Fructus . . . adstringentia . . conserva , Rob.

Corona *Imperialis*. Ph. Folia . . narcotica , venenata..

Cortex Magellanicus , Wintera aromatica. Ph. Cortex Winteranus , seu magellanicus arboris in terra *del fuego procerissimæ* . . antiscorbutica , depurans.

Cortex Peruvianus. V. China China.

Costus *arabicus* Ph. Radix costi . . . calida , acris , amaricans , fragrans , rara.

Coturnix *Avis* nota , edulis.

Crambe *Herba* Brassicæ similis. Ph. Folia . . emollientia , culinaria.

Cremor Tartari seu crystalli tartari. Vid. Tartarus solubilis.

Cremor tartari emetici , idem ac tartarus emeticus. Vid. iste tartarus.

Crepitus Lupi *Lycoperdum* , fungus. Ph. Crepitus lupi . . absorbens , incrassans.

Creta cohærens solida , *Calx* nativa terra mixta. Ph. eadem lota . . inodora , insipida , alchalina . . absorbens , incrasans , antacida.

Crocus *Sativus*. Ph. Stigmata . . anodyna , resolventia , uterina , pellentia , culinaria . . Pulvis , tinctura , extractum.

Crocus Antimonii. Vid. Antimonium.

Crocus Martis. Vid. Ferrum , nunc *Oxidum ferri*.

Crocus Martis aperitivus , hodie *carbonas ferri*.

Crocus Martis adstringens , hodie *Oxidum ferri fuscum*.

Crocus Metallorum. Hodie *Oxidum stibii sulphuratum semi-vitreum*.

Crystallus Argenti. Vid. Argentum.

Crystallus *Montana*: Crystallus vitri instar pellucida, dura . . absorbens.

Crystallus *mineralis* Nitrum Floribus sulphuris, vel horum acido impregnatum . . Sedans, refrigerans, diureticum, efficacius Nitro.

Cucumis vulgaris seu sativus. Ph. Caro, Semina . . . Subdulcia, refrigerantia, diuretica.

Cucumis Melo vulgaris. Ph. Melonis semina . . Subdulcia, subacria.

Cucumis colocynthis. Ph. Colocynthis pulpa, semina, resina . . amarissima drastica, emmenagoga. Vid. Elaterium.

Cucurbita *Pepo*. Ph. Semina . . lactifera, demulcentia, refrigerantia. . Emulsio.

Cucurbita *Anguria Citrulus*. Ph. Anguriæ, seu citruli semina . . demulcentia, refrigerantia. . Emulsio.

Cuminoides *Planta cumino similis*. Ph. Folia, semina . . aromatica, fragrantissima, apperientia, resolventia, diuretica, tonica, subadstringentia.

Cuminum *Cyminum*. Ph. Ambi veterum, Herba, semina . . aromatica, stomachica, tonica.

Cuminum *semine longiore*. Ph. Cuminum semina graveolentia, carminativa, diuretica, antihysterica . . oleum, spiritus.

Cuppressus *sempervirens* *Arbor nota*.
Ph. Lignum, Nuces fructus (strobili potius) adstringens . . Oleum.

Cuprum. Vid. Æs.

Curasavica : Aurantia Mala fragrantissima, quæ Insula Americana *Curassao* dicta profert. Aurantia hispalensia in usu sunt ex Murray. Vid. Citrus Aurantium. tom. 3. pag. 208. Apparatus Medicam.

Curcuma *longa*. Ph. Radix . . amara, aromatica, apperrens, anticterica . . Curcuma rotunda est debilior.

Cuscuta *major*. Ph. Herba . . amaricans, inodora.

Cuscuta *minor* Cuscuta Europea, Epithimum, Epithimi Herba . . inodora . . . acris, subadstringens, incidens, resolvens. Herba parasitica in Stirpibus. Aqua, Infusum.

Cyanus, Vid. centaurea.

Cyclamen *Hederæfolio*. Ph. Radix . . mucilaginosas . . sed acris, et fervida . . purgans, drastrica, emmenagoga . . cauta, nisi pro usu externo.

Cydonia *Pyrus Cydonia*. Ph. Fructus, cortex, semina . . fragrantia, austera, adstringentia . . semina mucilaginosas . . gelatina seu Myva.

Cygnus *Avis* à vulgari Anate parum differens rostro, raritate, sonoro cantu . . caro, adeps . . inusitata.

Cynara *scolimus* Ph. Cynaræ capita

virentia , folia . . . inodora , amaricantia , diuretica , culinaria.

Cynara *Cardunculus* carduus esculentus. Ph. Herba. . balsamica , amara , saporosa cocta . . diuretica , culinaria.

Cynoglossum *majus officinale*. Ph. Herba , Radix. . graveolens , subnarcotica. . Pilulæ . . foliorum succus , syrupus.

Cynosbatus *Rosa canina*. Ph. Fructus , flores , semina , Fungus Bedeguar , seu spongia Rosæ. Fructus acido dulcis , subadstringens. Conserva Fructus cinosbati.

Cyperus *longus*. Ph. Radix. . fragrans , calida . . diuretica , emmenagoga , stomachica.

Cyperus *rotundus*. Ph. Radix . . debilior longo. Vulgo *Juncias*.

Cyperus *esculentus* Ph. Radix tuberosa ; ista tubera vulgo dicuntur *chufas*. Emulsionibus serviunt , quæ moderate calefaciunt , et humectant , flatulenta tamen ex Linneo hic . . Emulsio.

D.

Daphne *Gnidium*. Vid. Thymelæa.

Daphne *Mezereum*. Vid. Mezereum.

Daphne *Laureola*. Vid. Mezereum.

Daphnoides *Planta* humilis Daphne similis. Ph. Folia. . drastica , vomitoria , emmenagoga . . vitanda. De ista vid. Lagunam in Dioscorid. pag. 465. Quer Flora Española tom. 4. p. 378.

Datura Solanum ; stramonium. Ph. Daturæ herba , semina . . virosa , stupefaciens , inebrians , phantastica , licet odore , et sapore fatua . . cauta , vitanda.

Daucus Creticus Atamanta cretensis. Ph. semina . . aromatica , acria , carminativa , diuretica.

Daucus sativus Daucus carota. Ph. Radix . . abstergens , saponacea.

Daucus sylvestris. Ph. Semen . . aromaticum , fragrans.

Dens Leonis Leontodon. Ph. Taraxaci Herba , Radix . . amaricans , saponacea , diuretica.

Dentillaria Plumbago europea . . Lepidium dentillaria dictum. Ph. Radix , folia . . urens , caustica , odontalgia serviens , antipsorica . . Oleum anticancrosum.

Diacodium , idem ac Syrupus *Papaveris albi*.

Diagridium ; solutio scammonii alepensis in decocto glizyrrhizæ fervente , seu infusione Rosarum , et in extractum conversa solutio dicitur *Diagridium Glizyrrhizatum* , et *rosatum*.

Diagridium sulphuratum fit scammonio sulphure sufumigato.

Diamoron Nicolai , idem ac syrupus *Mororum*.

Diapensia Sanicula Diapensia. V. *Sanicula*.

Diarrhodon : syrupus rosarum.

Dictamnus albus. Ph. Radix Fraxinellæ. . fragrans, amarissima. . tonica, pel-
lens, anthelmintica . . cauta . . Tinctura,
vinum.

Dictamnus creticus *Origanum Dic-
tamnus*. Ph. Folia, Flores. . fragrantia, ca-
lida . . uterina, emmenagoga . . Oleum.

Digitalis purpurea. Ph. Folia, Flores. .
amara, acerrima . . vomitoria, drastrica,
diuretica, cautissima. Vulgo *dedalera*. Vid.
Gratiola. Unguentum ex hujus floribus
ad strumnas valet. ex B. H. P.

Doronicum Pardalianches. Ph. Radix
dulcis, aromatica . . subadstringens.

Doronicum Germanicum, seu *Arni-
ca montana*. Ph. Arnicæ Herba, flores, gra-
veolens, nauseosa . . resolvens, vomitoria,
diuretica . . Heroica. An ophthalmica?

Draconcium Planta Aro similis acri-
oris facultatis fortasse *Dracunculus* Boher.
qui hanc Aro comparat. Ph. Herba . . dul-
cis . . an nutriens?

Dracunculus hortensis. V. *Artemissia*.
Dulcamara. V. *Solanum*.

E.

Ebulus *Sambucus humilis* seu *ebulus*.
Ph. Radix, cortex interior, Folia, Flores,
baccæ, semina, turiones . . . graveolens,
subnauseosa, sudorifera.

Ebur *Unicornu Fossile*, seu ebur

fossile. Ph. Pulvis. . . absorbens , adstringens , diaphoreticus. . . superfluus. . . Rassuræ , oleum , spiritus.

Elaterium viride *Momordica Elaterium* , seu *cucumis sylvestris* Asininus dictus. Ph. Radix , fructus , resina. Totum amarissimum , drasticum , hydragogum . . . cautissimum . . . extractum.

Elemi ex *Amyri elemifera*. Ph. Resina . . . pellucida , odorata fumo suavi. . . diuretica.

Eleosaccharum : miscella unciæ unius sachari albissimi cum scrupulo olei aliqujus essentialis , v. gr. cinamomi , carophilorum , anisi , lavendulæ . . . Roborans. . . eximium.

Elixir *Proprietatis* cum vel sine acido . . . Balsamicum , stomachicum , carminativum. Vid. Triller. Dispensat. Pharmac. ubi descriptio utriusque extat.

Endivia *Cichoreum endivia*. Ph. Herba , semina . . . frigida ; apperrens.

Ens veneris : sublimatum vitriolicum rubrum. . . salsum , adstringens , tonicum. . . de quo Boerh. El. Ch. t. 2. p. 322.

Enula *Helenium*. Ph. Radix . . . aromatica , expectorans , stomachica. . . essentia , conserva , extractum. Vid. Helenium.

Eruca Vid. Brassica.

Eryngium *campestre*. Ph. Herba , Radix . . . subaromatica . . . diuretica , emmenagoga , aphrodisiaca.

Eryssimum alliaria. Ph. *Alliariæ herba* . . amara , alliacea , graveolens . . diuretica.

Eryssimum Barbarea. V. *Barbarea*.

Eryssimum officinale. Ph. *Herba* , semen . . . acris , abstergens . . . Syrupus de eryssimo.

Esula Euphorbia palustris. Ph. *Cortex Radicis*. V. *Euphorbia*.

Eupatorium cannabinum. Ph. *Herba* , *Radix* . . amara . . tonica , vulneraria.

Euphorbia Euphorbium cerei effigie.

Euphorbia officinalis. Ph. *Gummi* . . corrodens , exulcerans.

Euphorbia Tithymalus. Ph. *Esulæ Radix* , hujus cortex , herba . . corrodens , vesicatoria , drastrica.

Euphorbia Lathyris major. Ph. *caputix minoris semina* . . . corrodentia , drastrica . . *Vitandæ Euphorbiæ omnes*.

F.

Faba *Vicia Faba*. Ph. *Flores* , *semina* . . *Culinaria ista*.

Fagopyrum Polygonum Fagopyrum. Ph. *Semina* . . farinacea , refrigerantia , nutrientia . . *culinaria*.

Ferrum Mars : nativum , et fussum , seu maleabile. Ph. *Limatura* . . apperrens , tonica , adstringens , emmenagoga . . *Præstantissimum* , *usitatissimum*. *Ferrum du-*

rissimum, et purissimum ad silicem scintillans dicitur *calybs*. Ex Ferro varia Medicamenta præparantur. Vid. Pharm. Hisp. p. 194. Edit. alt.

Ficus Vid. Caricæ.

Filix mas *Polypodium filix*. Ph. Herba. . subnauseosa, acriuscula. . anthelmintica, emmenagoga. . Teniam interficiens.

Filix Femina *Pteris Aquilina*. Ph. Radix. . teniam etiam necare creditur.

Flos africanus *Planta venenata*, cujus Icon duplex traditur à Mathia Lobellio, t. 1. p. 713. et 714. Icon Stirpium..

Fœniculum. Vid. Anethum.

Fœnum Græcum *Trigonella Fœnum græcum* Ph. Semina. . Mucilaginoso, emollientia.

Fraga *Fructus fragariæ*.

Fragaria *vesca*. Ph. Herba, Radix, Fructus *fragæ* dicti, Baccæ. . acidulæ, fragrantes, gratissimæ. . atram, seu piceam bilem dissolventes. . Acetum, syrupus, conditum.

Fraxinella. Vid. Dictamnus.

Fraxinus excelentior *Arbor*. Ph. Lignum, cortex, folia, semina. . cortex adstringens. Sal Fraxini diureticus.

Fraxinus humilior. Vid. Mannà.

Fructus Horæi. . fructus tempore æstivo maturi.

Fuligo. Hujus analysis vid. in Boerh. Element. Chæm. t. 2. p. 178. Antispasmo-

dica: febrifuga, resolvens, anti-hysterica..
in Pilulas reducenda.

Fumaria *Officinalis*. Ph. Herba, semina . . inodora, amara . . . corroborans, antiherpetica . . . Syrupus, conserva, extractum.

Fumaria *Bulbosa*. Ph. Aristolochiæ fabacæ Radix. . . amara, acris . . pellens, emmenagoga.

Fungus *Planta* nullos flores, folia, nec semina apparentia habens, et cujus pedunculus uterculis, et aeriis constat, et inter hos Arboribus innati perniciosiores.

Fungus *igniarius*. V. Agaricus.

Fungus *Melitensis*. V. Melitensis.

G.

Galanga *Maranta Galanga*. Ph. Galangæ majoris, et minoris Radix . . acris, aromatica, amaricans . . stimulans, stomachica, emmenagoga.

Galbanum ex *Bubone galbano*. Gummi-resina . . graveolens, calida. . Essentia, Oleum.

Galega *Officinalis*. Ph. Herba. . inodora, insipida . . sudorifera . . succus, conserva.

Gallinago *Avis*: perdix rustica inter delicias et Dapes nobiliores collocata.

Gemma *Lapis præciosus* inter quos Unio, sive Margarita eminent.

Genista *Tinctoria* Ph. Herba, Flores, semina . . Luteo-tinctoria . . amara, nauseosa . . purgans . . cinis.

Genista *Cytisus*, vel *Canariensis*. Ph. Rhodii Lignum . . odoratum, resinosum, diureticum, sudoriferum . . Oleum.

Gentiana *Centaurium minus*. Ph. Herba, Flores . . amarissima . . stomachica, tonica . . Spiritus, sal, extractum, conserva.

Gentiana alba *Laserpitium latifolium*. Ph. Radix.

Gentiana *major lutea*. Ph. Radix . . amarissima, tonica, stomachica, febrifuga, anthelmintica . . Essentia, Extractum.

Gentiana *Pratensis*. Herba . . amara, tonica.

Geranium *Moschatum*. Ph. Herba, ambrosiaca, anodyna, vulneraria, exanthematica.

Geranium *Robertianum*. Ph. Herba . . salsa, adstringens.

Ginseng. Vid. Ninzing.

Glans *Quercina*. Fructus Quercus Arboris . . adstringens, stomachica.

Glyzyrrhiza glabra *Siliquosa*. Ph. Radix . . dulcis, expectorans. Syrupus, extractum, trochisci.

Gramen *Panicum dactylon*, *Triticum repens*. Ph. Radix . . subdulcis, sacharina: gelatinosa, nutriens . . aperiens, resolvens. Extractum, seu melligo . . præstans.

Granatum *Punica Granatum*. Ph. Se-

mina, Flores Balaustium, fructus, cortex.
succus fructus refrigerans: cortex adstringens: syrupus gratissimus, antisepticus.

Granum Paradysi. Vid. Ammomum, et Piper.

Gratiola officinalis *Digitalis minima*.

Ph. Herba . . amara, vomitoria, purgans, emmenagoga, anthelmintica . . . cauta . . .

Pulvis, infussum, succus, extractum.

Grossularia Vid. *Ribes rubrum*.


Guajacum officinale: Lignum sanctum . . . Ph. Cortex . . . Gummi, raspatura vel rassura ligni . . . amaricans, mundificans. sudoriferum, antisyphiliticum ægregium. . diureticum, stomachicum. Oleum, Balsamum, Gummi-resina, extractum, Spiritus, Tinctura, Elixir.

Gummi arabicum ex Mimosa Nilotica. Vid. Acacia vera.

Gutta Gummi *Cambogia Gutta*. Ph. Succus inspissatus Resinoso-gummosus, insipidus, inodorus. . Hydragogus, Drastrius, anthelminticus. . .

Gypsum: *terra calcarea* acido sulphurico combinata . . *Selenitis* etiam dicitur. . Dificile acidis solutu. Vid. Kirwan. Elements de Mineralog. Chap. IV. p. 33. Intus, venenum, extus adstringens.

H.

 *Hedera arborea Hedera Helix.* Ph. Lignum, Folia, Baccæ, Gummi-resina. Baccæ acidæ, purgantes.

Hedera terrestris Glecoma hederacea... Ph. folia. . amara, subacria . . adstringentia, vulneraria . . syrupus, conserva.

Helenium Vid. *Enula.* Hujus radix macerata vel condita in vino præter ibi dicta commendatur hic tanquam fere specifica in chlorosi debellanda. Est etiam antipsorica . . Planta præstans usu digna.

Helleborus albus Veratrum album. Ph. Radix. . nauseosa, virosa, sternutatoria. Drastica. Cauta. Vitanda stirps omnibus suis partibus venenatissima.

Helleborus niger. Ph. Radix *Melampodii*, acris, amaricans, subnauseosa, fœtida, purgans, antimaniaca. Extractum. vitandum.

Hepatica alba Parnasia palustris. Ph. Herba, Flores . . amara, adstringens.

Hepatica nobilis Anemone Hepatica. Ph. Herba, Flores . . inodora, insipida . . adstringens, tonica.

Hermodactylus. V. *Iris.*

Herniaria Glabra. Ph. Herba . . inodora, insipida . . adstringens.

Hieracium Pilossella major. Ph. Auriculæ Muris Herba . . amara, adstringens, vulneraria.

Hipposelinum Theophrasti, *Smyrniium* Dioscoridis. Ph. Folia tenella, caulis, Radix. . . aromatica, amariuscula, subacria . . . depurantia, carminativa, diuretica . . . Herba Petroselino similis. Ruty Mat. Med. hic.

Hœdus *Pululus caprinus* tenellus, seu caper tenellus . . . Culinaris.

Hordeum excorticatum, mundatum, perlatum. Ph. Semen. Hujus farina est insipida, frigida, nutriens. Cremor, cerevisia.

Horminum. Vid. Salvia.

Hyacinthus. *Gemma* plus minus pellucida colore ex flavo rubente. Ph. Pulvis, subadstringens, cordialis . . . infimæ, seu potius dubiæ virtutis.

Hydrargirus. Vid. Mercurius.

Hydrogala Lactis, et Aquæ mixtio.

Hydromel. Mellis in Aqua dissolutio.

Hyoscyamus *albus*. Ph. Folia, semina alba . . . virosa, venenata, cautissima . . . à triente grani hujus extracti pro dissipanda cataracta . . . Vid. Storck. Sed caute.

Hyoscyamus *niger* Ph. Herba, Radix, semina. . . Odor ingratus, narcoticus, sapor fatuus, submucilaginosus, virosus. . . phantasticus, stupefaciens . . . pro usu interno absolute prohibendus.

Hypericum *perforatum*. Ph. Herba, flores, semina . . . graveolens, balsamica, vulneraria, antihæmoptoica.

Hypocistis *Cytinus Hypocistis*. Ph.

Succus inspissatus . . inodorus , acerbus ,
stipticus , subrefrigerans.

Hyssopus Officinalis. Ph. Herba , flo-
res , semina . . odorata , amara . . roborans ,
resolvens.

I.

Iberis Nasturtii folio : *Iberis Cardaman-
tica*. Ph. Radix . . acris , calefaciens , adurens ,
folia leviter acria. Planta ista similis est
Nasturtio odore , gustu , et viribus. Ruty.
Mat. Med.

Imperatoria Ostrucium. Ph. Radix . .
acris , calida . . . carminativa , sudorifera ,
emmenagoga.

Intybus. Vid. *Cichoreum*.

Ipecacuanha Viola Ipecacuanha. Ph.
Radix Brassiliensis. Ejus cortex (in qua
vis præcipue hæret) est cinerea , gracilis,
subamara , subacris , quando contunditur
oculos , et nares afficit , velicat . . . Vomi-
toria , antidysenterica , antispasmodica ,
roborans . . . Opio mixta sudorem exci-
tans . . Pulvis , Vinum , Tinctura , Extrac-
tum . . usitata , præstans . .

Iris alba Florentina. Ph. Radix . . fra-
grans . . eccoprotica.

Iris Colchicum. Ph. *Hermodactyli Ra-
dix* . . inodora , dulcescens . . acris , mun-
dificans , purgans . . dubia.

Isatis Tinctoria Glastum sativum. Ph.
Herba præparata . . . inodora , acriuscula ,

subamaricans , tinctoria . . . resolvens , anti-icterica , variolarum expulsiva.

J.

Jalappa *Convolvulus Jalappa*. Ph. Radix . . . inodora . . . acriuscula . . . purgans, hydragoga . . . Extractum , resina.

Jasminum Officinale. Ph. Flores . . . suaveolentes , subamaricantes . . . emollientes , uterini.

Jujubæ Rhamnus Zizyphus. Ph. Baccæ.. Lubricantes , expectorantes.. Syrupus.

Juniperus Cedrus vel Lycia. Ph. Olivani (turis) Resina.. amaricans, vulneraria.

Juniperus Sabina. Ph. Herba , Baccæ.. graveolens . . . diuretica , emmenagoga. . . Extractum Sabinæ , Oleum ejusdem.

Juniperus communis Fructicosa arbuscula. Ph. Lignum , Baccæ , frondes , Sandaracha.. . aromatica , resinosa . . . carminativa , diuretica (Urina violacea).. Resina quæ *Sandarach* dicitur . . . Rob , Oleum , Spiritus Juniperi.

K.

Karabe *Gagates Karabe nigrum*. Bitumen durissimum lapideum purum , durum , læve , splendens . . . resolvens , anti-hystericum . . . obsoletum , mechanicum. . . Pulvis. Oleum.

Kermes Coccum Baficum. Coccus Quer-

cus Illicis. Ph. grana (an animalcula?) subadstringentia, cordialia. . Usitatissima. infirmæ tamen virtutis. . tinctoria. . Pulvis, Tinctura, Syrupus.

Kermes minerale: Pulvis croceus ex antimonio, et Nitro emergens. . diaphoreticus, expectorans. . emetico-catharticus, minima dosi præscribendus, et tantillo sachari puri sociandus, ne tactum fugiat: cuilibet nempe grano kermetis scrupulus sachari respondeat. Nunc dicitur remedium istud eximium *Oxidum Stibii sulphuratum rubrum*. Est Sulphur auratum antimonii mitigatum ex Trillero.

Kina. . *Arbor Peruviana*. . Ph. Cortex surculorum. . incomparabilis. Vid. China China. In Analibus Chemicis Lavoisierianis. . tom. VIII. pag. 113. Dissertatio adest analysim hujus eximii corticis exhibens. . merito legenda.

L.

Lac ex Papavere. Vid. Papaver.

Lacca. . ex *Crotone Laccifero*. Ph. Gummi-resina; imo nec Resina, nec Gummi sed corpus mirum ceræ simile, ex Ruty, Murrayo. . inodora, insipida. . antyscelotyrbica. . Tinctura gingibis ulceratis prodest.

Lactuca sativa *capitata, cryspa*. Ph. Herba, semen. . insipida, oleracea, diluens,

lactifera , paregorica , antivenerea . . . Syrupus , Conditum.

Lactuca virosa *Lactuca Sylvestris*
Odore viroso. Ph. Herba , semina . . . anodyna , narcotica.

Ladanum ex *Cisto* ladanifera cretica.
Ph. Gummi-resina . . . amara , fumograta , stomachica , paregorica , antidysenterica..
Nunc pro sisfumigio tantum usitata.

Ladani flores ex *Cisto eadem* , flore purpureo , frutice humi sparso . . . Roborantes , cordiales.

Lapathum *Rumex Lapathum acutum*.
Ph. Radix , herba , semina . . . Radix amara , Folia acida , austera , eccoprotica.

Lapathum sanguineum *Rumex Lapathum*. Ph. Radix , semina . . . purpurea , austera , refrigerans . . . Succus.

Lapis Armenicus tinctorius ad azureum colorem . . . cupro infensissimo constat , ideo vitandus pro usu interno.

Lapis cancrorum *Oculi cancrorum* perperam dictus ex cancro fluviatili animale crustaceo . . . absorbens , edulcorans , usitatissimus , cæteris absorbentibus præstantior . . . Pulvis , Magisterium.

Lapis Hæmatites.. Corpus ferrugineum , vel Minera Martis , et ferrum quasi incompletum . . . roborans , adstringens.

Lapis Hystricis.. Calculus biliaris in vesicula felis Porci inventus. Nimis laudatus. Vid. Boerh. de Vir. Med. p. 194. Not. (a).

Lapis *Infernalis*: Argentum purum in acido nitroso fustum et evaporatum..

Hodie: *Nitras argenti fustus*.. Scaroticus, externus.

Lapis Lazulus obscure ceruleus, punctulis pyritaceis. Ph. Pulvis.. Adstringens pro colyriis, alias inusitatus, suspectus, vitandus, ad Pictores relegandus.

Lapis Prunellæ: sal prunellæ, nitrum tabulatum sive nitrum sulphuratum... Nitrum sulphure deflagratum.. Pro gargarismatibus... Crystalum minerale est sal prunellæ aqua solutus, filtratus, et cristalizatus.

Laureola. Vid. Mezereum.

Laurus *Nobilis*. Ph. Folia, Baccæ... calida.. resolventia, carminativa.. Oleum.

Laurus *Camphorifera*. Ph. Camphoræ Resina.. ex Lauro Japonensi, ex herba Camphorata dicta, ex Abrotano, Rore marino, Thymo, salvia.. extracta. De ista Murciensi Vid. Lud. Proust, qui de ea nuper An. 1789. scripsit. Resina ista est *acris*, amaricans, aromatica, resolvens Cantharidum correctrix, antiseptica.. Heroica! Camphora an frigida?

Laurus *Cassia lignea*. Malabarica. Ph. Cassiæ lignæ cortex, flores Cassiæ, Cinnamonum malabaricum.. mucilaginosum, aromaticum.

Lavendula *Spica* Ph. Semina, flores, folia.. fragrantia, amara.. nervina, cæ-

phalica , uterina .. Oleum , conserva.

Lavendula *Stæchas purpurea*. Ph. Sthæcadis arabicæ semina , flores. . isti mitiores , et utiliores Lavendulæ spicæ.

Lemnia *Bolus* colore carneo. Ph. terra lemnia . . . inodora , insipida , pinguis stiptica , absorbens . . superflua , superstiosa , ableganda.

Lens *Cicer* Lens vulgaris , seu Ervum Lens. Ph. Semina .. farinacea , insipida , nutrientia . . Culinaria.

Lepidium *Nasturtium hortense*. Ph. Herba , Semina . . acris , diuretica , mundificans , antiscorbutica. V. Nasturtium.

Lepus marinus *Animal* marinum omnium venenosissimum Pulmonem comedentium maxime afficiens.

Leuchanthemum Canariense sapore Pyretri. Lin. Gen. 1152. Ph. Radix , folia , flores. . acria , resolventia , sialagoga..

Levisticum *Ligusticum Levisticum*. Ph. Radix , herba , semina. . foetida , acria , carminativa . . . Emmenagoga. Aqua distillata , essentia , oleum.

Lichnis Saponaria. Vid. Saponaria.

Lilium album *Lilium candidum*. Ph. Radix , Flores . . suaveolentes , amaricantes , mucilaginosi . . Oleum , conserva.

Lilium *Convalaria Lilium*. Ph. Lili convallii flores , Baccæ. Flores fragrantés , reficientes. Pulpa Baccarum dulcis , suba mara antiepileptica . . Aqua vinosa , Spiritus.

Limatura Æris, Vid. Æs.

Limonium *Citrus Limon*: malus limonia acida. Ph. Cortex est aromaticus, amarus, subacris. . præssus oleum emittit è vesiculis ovalibus id continentibus. succus acidus, refrigerans, antiputridus. Syrupus. .

Linaria *Antirrhinum Linaria*. Ph. Herba. . amariuscule, diuretica, anodyna. . Oleum, butyrum. . pro hæmorroidum dolore sedando aptum.

Lingua Cervina *Asplenium, Lingua cervina*. Ph. Scolopendræ Herba. . sicans, adstringens, roborans, vulneraria. . Herba capillaris.

Linum sativum. Ph. Semina. . pingua, emollientia. . Oleum.

Linum pratense. Ph. Lini Cathartici Herba. . inodora, amara, subacris, nauseosa. . purgans.

Liquidambar: ex Arbore Liquidambar seu Styraciflua Aceris folio Ph. Styrax Resina liquida. . fragrans, acris, cephalica, calefaciens.

Lithospermum *majus erectum*. Ph. Lithospermi, seu Milii solis semen. . durum, lapideum. . nucleus est saporis dulcis, mucilaginosi, oleosi. . diureticus, an Lithontrypticus? Emulsio. .

Lotus *Arbor procera*. Ph. Fructus granis piperis major. . dulcis, edulis. . roborans, subadstringens. Vid. Dioscor.

Lib. 1. Cap. 134. et Lib. 4. Cap. 112. et 113. Lagunam et Mathiolum in Comment.

Lotus hortensis odora, et Trifolium odoratum. Ph. Meliloti majoris herba . . . abstergens, dolores demulcens, vulneraria, ophthalmica.

Lotus celeberrima de qua Homerus in Odysea quænam?

Lupulus *Humulus Lupulus*. Ph. Lupuli Conus. amarus, graveolens, tonicus, subnarcoticus.

Luyula. Vid. Acetosela.

Lycoperdon *fungus* maximus rotundus pulverulentus Ph. Crepitus Lupi, seu Bovista, inodorus, insipidus. . adstringens, anti-hæmorrhagicus externe applicatus, et inspersus . . . Pulvis, extractum, frusta spongiosa.

Lythargyrus, nunc *Oxidum pumbi semivitreum*. . insipidus, adstringens, refrigerans, exsicans . . Externus.

M.

Macer . . . *Arbor indica*. Ph. Cortex, folia. . ingrata, stiptica, roborantia, adstringentia.

Macis Myristica *Nux moschata*. Ph. Moschatæ, seu Macis Nux . . . fragrans, stomachica, carminativa . . Culinaris.

Mayorana *Origanum Mayorana*. Ph. Herba, Flores. . aromatica, sternutatoria.

Malum Armeniacum *Prunus Armeniaca*.
 Malum persicum. Vid. Amigdalus persica.

Malva *rotundifolia*. Ph. Radix, Folia,
 Flores, semina . . . glutinosa, emolliens,
 Vid. Alcea.

Mandragora *Atropa Mandragora*. Ph.
 Radix, Folia . . . venenata, stupefacientia,
 phantastica, vitanda . . . oleum. Vid. Lagun.

Manna *Gummi* ex fraxino orno. Ph.
 Manna Calabrensis . . . Mellea, Thoracica,
 Eccoprotica . . . Manna tabulata, tartarisa-
 ta, syrupus de Manna solutivus.

Marga *Potio* quædam pinguis, et qua-
 si Medulla in saxis nonnullis dum fran-
 guntur reperta: unde Medulla saxorum..
 vim habet siccandi, absorbendi.

Marrubium *album vulgare* Ph. Her-
 ba . . . amariuscula, emmenagoga.

Marus *Teucrium Marum*. Ph. Herba,
 Flores . . . fragrans, amarissima, nervina,
 tonica, resolvens, diuretica, emmenagoga.

Mastichina *Planta*, quæ Mastichem
 odore, et virtute emulatur . . . sudorifera,
 cæphalica, aperiens.

Mastix, vel Mastiche, *Pistacia*
Lentiscus. Ph. Lentisci Lignum . . . odora-
 tum, adstringens. Est etiam Resina soli-
 da vulneraria, roborans . . . Oleum, spiri-
 tus, syrupus, pilulæ.

Matricaria *Parthenium*. Ph. Herba,
 Flores.. suaveolens, emmenagoga, lactifu-
 ga, antihysterica.

Matricaria Camæmelum. Vid. *Camæmelum*.

Mays *Planta* arundinacea. Ph. Semina. . Flava , farinosa , dulcia . . aperientia , nutriencia.

Mechoacana *Convolvulus Mechoacana alba.* Ph. Radix alba , inodora , subinsipida . . roborans , eccoprotica. Cave ne cum mandragoræ radice venenata admodum simili confundatur.

Meconium : ex stolonibus et foliis papaveris extractum radiis solaribus condensatum *Poust* etiam dictum : Mitius est opio puro . . Syrupus . . Vid. *Papaver*.

Mel *Succus dulcis* mediæ consistentiæ , quem Apibus debemus . . confortans , nutriens , abstergens , expectorans , alvum movens . . Mel *Anthosatum* è rore marino , et melle confectum.

Melampodium. Vid. *Helleborus* . . vulgo *Vedegambre* , ó *Hierba de Ballesteros*.

Melilotus *Trifolium Melilotus Officinalis.* Ph. Herba , Flores . . suaveolens , resolvens , emolliens. Vid. *Lotus*.

Melissa *Officinalis.* Ph. Herba , Flores , semina . . fragrans , resolvens , pellens , cordialis . . Oleum , syrupus.

Melissa *Calamintha.* Vid. *Calamintha*.

Melissa *Canariæ* Herba *Dracocephalum cedronella.* . . suaveolens . . nervina , resolvens.

Melitensis Fungus *Cynomorium Coccineum* . . ruber . . tonicus , adstringens , antihæmorrhagicus.

Melitensis terra *Bolus alba*. Ph. Tabellæ aut Pastilli . . insipida , absorvens , obsoleta , ridicula , superstitiosa.

Mellisophylum *Melitis Mellisophylum*. Ph. Folia . . odorata , subamara , diuretica.

Melo *Fructus notus* edulis. Ph. Semina cucurbitæ similia , pro emulsionibus.

Mentha *Sylvestris*. Ph. Herba . . fragrans , resolvens , carminativa.

Mentha *Crispa*. Ph. Herba fragrantior , carminativa , ructatrix , lactifuga.

Mentha *piperita*. Ph. Herba , fragrantissima . . acrior , camphorifera.

Mercurialis *annua* (An Mercurialis tomentosa?) Ph. Herba inodora , subsalsa emolliens? Eccoprotica. Alia species subfœtens , suspecta , subvenenata. Vid. Murray hic.

Mercurius *Hydrargyrus*. Mercurius nativus , purus , currens , vel mineralizatus , seu cinnabaris. Ph. Mercurius crudus depuratissimus , abstergens , sialogogus , diaphoreticus , purgans , antisiphiliticus , anthelminticus. Remedium in peritorum manibus *Heroycum*. Ex eo quam plurima præparantur. Violenta omnia , et inusitata præter Mercurium dulcem , nigrum , et sublimatum corrosivum.

Mercurii *Calx* , seu Mercurius præci-

pitatus per se. Hodie *Oxidum hydrargiri rubrum per ignem* dicitur.

Mercurius niger *Mercurii Ætiops*. Pulvis niger ex Mercurio floribus sulphuris trito. . inodorus, insipidus. . antelmincticus . . suspectus, iners. Vid. Boerh. El. Chæmiæ tom. 2. Processu. 201. Nunc hydrargirus sulphuratus, Ætiops mineralis.

Mercurius *Diaphoreticus* albus, ruber, vel ceruleus acido marino, nitroso, aut cupro præparatur.

Mercurius *dulcis* ex Mercurio sublimato corrosivo et Mercurio puro conficitur. Dicebatur Aquila alba, sed hodie *Murias Hydrargiri sublimatus*.

Mercurius præcipitatus *albus* ex Mercurio vivo spiritu Nitri, et salis communis, seu aqua forti confectus, aqua communi solutioni addita. Hodie *Murias Hydrargiri* dicitur.

Mercurius præcipitatus *ruber*, ex Mercurio vivo in aqua forti soluto, et evaporato conficitur. Hodie *Oxidum Hydrargiri rubrum acido nitrico confectum*.

Mercurius Præcipitatus *flavus*, seu turpethum minerale; ex Mercurio vivo, et spiritu Vitrioli hodie acido sulphurico conficitur, et nunc *Oxidum Hydrargiri luteum acido sulphurico confectum*.

Mercurius præcipitatus *viridis*, ex Mercurio vivo, et limaturis cupri in aqua forti solutis, et in Aceto distillato conficitur.

Mercurius *vitæ*, seu *Pulvis Algaroth*.
ex Butyro Antimonii rectificato aqua su-
perafusa præcipitatur, et pulvis subtilissi-
mus emergit. Non est productum Mercu-
riale, sed Antimoniale, et potius, seu rec-
tius Mercurius *mortis* nominandus. Hodie
Oxidum stibii acido muriatico confectum.

Mercurius sublimatus *corrosivus*. Mer-
curius acido marino præparatus. Hodie
Murias Hydrargiri corrosivus . . vulgo
Soliman, ó *Sublimado corrosivo* . . Gra-
num hujus unciis duabus aquæ puræ so-
lutum, granis duobus salis ammoniaci
solutioni additis, æqui ponderans, seu op-
time solutum efficitur et conservatur. Re-
fracta dosi ab octava grani parte ad quar-
tam prudenter à prudenti Medico, ut
Boerhaavius ait, administrandus.

Præparata ista mercurialia à Boer-
haavio ipso inter Venena acerrima colo-
cantur §. 1139.

Merula nomen *Avis*, et *Piscis*. Nu-
tritivi, culinares.

Mespilus *Germanica Folio Laurino*.
Ph. Fructus, semina . . austera, farinosa,
esculenta . . refrigerantia, adstringentia.

Meum *Æthusa Meum*. Ph. Meum, vul-
go Mei athamantici Radix fusiformis,
semina . . fuscocinerea, aromatica, calida,
carminativa, diuretica, lactifera.

Mezereum *Daphne Laureola* semper-
virens flore viridi. Ph. Cortex . . albus,

inodorus , insipidus . . deurens , inflammatorius , emeticus , drasticus , vexicatorius . . cautus , vitandus.

Mezereum *Daphne Laureola* flore purpureo. Ph. Coccumgnidii semina , Baccæ accerrimæ , semina insipida , deurentia corrosiva , vomitoria , cardialgica . . vitanda . . Lupibus tamen usualia.

Milium *Panicum Miliun*. Ph. Semina farinacea , nutrientia , flatulenta . . culinaria.

Millium solis : Vid. Lithospermum.

Minium *Minera* , Plumbi recrementum , seu calx Plumbi rubra , vulgo *Azarcon*. Exicans . . Externum.

Morus *fructo nigro*. Ph. Fructus . . acidus , subausterus , refrigerans , corroborans . . Syrupus , Rob.

Morsus Diaboli Vid. Scabiosa.

Moschus *Substantia gummosa* , unguinosa , in folliculis circa inguina Moschi , seu Animalis Moschiferi coacerbata : odorata , subacris , parum usitata , valde jactata , interdum præstantissima . . Julapium.

Mosselanum . . Vinum notum.

Mumma Brunsvicensis : cerevisia celebris.

Myrabolani *Fructus* ex Arbore Myrabolaniphera salicis folio. Ph. Fructus , acidiusculus , subacris , eccoproticus . . varii sunt isti fructus : Indici , Bellirici , Chebuli , Citrini. Isti usitatiores.

Myrrha ; An ex Mimosæ specie? Ph.

Resina, seu Gummi-resina; graveolens, amara, subacris, nauseosa. . . tonica, antiputrida, pectoralis. . . Trochisci, Tinctura. . . usitata, præstans.

Myrthus *communis*. Ph. Folia, Flores, Baccæ. . . aromatica, fragrantia. . . roborantia, adstringentia.

Myrtus *Arborea* aromatica Ph. Pimentæ (*Amomus verus* falso dictæ) Fructus. . . aromaticus, sapore gratus, pipere mitior, calefaciens. . . stomachicus, culinaris. *Piper Jamaicense* nominatus.

Myrtus *Caryophilata*. . . Ph. Cortex Cassiæ caryophilatæ. . . fragrans. . . stomachicus, tonicus, stimulans, culinaris. oleum, tinctura.

Myrtulus *Piscis* ex genere concharum cujus exusti cinis causticam vim habet. In cibis pro vilissimo habetur.

Mytilus *Testa Mytili margaritiferi* (Mater Perlarum). . . alcalina, absorbens. inusitata prætiosa, superflua.

N.

Napelus. Vid. Aconitum.

Napus. Vid. Brassica.

Nardus Sylvestris *Lagurus Calamus*. Ph. Spicæ (Indicæ) Nardi Radix. . . suaveolens, aromatica. . . emmenagoga.

Nasturtium *Sysimbrium Nasturtium*. Ph. Nasturtii Aquatici Herba. . . Subama-

ra, acriuscula. diuretica, antiscorbutica. Vid. *Lepidium sativum* . . Conserva, spiritus, syrupus.

Napeta Cataria. Ph. Herba . . odorata, amara, cephalica . . pellens.

Nerium Codagapala Arbuscula . . violenta, inflammans. Ph. Cortex . . lactescens, acerrimus, vitandus.

Nicotiana mayor latifolia. Ph. Tabacci Herba, semina . . Nauseosa, vomitoria, virosa . . intus cauta, extus errhinum præstans, usitatissimum. . Pulvis, oleum, syrupus.

Nigella sylvestris. Ph. Semina . . aëria, fragrantia . . Lactifera, diuretica.

Ninzing Planta Chinensis, cujus radici multa bona roborantia, nutrientia à chinensibus tribuuntur. Vid. Murray articulis *Sium Ninsi*, *Panax quinquefolium et Radix Ginseng*. tom. I. pag. 212. et 271. qui ita concludit: *Nimia vero Chinensium esse præconia quis non videt?*

Nitrum, Sal neutrum. Ph. Nitrum purificatum . . incidens, leniter stimulans, refrigerans. . Eximium, usitatissimum, præcæteris salibus antiphlogisticum.

Nitrum *stibiatum* (antimoniatum.) seu anodynum minerale . . Sal siccus remanens post evaporationem aquæ, in qua Antimonium diaphoreticum post detonationem solutum fuit . . . Sal medium contemperans, absorbens, subemeticum.

Nubiæ grana venenata, vitanda.

Numularia *Lysimachia numularia lutea major*. Ph. Herba subacida, subacris, saponacea, adstringens, vulneraria.


Nux Juglans *Fructus* ex arbore pro-cera in hortis europeis frequente. Ex cortice viridi conficitur Mel nuceum, seu diacaryum, et etiam Roob nucum pro Gargarismis detergentibus.

Nux Myristica *Fructus* rotundus ex arbore in insulis Moluccis culta. Ph. Nux Moschata, cortex nucis *Macis* dicitur. Fragrans, grata, aromatica, stomachica, culinaris. Infusum, oleum... Vid. Macis.

Nux vomica *Strychnos nux vomica*. *Fructus* ex arbore Malabarica. Ph. Vomica Nux.. inodora, amarissima.. vertiginosa, narcotica, venenata, vitanda..
 ? An faba Sancti Ignatii?

Nymphæa alba. Ph. Radix, flores, semina.. inodora.. Illa stiptica, amara, adstringens, leviter rubefaciens. Flores anodini crediti.. syrupus, oleum, conserva..
 Hodie neglecta ex Murray hic.

O.

cymum *caryophilatum* majus. Ph. Basilici herba, semina.. fragrans, nervina, cordialis.

Oenante *planta* sarmentosa vitibus similis, maxime venenata solo gustu in-

tra duas horas interficiens. Boerh. H. Pl.

Oleander *Nerium Oleander*. Ph. folia..
acerrima, venenata.. vitanda. Vulgo *Adel-
fa*, *Baladre*.

Oleum tartari *per deliquium*. . Liquor
Potassæ, carbonas Potassæ liquidus. . ap-
periens, diureticum, anti-hydropicum.

Oleum terræ.. fluidum minerale gra-
veolens rufum, bituminosum, eundem
cum Petroleo seu Naphta odorem disper-
gens. . Datur et nigrum, quod *Pisselæon*
vocatur. . . Antihystericum, nervinum,
emmenagogum.

Oleum Vitrioli hodie *Acidum sulphu-
ricum* ponderosissimum. . spiritu vini seu
alcohole temperandum pro usu interno,
prudenti, cauto. .

Olibanum. Vid. Juniperus.

Omphacium *succus* acido-stipticus
ex uvis immaturis expressus. . refrigerans,
antisepticus. . adstringens. . usitatum, uti-
lissimum.

Ononis *Spinosa*. Ph. Radix, Herba. .
ingrata. . diuretica, emmenagoga.

Opopanax. Vid. Pastinaca.

Opium *Succus inspissatus capsularum
ex papavere somnifero*. Gummi-resina. Ph.
Opium purum, extractum gummosum
seu aquosum. . amarum, ingratum, viro-
sum. . usitatissimum, in peritorum ma-
nibus fere divinum. Est enim diaphore-
ticum, antispasmodicum, anodinum,

somniferum, motuum vitalium actionem stimulans; nervorum sensum obtundens, fibrarum muscularium irritabilitatem sustaminans eodem sæpe tempore.. An aphrodisiacum? An antisiphiliticum? An acidis, castoreo, aliisve corrigendum? An prorsus innocuum? NON. In Cullenio hispanicè verso, et adnotato exhauritur Opiologia tota necessario pro usu medico videnda. Mat. Med. Tom. III. p. 241.

Opulus *Viburnum opulus*. Planta vitim referens, vulgo *Rosa de gueldres*.. Refrigerans.. Lin. Gen. 455.

Origanum. Vid. *Majorana*.

Origanum Dictamnus. Vid. Dictamnus.

Orobus *Ervum Ervilia*. Ph. Semina, farina emolliens, maturans, diaphoretica.

Oryza *Sativa*. Ph. Semina, dulcia, farinosa, nutrientia, usitatissima.

Osmunda *Regalis*. Ph. Radix, herba... apperrens, detergens, vulneraria, subadstringens. Syrupus, conserva.. Vid. Filix.

Osteocola *Lapis fixissimus* albo, cinereove colore ossis figuram referens, Rizolithus radicis Populi nigræ. Ph. Cylindri Flos.. antacidus, adstringens, antigonorrhoeicus.. inmanis, circulatorius.

Ostrachodermata *Ostreum vulgare*. Animal testaceum. Ph. Testa ostrearum, absorbens, antacida. Vid. Concha.

Oxallis. Vid. Acetosella.

Oxycratum *Miscella* duarum vel

trium aceti unciarum cum libra una aquæ.

Oxylapathum, seu *Rumex acutus*. Ph. Radix inodora, subamara. . depurans, antiscorbutica.

Oxymel simplex *miscella* Mellis, et aceti ad syrupi consistentiam igne lento redacta. Si scylla in coctione, vel infusione additur dicitur scylliticum.

Oxyrrhodinum *Miscella* infussionis rosarum cum aceto.

Oxys trifoliata. Vid. Acetossella.

P.

Papaver *somniferum*. . maxime omnium hæc stirps ob OPIUM inclyta ex Murrayo hîc. Ph. Herba, semina, flores, capsulæ, sive capitula. . semina nigra, vel alba, parvissima, inodora, blandi, dulcisque saporis oleo innocuo, et copioso scatentia. . emollientia, lenientia, demulcentia. . cerealia. . Capsulæ, quibus præcipua virtus anodina inest variæ quoad magnitudinem, et succum, non empirice præscribendæ. . Ex floribus, seminibus... ex tota planta contusa, et prælo expressa emergit succus, qui inspissatus est OPIUM licet ignavius eo quod ex capsulis solis elicitur. Dicitur *Meconium*. . . Syrupus de Meconio ex Pharmacop. Hispana dosi commoda præferendus.

Papaver *erraticum* majus. Ph. Rhœa-

dos Herba , flores . . acidula , subanodi-
na , diaphoretica . . Syrupus , Conserva.

Pardalus : *avicula*. Num ficedula vul-
go *becafigo*? edulis.

Parietaria *Officinalis*. Ph. Herba , ino-
dora . . emolliens , diuretica.

Parnasia. Vid. Hepatica alba.

Paser *Avis* nota. Ph. Stercus , Axun-
gia . . obsoleta , culinaris. Vulgo, *Gorrion*,
Partenium. Vid. Matricaria.

Pastinaca *sativa*. Ph. Radix , semina..
esculenta, nutriens, culinaris., Semina diu-
retica. Vid. Daucus.

Pastinaca *Panax Copticum*. Ph. Opo-
panax Gummi-resina. . . odor ad ammo-
niacum accedens , amara . . nervina , resol-
vens , emmenagoga . . Tinctura , extrac-
tum. Vid. Ammoniacum.

Pentaphiloides *Argentina* , *potentilla*.
Planta similis virtute quinquefolio seu
Pentaphilo. Ph. Herba , Radix . . . Styp-
tica . . Hæc planta dicitur Argentina , et
Potentilla à prætio , et etiam à potentia in-
genti qua guadet. Hæc vires possidet æmu-
las cortici peruviano. Si ejus pulveris drach-
ma , seu succi uncizæ duæ paulo ante paro-
xismum sumantur , remedium est insigne.
Hippocrati jam notum. Lib. II. de Morbis.

Pentaphilum *Potentilla reptans* seu
quinque folium majus. Ph. Herba , Radix..
inodora , acerba . . vulneraria , roborans,
adstringens , febrifuga. Hæc etiam ad fe-

bres intermitentes tollendas valet ex Vo-
gelio , Ruty. Mat. Med. In usum igitur
istum revocanda planta ista omnimode
cinchona facilior , et commodior. Utinam
eficacior , securior!

Peonia Officinalis. Ph. Radix , flores,
semina . . subfoetida . . anodina , antispas-
modica . . Syrupus , conserva , foecula.

Perdix. Vid. *Gallinago*.

Perla. Vid. *Concha et Mytilus*.

Persica. Vid. *Amygdalus Persica*.

Persicaria Polygonum Persicaria urens,
seu hydropiper. Ph. Herba . . accerrima
urens , corrosiva , diuretica . . Cauta.

Petasitis Tussilago Petasitis. Ph. Ra-
dix , flores , , amara . . sudorifera , alexite-
ria , tonica.

Petroselinum. Vid. *Apium*.

*Petroselinum Macedonicum Bubon
Macedonicum*. Ph. Semina aromatica . . car-
minativa , diuretica.

Paucedanum Officinale. Ph. Radix...
foetida , amaricans , calida . . nervina , diu-
retica.

Phalaris major semine albo. Ph. Se-
men canariense. Farina hujus est nutriens,
semina aviculis destinantur , vulgo *Alpiste*.

Phasianus Gallus sylvestris , pluma-
rum venustate , et saporis excellentia
aves pene omnes vincit. Ph. Caro . . an-
tispasmodica. Adeps nervina. Fel oculo-
rum aciem exacuit.

Phaseolus Vulgaris. Ph. Semina , nutri-
trientia , amylacea , comeduntur tanquam
Pisa. Bene cocta vix flatulenta sunt.

Phellandrium aquaticum cicutaria pa-
lustris tenuifolia. Ph. Folia , semina . . .
odorata , amaricantia , calida . . . Planta
suspecta , ut umbellatæ aquaticæ solent..
Veterinaria. . alias laudata ad ulcera scor-
butica, cancrrosa.. antihysterica, antihypo-
chondriaca . . Herba recens odoris gravis,
aromatici . . stramine pro lectis mixta ef-
ficax , certissimum fere contra cimices
(*Chinches*) prædicatur. Vid. Murray hic.

Philadelphus coronarius. Ph. Flores..
fragrantissimi . . usu digni.

Phu . . Vid. Valeriana.

Pimpinella Sanguisorba Pimpinella.
Ph. Herba . . fragrans , graviuscula . . toni-
ca , adstringens.

Pimpinella saxifraga. Ph. *Pimpinellæ*
albæ Radix , Herba , semina . . acris , fra-
grans . . resolvens , stomachica.

Pimpinella magna. Ph. *Pimpinellæ*
nigræ Radix . . grata , aromatica . . resol-
vens. Vid. Anisum.

Pinus silvestris Arbor nota. Ph. Pix
nigra , colophonia , resina , terebinthina. .
Aqua picea. Vid. Turiones.

Piper nigrum , et album. Ph. Fruc-
tus.. calidus , stimulans , culinaris. . Oleum
crassum. . acerrimum.

Piper tabasci (*Malagueta*) Vid. Am-

monum , Myrtus . . usitatum.

Piperitis Herba , quæ et *Lepidium* appellatur. Ph. Folia , semina . . gustus piperis . . . gingibis , dentibus , oris suavitati , ructibus utilis. Stomachica , antiscorbutica. Vid. Triller. Disp. Pharm.

Pissa sativa *Legumina virentia* , semina . . nutriencia , culinaria.

Pistacia *Vera* . . ex terebintho indica. Ph. Pistaciæ Nuces . . Nuclei sapor amigdalinus , dulcescens , pinguis , balsamicus . . emulsivus . . . obtundens . . . edulis.

Plantago *latifolia subulata* major , et minor. Ph. Herba , Radix , semina . . subtyptica , vulneraria.

Plantago *Psyllum*. Ph. Psylli semina , mucilagínosa , refrigerantia . . (*Zaragatona*).

Plumbago , Vid. Dentellaria. (*Velesa*.)

Plumbum (Saturnus) *nativum* , et *fussum*. Ph. Calx , seu oxidum : adstergens , exicans , refrigerans , externe præstans , intus venenatum. Vid. Cerussa , Lythargirus , Minium.

Polligonatum. Vid. Sigillum Salomonis.

Polygonum. Vid. Persicaria. Fagopyrum. Bistorta.

Polium *Teucrium creticum* , seu rosmarinum. Ph. Herba fragrans , amara . . Cæphalica , stomachica.

Polypodium *vulgare* majus , seu quercinum. Ph. Radix subnauseosa . . thoracica , eccoprotica.

Polypodium *Filix mas*. Vid. Filix. Repeto hęc virtutem hujus anthelminticam, pręsertim contra Tęniam Veteribus jam fuisse notam. Vid. Murray hęc.

Populus *Balsamifera nigra* Folio maximo. Ph. Populi oculi, gemmę, quę balsamum odoratum fundunt . . vulnerarię.

Porrum *Allium Porrum*. Ph. Semina . . fragrantia, acria . . Diaphoretica . . Radix culinaris.

Portulaca *Oleracea*. Ph. Herba, semina . . acida, refrigerantia . . roborantia, antiscorbutica, antiseptica . . Culinaris illa.

Prester *Serpens venenosus* qui vocatur etiam *Dipsas* quod venenum ejus igneum intolerabilem sitim excitat.

Primula veris *Prima Verbasculum pratense*. Ph. Herba, Radix, Flores, (Corollę) fragrans . . nervina, anthysterica sternutatoria . . Conserva.

Prunella *Vulgaris*. Ph. Herba inodora, amaricans . . adstringens.

Prunus *Fructu parvo dulci atroceruleo*. Ph. Pruna Hispanica, Damascena, acidula, refrigerantia . . eccoprotica . . edulia . . Pulpa.

Prunus sylvestris. Vid. Acacia.

Psyli Semen. Vid. Plantago.

Ptarmica *Achillea Dracunculus*. Ph. Herba, Flores . . acris, inodora . . Sialogoga, errhina, vulneraria.

Pulegium *Mentha Pulegium*. Ph. Her-

ba cum floribus , fragrans . . . resolvens ,
carminativa.

Pulmonaria Officinalis. Ph. Pulmo-
nariæ maculatæ Herba . . glutinans , vul-
neraria , bechica , antiphthisica . . imbellis.

Pulsatilla. Vid. *Anemone*.

Pulvis comitissæ Kent , *Pulvis è Che-
lis Cancrorum* , seu *Lapis de contrayerba* . .
idem sunt . . . Bezoardicus , sudorificus ,
depurans , absorvens . . laudatus nimis.


Pulvis Cornachinus supplendus pulve-
re jalappæ composito *Pharmacopœæ his-
panæ*.

Pyrus Malus. Ph. Poma acidula , sapida . .
refrigerantia , tonica . . Succus , syrupus.

Pyrus Cotonea Malus. Ph. *Cydoniæ*
fructus , cortex , semina . . acido-austera . .
refrigerantia , corroborantia , adstringen-
tia . . Succus , Myva , conditum , rob , sy-
rupus.

Pyrethrum Anthemis Pyrethrum. Ph.
Pyrethri veri Radix acris . . penetrans , ster-
nutatoria , sialogoga . . Conditum.

Q.

 *Quercus Arbor nota*. Ph. Cortex , Fo-
lia , cupulæ , glandes . . austera , adstrin-
gens . . *Quercus cerrus* vulgo *agalla*.

Quercus suber. Ph. *Suberis cortex* . .
sicca , adstringens.

Quinquefolium. Vid. *Pentaphilum*.

R.

Rapa. Vid. Brassica.

Ranunculus *acris*. Ph. Ranunculi pratensis folia . . acria , erodentia , exulcerantia . . cuti admota pruritus , rubedinem , inflammationem , vexas . . . excitantia . . Externa. Ranunculi generice plantæ sunt acerrimæ . . . ast non omnes. Vid. Murray hic.

Raphanus *sativus*. Ph. Radix , semina acria . . attenuantia , diuretica , carminativa . . Orbiculi , Aqua raphani hortensis.

Raphanus *rusticanus Cochlearia armoracia*. Ph. Raphani rusticani , seu armoraciæ radix acris . . . sternutatoria , antiscorbutica , anti-asthmatica , diuretica . . Syrupus frigide factus in asthmate thoracis scorbutico divina Medicina vocatur à Linneo. Murray hic . . Oleum.

Realgar *Arsenicum album* . . . corrosivum . . . venenatum , vitandum , nec in amuletis utendum.

Resina vulgaris. Vid. Pints.

Rheum *Rhabarbarum*. Ph. Rabarbari veri Radix amara , nauseosa , purgans , antacida , tonica . . usitata , præstans.

Rheum *Raponticum* Ph. Radix purgans Rheo debilior : adstringens præstantior.

Rhabarbarum Monachorum *Rumex*

Lapathum. Ph. Radix amaro-austera.. adstringens , sublaxans.

Rhodia *Rhodiola Rosea*. Ph. Radix, rubicunda . . stiptica , adstringens.

Rhus *Coriaria*. Ph. Sumach folia, Baccæ . . acida , adstringentia . . tinctoria . . . Baccarum pulpa grate acida , condimentis serviens , hinc arbor ista *Rhus Obsoniorum* etiam nominatur . . refrigerans, antifebrilis , anti-septica . . sed alia vegetabilia acida ut communiora præstant.

Ribes rubrum. Ph. Ribesia . . acidiuscula . . diuretica , refrigerantia , cordialia, gratissima.

Ribes *grossularia nigra*. Ph. Ribium nigrorum baccæ acidæ , gratæ . . refrigerantes , antiputridæ . . roborantes . . Rob, Conditum , Syrupus.

Ricinus *communis*. Ph. Ricini vulgaris (catapuciæ majoris) folia. Semina Ricini , seu palmæ christi acria , amara, drastica , inflammatoria . . . Ex seminibus *Oleum Ricini* elicitor subacre laxans , stimulans . . in colica pictonum præstans , in Ileo , dysenteria , vermibus . . ; An nimis laudatum?

Ricinus major *Jatropha Ricinoides*. Ph. Semina acria , exurentia . . drastica, inflammatoria.

Rosa multiplex pallida , purpurea , seu damascena , sylvestris , alba. Ph. Flores, antheræ , semina . . Spirituosi , roborantes,

laxantes . . . adstringentes dum sicci.

Rubia *Tinctorum sativa*. Ph. Radix.
roborans , diuretica , pellens . . præstans.

Rubrica Fabrilis *Ocra rubra cretacea*.
Ph. Ejusdem glebæ , stipticæ , valde adstringentes , instar hæmatitis.

Ros marinus *Hortensis* , seu *Officinalis*. Ph. Herba , semina , Flores , qui *Anthos* dicuntur . . fragrans , nervina , tonica , resolvens.. Conserva , spiritus , oleum.

Rubus *Ideus*. Ph. Baccæ acidulæ , gratæ , refrigerantes , cordiales . . folia adstringentia . . Rob , Syrupus , Conditum.

Rubus *Chamæmorus*. Vid. Chamæmorus.

Ruta *hortensis* , *Muraria* , *Asplenium Ruta*. Ph. Herba , semina . . . graveolens , acris , resolvens , carminativa . . Oleum , conserva.

Rumex *Acetosa*. Vid. *Acetosa*.

Rumex *Aquaticus* seu *Hydrolapatum*.
Ph. Herbæ britannicæ , seu hydrolapathi radix grandis , saporis austeri , et amari. antiscorbutica , dentifricia . . Rubicæ tinctoriæ virtute in Rachitide æmula . . . infusum , esentia..

Rumex *acutus*. Ph. Oxilapathi Radix. inodora . . amara . . subadstringens , antip-sorica , eccoprotica.

Ruscus *aculeatus*. Ph. Radix , Turiones , semina . . subdulcis , aperiens , diuretica . . . roborans , anti-hydropica.

Ruscus Hypoglossum. Ph. Uvulariæ
Herba inodora . . stiptica , roborans.

S.

Sabina Vid. Juniperus.

Saccharum officinarum ex arundine
saccharifera est sal essentielle hujus plan-
tæ. . gratus, antisepticus, calefaciens, cu-
linaris . . præstantissimus. .

Saccharum saturni *Plumbum aceto cor-
rosum*. Hodie *acetis plumbi*. Vid. Cerusa.

Sagapenum ex *Sagapeno* planta (*for-
te*) *umbelata*. Ph. Gummi-resina, virosa,
acris, rufescens . . eccoprotica, resolvens,
emmenagoga.

Sal Ammoniacum. Vid. Ammoniacum.

Sal Alchalinus fixus *Carbonas Potasæ*,
carbonas sodæ.

Sal Alchalinus volatilis . . Ammonia-
cum . . *Murias ammoniacalis*.

Sal Gemmæ Sale fontano, et marino
minus amaricans, sed acrius ob majorem
copiam principii Alchalini mineralis. Ho-
die *Murias sodæ fossilis*.

Sal Marinus, seu Communis ex aqua
marina extractus. Ph. Pulveris in aqua so-
lutio, quæ *Muria* dicitur . . amaricans,
stimulans, abstergens, antiputridus, præ-
stans, necessarius . . culinaris. Hodie *Mu-
rias sodæ*.

Sal Polychrestus ex fussione nitri,

et sulphuris conficitur . . aperiens , diureticus. Hodie *Sulphas Nitri*. ; An *Sulphas Potassæ*? ; An *Tartris sodæ*?

Sal prunellæ. Vid. Lapis prunellæ.

Salamandra : Lacerta morsu venenata credita. Igne non comburi, filamenta lapidis amianti salamandræ capillos esse. ad comenta relegamus.

Salix alba *Vulgaris arborescens*. Ph. Cortex , folia , flores . . odorata , amaricans . . adstringens.

Salvia *Officinalis major, et minor*. Ph. folia , summitates , semina . . . fragrantia , amara . . nervina . . Spiritus , oleum.

Salvia *Horminum Horminum sativum*. Ph. Semina . . amara , aromatica . . mucilaginoso.

Sambuccus nigra. Vid. Ebulus.

Sanguisorba. Vid. Pimpinella.

Sanguis Draconis *ex Dracæna Draco* arbore indica. Ph. Sanguis Draconis . . . Resina friabilis , rubra , inodora , insipida . . incrassans , adstringens.

Sanguis Hirci præparatus , seu exsiccatus . . . resolvens , diaphoreticus . . Empyricis præsertim usitatus.

Sanicula *Europæa*. Ph. Herba . . inodora , subinsipida . . . resolvens , adstringens.

Santalum citrinum *ex Santalo albo*. Ph. Lignum interius . . fragrans , ad rosarum odorem tendens , amaricans . . sudo-

riferum . . . oleum, extractum . . . Præstans, usitatum.

Santalum rubrum ex Pterocarpo *Sandalino*. Ph. Lignum blande adstringens, tinctorium . . . ad supelectilia teselata conficienda aptum . . . extractum, oleum.

Santonicum ex *Artemisia Judaica*. Ph. Santonici seu cinæ semen, semen contra, semen sanctum . . . amarum, anthelminticum . . . Pulvis, confectio.

Sapa vomitoria ex vitro antimonii, et succo cydoniorum conficitur. Parva dosi aqua multa diluatur ad vomitum excitandum . . . vix usitata.

Sapo *materies* ex oleo, et alcali confecta. Si oleum est essenziale, et alcali volatile emergit saponulus, seu imperfectus sapo . . . incidens, aperiens, litontrypticus . . . Eficax.

Sapo Starckejanus ex sale tartari, et oleo Terebintinæ æthereo emergit. Dicitur *Saponulus Potassæ* . . . Efficacior.

Sapo acidus ex oleo olivarum ritè expresso, et acido sulphurico emergit albidus, solidus, in aqua facile solubilis . . . Efficacissimus. De isto Vid. *Carminati Opuscul. Med. tom. I. Opuscul. I.*

Saponaria *major officinalis*, seu *Lychnidis* Herba Ph. Radix, Herba, semina amara . . . diuretica, emmenagoga . . . anti-icterica, antivenera.

Sarcocola ex *Penæa Mucronata*. Ph.

Gummi-resina. rufescens, subdulcis, acris, amaricans, friabilis . . vulneraria.

Sarsaparilla *Smilax sarsaparilla*. Ph. Radix . . . farina . . . amaricans, glutinosa, sudorifera, mundificans, antisyphilitica.

Sassafrax *Laurus Sassafrax*. Ph. Lignum, Radicis cortex. subdulcis, acris, aromatica. sudorifera, diuretica, pellens. extractum, syrupus.

Satureja *hortensis*. Ph. Herba, flores, semina. fragrans, aromatica. pellens, excitans, aphrodisiaca. Vid. Pulegium.

Satureja *Thymus capitatus*. Ph. Thymi cretici Herba. . fragrans. . corroborans.

Satyrium *Orchis alba bifolia*. Ph. Radix . . Hircina, viscosa . . Aphrodisiaca.

Scabiosa *arvensis, seu pratensis*. Ph. Radix, Herba, flos . . diluens, becchica, alexiteria, antiscabiosa . . syrupus.

Scabiosa succissa *Morsus Diaboli*. Ph. Radix. Herba . . priori similis.

Scammonium *Convolvulus Scammonia*. succus concretus ex Radice hujus plantæ stillans, et aeris accessu induratus. Dicitur Resina. Optimum ex Alepo transvehitur. insipidum, dein subacre, amaricans, odore nauseosum. Major pars est resina, minor gummi. Radicis uncia dimidia in aquæ libra cocta purgat modice. Sacharo, cornu cervi præparato, amigdalibus, ovi vitello trituretur, et à granis tribus ad sex potest adhiberi. Raro tamen ita præscribi-

tur. In *Diagridium* redactum usitatus est. Vid. *Diagridium*.

Scylla vel *Squilla Vulgaris* Radice tunicata rubra. Ph. Radix. . inodora, amara, acris. . diuretica. . Oximel scylliticum, acetum scylliticum.

Schoenanthus Andropogon. Ph. Junci odorati herba, flores. . suaveolens. . emmenagoga, carminativa.

Scolopendra. Vid. *Lingua cervina*.

Scordium Teucrium Scordium. Ph. Herba. . Alliaceo-graveolens, amara. . anti-putrida, alexiteria, diaphoretica. . . Syrupus, essentia.

Scorpio Insectum Europeum, quadantenus cancrum referens, ictu acerbissimum dolorem, inflammationem, mortem producens. Oleum scorpionum externo usui destinatur vulgo *Alacran*.

Scorzonera humilis, Viperina Ph. Radix, semina. . inodora, subinsipida. . lactescens, nutriens, temperans, alexiteria.

Scrophularia Nodosa fætida. Ph. Radix, Folia. . amara, acriuscula. . anodyna, repellens, antiscrophulosa.

Secale hibernum vel majus, vernum, vel minus. Ph. Semina. . farinacea, cerealia. . vulgo *Centeno*.

Sebesten Fructus ex cordia mixa. . . viscidus, mucilaginosus. . eccoproticus.

Sedum Telephium semper vivum tectorum; *Sedum majus vulgare*. Ph. Semper-

vivi majoris folia *fabæ crassa* vulgo dicta . . accido-austera , acriuscula , refrigerantia , adstringentia , antiscorbutica , anticallosa. An hæmorroidibus cecis?

Sedum minus *Sedum acre* , *sedum sempervivum vermiculatum*. Ph. Herba . . inodora , acris . . emetica , diuretica , calida . . antiscorbutica specialis.

Senna. Vid. Cassia senna.

Seps *Serpentis species* , quæ morsu putredinem infert mortiferam.

Serpentaria Virginiana. Vid. Aristolochia Serpentaria.

Serpilum *Thymus Serpilum*. Ph. Herba . . odorata . . stiptica , adstringens.

Sessellum *Tordilium officinale*. Ph. Sesseli cretici semina . . diuretica debilia , carminativa , antihysterica.

Sigillum Salomonis *Convallaria Polygonatum*. Ph. Radix . . fatua , cosmetica . . adstringens.

Sinapis *Rapifolio* sinapis nigra. Ph. Sinapeos semina . . acria , corrosiva . . diuretica , rubefacientia . . externa . . oleum.

Sissarum *sium sissarum*. Ph. Sissari Radix . . grata , subdulcis . . farinosa , nutriens , subdiuretica . . . culinaris . . . Num Radix ista ubique reperta Radici Ninzing Chinensium , et Radici Salab Persarum , et granulis *Sagu Japonensium* æquipollet?

Sysymbrium. Vid. Nasturtium.

Solanum Melanocerasos. *Solanum ni-*

grum vel Dulcamara. Herba mora. Ph. Folia, Baccæ . . graveolentia, nauseosa . . amaricantia . . postea subdulcescentia . . Diuretica, diaphoretica, emmenagoga, mundificantia, anti-reumatica.

Solanum tuberosum esculentum. Ph. Herba, tubera . . farinosa, nutrientia, culinaria.

Soldanella Convolvulus soldanella. Ph. Herba, Radix . . acris . . drastica, hydragoga.

Sonchus Oleraceus. Ph. Herba taraxaci vires æmulans . . amara, lactescens . . aperiens, resolvens . . præstans.

Sophia Sysimbrium sophia. Ph. Herba, semina . . inodora, sapor fere seminum Synapios . . stimulantia.

Sorbus Aucuparia Sylvestris, arbor cujus lignum durissimum. Ph. Baccæ sorbi aucupariæ . . ingrata, acidæ, acerbæ . . diureticæ, antiscorbuticæ, adstringentes quando siccæ . . Succus, rob, spiritus.

Sorbus Cratellus inermis, sorbus domestica. Ph. Baccæ, immaturæ austera, et adstringentes: maturæ sapidæ, farinosæ, alimenticiæ.

Sparadrapum (aptius Tela Emplastica) *Gualteri*, tela alba ex emplastris diapalmæ, albi . . confecta: ad ulcera inveterata, ad fonticulos valet.

Spelta Triticum spelta. Dicitur et *Zeia.* Vulgo *Mayz.* Ex hac olim fiebat Puls,

vel sorbitio quædam, quæ dicebatur *Allica*. Num erat *Ptisana* illi hordeaceæ similis, de qua tot, tantaque Hippocrates Lib. de *Ptisana* prædicavit?

Sperma ceti est: substantia pinguis, alba, tenera, non ceti, seu *Ballenæ* semen; sed materia mollis, circa cerebrum existens; et ipsum cerebrum pingue *Ballenæ*; et etiam per totam substantiam hujus carnosam dispersa. . demulcens, resolvens, anodina, antipleuritica . . . exterius usitata, interius obsoleta.

Spica. Vid. *Labandula*, *valeriana*.

Spinacia *Oleracea*: *Lapathum hortense* Ph. Semina . . insipida, humectans . . . folia *culinaria*, usitata.

Spiritus sanguinis humani, ossium, &c. sunt spiritus alchalconi volatiles.

Squilla. Vid. *Scila*.

Stannum *Metalium imperfectum* subalbidum, sub flexione stridens, arsenico, et plumbo coinquinatum. Ph. *Limatura*, *calx*, seu *oxidum*. . suspectum. *Bezoardicum joviale* ex antimonio, stanno anglico, et mercurio sublimato confectum diaphoreticum, anodynum, antihystericum prædicatum cautum, quia sub blando Jovis titulo lentum quasi sævi Saturni venenum latet ex *Trillero*. *Liquor fumans Libavii* hodie *Murias stanni*. . cavendus. *Nihilominus* Vid. *Chemici hodierni* hîc.

Stellio *Animal* venenatissimum: *Dra-*

co Marinus , Lacerta venenata. Aranea venenata Tarantula dicta.

Stœchas arabica *Labandula Stœchas*. Ph. Flores , folia . . odoris champhoracei, amaricantia , exsiccantia.

Stœchas citrina *Gnafalium Arenarium*. Ph. Flores . . apertivæ anti-ictericæ , anthelminticæ.

Stibium Vid. Antimonium.

Styrax , seu storax ex *Styrace Officinali*. Ph. Gummi-resina . . subrubicunda, mollis , fragrans , subamaricans . . digestiva, pectoralis . . Suffumigiis serviens . . infussum, sal essentielle , oleum , pilulæ . . Styrax liquida. Vid. Liquidambar.

Stramonium. Vid. Datura.

Strobili Pini. Vid. Turiones.

Sturnus *Avis* notissima , quæ cicuta vescitur absque noxa. Deservire potest in cibo , et in Medicina.

Succinum *Bitumen* subpellucidum , album , flavum , fuscum. Ph. Pulvis . . subadstringens , cæphalicus , antihystericus, electricus . . tinctura , oleum.

Sulphur *Nativum* , et vulgare : coctum , seu factitium fussum. Ph. Flores . . incidens , diureticum , vulnerarium , anti-psoricum . . Pulvis , rotulæ.

Sulphur auratum Antimonii : ex Antimonii scoriis coctis , et acido nitrico, sulphurico . . præcipitatis , exsiccatis emergit : antispasmodicum : hodie vocatur *oxi-*

dum stibii sulphuratum aurantiatum. Vid. Kermes minerale.

Sumach. Vid. Rhus Coriaria.

Sinopis *Rubricæ* genus præstans, maxime conglutinans, ideo intus sumpta venenosa.

Syrupus emeticus ex vitro Antimonii, vino albo, et Sacharo paratur . . delicatulis parva dosi aptus.

Syrupus papaveris albi, idem ac syrupus Meconii, cujus uncia grana duo extracti opii aquosi continet.

Syrupus papaveris erratici ex floribus hujus in aqua infusis et sacharo conficitur, anodinus, demulcens, antipleuriticus.

Syrupus rosarum solutivus foliis mundatis sennæ in infusione rosarum pallidarum maceratis, et saccharo conficitur, usualis . . puerulis accomodatus.

T.

T abacus. Vid. Nicotiana.

Tacamahaca ex *Fagara Octandra*: ex populo *Balsamifero*: Resina grata, fragrans . . cæphalica, externa, temporibus applicari solita.

Tamarindus ex *Tamarindo indica*. Ph. Fructus, pulpa . . acidula, refrigerans . . . eccoprotica . . antiputrida.

Tamarix *Gallica*. Ph. Tamarisci cortex, (Radicis) lignum, folia . . inodora, austera . . adstringentia.

Tanacetum *Vulgare*. Ph. Herba, flores, semina. . aromatica, amara. . tonica, anthelminthica.

Tanacetum *Mentha hortensis*. Vid. Balsamita.

Taraxacus. Vid. Dens Leonis.

Tartarus *ex viti Oficinali vinifera* pars terrestris et salina vini, præsertim albi. Est illa materies qua dolia in quibus vinum aservatur incrustatione quasi interne obducuntur oleo minus, et aere elastico maxime foeta. Tartarus iste purificatus seu aqua tepida prius ablutus, rursumque siccatus, est sal esentiale vini, acetum siccum ex Boerhaave, sal tartari seu potassa, cinis clavelatus. . . Tartarus in vigecuplo aquæ ferventis solvendus, uncia nempe dimidia in libra aquæ, partitis vicibus mane sumpta optima medicina est cremorem, et cristalos supperans ad incidendum, resolvendum, humores acres ac biliosos corrigendos, ad primarum viarum abstersionem, et expurgationem inturbato corpore et alvum liberam relinquens, secus quam purgantia alia. Est etiam antisepticum, diureticum, refrigerans, tonicum. . Ex eo varia præparantur in praxi Medica utilissima de quibus mox. Vina Rhenana et Mosellana magnam tartari quantitatem deponunt. Hinc tartarus Rhenanus, mosellanus. . prædicantur. Vid. Cineres clavelati, qui

similem isti tartaro virtutem habent.

Tartarus *Chalybeatus* coctione tartari albi cum limatura ferri paratur : hodie *tartris Potassæ ferruginosus* dicitur. Aperiens , roborans. . præstans.

Tartari cremor est tartarus apprime depuratus per ebullitionem pellicula exsiccata , et in crystallos redacta. . temperans , aperiens , diureticus , acidus. . non facile nisi aqua valde calida solubilis. Hodie *Tartris acidulus Potassæ* nominatur.

Tartarus *Emeticus* , seu *sibiatus* è vitro Antimonii cum cremore tartari per ebullitionem conficitur. . incidens , resolvens , emeticus. . nunc *Tartris Potassæ sibiatus* dicitur. Aqua pura solutus semper administrandus.

Tartarus *solubilis* , vel *sal vegetabile* Sal medium , seu Neutrum ex sale tartari (Potassa) mere Alchalino et cremore ejusdem acido conficitur. . . . aperiens , diureticus , purgans. . usualis ob solutionis facilitatem. Hic tartarus solubilis hodie *Tartris potassæ* nominatur.

Tartarus *vitriolatus* ex miscella olei tartari per deliquium , et spiritus vitrioli (*Acidi sulphurici*) educitur. Est sal neutrum. . temperans , aperiens , diureticus. . ab arcano duplicato , seu sale de duobus ex Alkali nitroso , et acido vitriolico confecto parum discrepans. Hodie *sulphas potassæ* nominatur.

Telephium Vid. *Sedum*.

Terebintina *communis* ex Pino Sylvestri. Ph. Resina . . diuretica , mundificans.

Terebinthina veneta ex Arbore , quæ dicitur *Abies Larix*. Ph. Resina . . vulneraria , diuretica , urinam violaceam redens.

Terra catechu ex *Mimosa catechu*. Ph. Gummi-resina subamara . . . adstringens.

Terra foliata tartari *Acetis potassæ*. Aperiens . . diuretica , antiputrida.

Testudo *Amphibium* terrestre , palustre. Ph. Caro , sanguis . . sapida , succulenta , nutriens , demulcens , incrassans . . Jusculum , syrupus . . Cochlea terrestris , et limax nuda de quibus Boerh. Aph. 78. similes virtute Testudini sunt. Ph. Integræ , testæ . . inodoræ , insipidæ . . incrassantes , nutrientes . . . juscula , aqua limacum . . contrita ad synapismata valent.

Teucrium. Vid. Camedris , Camepitis. Marum, Polium, Scordium. . An Teucrium marum est aphrodisiacum humanum ut felinum esse perhibetur? Vid. Murray.

Thapsia *Planta acerrima* , cujus succus vehementer purgat , semina etiam sunt fervida . . vitanda.

Theriaca. Vid. Electuarium theriacale Pharmacopœæ Hispanæ. Vinum, Cortex Peruvianus , et Opium in ea eminent. Drachma quælibet grana duo opii continet , quod probe notandum.

Thlaspi Arvense. Ph. *Thlaspeos semina* . . fragrantia , alliacea . . uterina , anti-septica.

Thlaspi Bursa Pastoris. Ph. *Bursæ Pastoris herba* . . inodora , acriuscula . . . subadstringens.

Thuya occidentalis. *Arbor vitæ*. Ph. *Folia* , *lignum* . . . graveolentia . . emmenagoga , valida , antihysterica . . inusitata.

Thus Vid. *Juniperus*.

Thymelea Daphnæ Gnidium. Ph. *Radix* , *cortex* . . acris , corrosiva . . vexicatoria . . vitanda. In ophthalmia obstinata brachio applicata utilis censetur.

Thymus vulgaris. Ph. *Herba* , *semina* . . fragrans . . pellens , corroborans.

Thymus serpillum. Vid. *serpillum*.

Tilia europæa. Ph. *Cortex* , *flores* . . . suaveolentes , rubicundi . . subanodini , antihysterici.

Tithymalus (Mamma tenera , lac tamen fundens acerrimum) Vid. *Euphorbia*.

Tormentila sylvestris. Ph. *Radix* , *herba* . . stiptica , adstringens . . extractum.

Tragopogonon Pratense luteum majus. Ph. *Barbæ hirci radix* . . inodora , subdulcis , lactescens . . nutriens , aperiens , mundificans , culinaris.

Trichomanes Asplenium trichomanes. Ph. *Herba* . . subadstringens , thoracica.

Trifolium bituminosum *Trifolium Me-*

lilotus officinalis. Ph. Meliloti herba, flores, semina. . suaveolens, amaricans. . resolvens, anodina . . conserva, oleum.

Triticum semen notissimum, cujus farina est insipida, mucilaginoso, nutriens. Semen istud utile est imo necessarium. DEI OPT. MAX. Donum prætiostissimum. . Ph. Amylum. . PANIS.

Turbith Convolvulus indicus. Ph. Radix resinosa, sapore acri, et ingrato. . Diuretica, hydragoga. . violenta, vitanda.

Turbith minerale Mercurius præcipitatus flavus ex hydrargiri in fervente oleo vitrioli solutione emergens. Ph. Pulvis. . incidens, depurans, antisyphiliticus, antihydrophobicus. . *Nihilominus, vitandus. . Nunc oxidum hydrargyri luteum acido sulphurico confectum dicitur.*

Turdus Avis nota edulis junipero delectatur, ipsum redolet, et ab ejus usu cephalicam et tonicam virtutem derivare creditur.

Turiones pini sunt amenta tenera cylindrica nondum expansa, extrinsecus squamis rufis tecta, interne viridia, pinguis ob resinam qua turgent attactus, saporis balsamici, amari, odoris grati. Male vulgo *Strobili*, vel *Coni* dicti. . . Antiscorbutici, anti-reumatici, anti-syphilitici. . succus, extractum, oleum turionum. . Pix, aqua picea.


Turpethum. Vid. Turbith.

Turtur *Columbæ sylvestris* species eadem hujus virtutes præ se fert ; specificè tamen ad menses nimios compescendos adhibetur. Tessari hic. Utinam!

Tussilago *Farfara*. Ph. Radix, herba, flores. . subamaricans. . pectoralis.

Tussilago Petasites. Vid. Petasites

V.

aleriana *Officinalis sylvestris vel montana*. Ph. Valerianæ minoris radix. . amara, graveolens. . sudorifera, anodina, anti-spasmodica. . Mense martio colligatur, cum caulem nondum emisserit nam æstate collecta iners est ex Carminato. Cave ne cum Ranunculi venenata radice confundatur.

Valeriana *hortensis major*, Ph. aliter dicta. Ph. Herba, radix. . præcedenti amarior, odore foetidiori.

Valeriana *Celtica Nardus* Ph. Spicæ celticæ Radix, Flores. . odore, et sapore gratior. . Extractum.

Valerianella, quasi parva Valeriana. Ph. Herba. . succulenta, blanda. . Lubrificans, pectoralis.

Vanellus *Avis*, quæ et capella, item pavonulus, seu parvus pabo dicitur. Ph. Caro. . an cephalica?

Veratrum. Vid. Helleborus. Vulgo dicitur *Vedegambre*. Repeto hic plantas

istas venenatissimas esse, ideo ablegandas. Num in lotionē ad scabiem, herpes, Elephantiasim ipsam prodesse possint?

Verbascum *Thapsus mas Latifolium luteum* Ph. Herba, flores . . . emolliens, anodyna, antispasmodica. Nigrum, et sinuatum à luteo non differunt.

Verbena *Officinalis flore ceruleo*. Ph. Herba. . vulneraria, detergens, resolvens, febrifuga.

Veronica *Officinalis Veronica mas supina*. Ph. Herba . . stiptica, tonica, vulneraria . . Syrupus, conserva.

Veronica *Anagalis Beccabunga Aquatica major, et minor*. Ph. Beccabungæ herba virens. . amaricans, stiptica, acriuscula, antiscorbutica.

Verbex *Animal notissimum*. Ph. Oesipus coctionis ope ex lana succida extractus anticancerosus creditus . . Omentum pro usu externo . . caro pro alimento usitatissima . . Lac præstantissimum.

Vicia faba *Faseolus major*. Ph. Legumina, *fabæ* dicta . . tenera, sicca . . nutritia, culinaria . . usitata.

Victorialis. Vid. Allium.

Vincapervinea *Vinca major, et minor*. Ph. Herba. . amara, inodora. . tonica.

Vinca *Clematis*. Ph. Herba . . amara. . adstringens, sophisticans.

Vincetoxicum, seu hirundinaria. Vid. Asclepias.

Vinum *Succus expressus*, et fermentationis ope defœcatus, ex fructu vitis Viniferæ. Spirituosus, dulcis, vel acidulus, fragrans; sapidissimus, exhilarans, inebrians... usitatum, nimium fortassis usitatum.

Vina varia v. gr. Hispanica, Canariense, Malvaticum, Mosselanum, Rhenanum, Pontack.. sunt valde nota.. Hispanicum, et Madarense spiritiosa, et calefacientia. Rhenanum analepticum, subrefrigerans, diureticum.. Vinum Hippocraticum notissimum.. Spiritus vini seu Alcohol, Acetum, Sal aceti, Acetum dulce, Tartarus. Vid. Murray hic et Cullen. Mat. Med. tom. II. p. 326.

Vinum *Emeticum, seu Antimoniale*, ex solutione tartari emetici in vino albo conficitur. Vid. Pharmacop. Hispanam, quæ non empiricè, sed methodice eum tradit. Singula uncia vini grana duo tartari continet.

Violaria *Viola odorata*. Ph. Violariz herba, et violæ Radix, Flores, semina.. suaveolens.. anodyna. Semina diuretica, vomitoria.

Vipera *coluber verus, notus*. Ph. Vipera exsiccata, pulverizata, axungia.. sapida, pinguis.. resolvens, diaphoretica, demulcens.. Juscula, Vina viperata, sal volatile viperarum.

Viperina. Vid. Scorzonera.

Virga aurea Solidago Virga aurea. Ph.
Herba, subaromatica, amaricans . . tonica, vulneraria, diuretica.

Viscum baccis albis Arbor Gummosa,
seu potius frutex parasiticus semper virens
in ramis aliarum Arborum crescens. An
Ramus Aureus Virgilii? Ph. Lignum . .
mucilaginosum, obtundens . . . An anti-
epilepticum? Baccæ, et *Viscum* interius
venena sunt.

Vitis vinifera seu officinalis. Frutex
sarmentosus perennis cirris suis fulcris
vicinis adhærens. Ph. *Uvæ* recentes, pas-
sæ, agrestæ. Harum vires notissimæ . . .
Præparata sunt: succus expressus, sive
mustum, sapa, defruttum. Fermentationis
ope mustum in VINUM vertitur . . Alcohol,
Acetum. Vid. Vinum.

Vitis Idæa Baccinium vitis Idæa. Ph.
Vitis Idæa Baccæ recentes . . inodoræ, acer-
bæ . . refrigerantes . . Conditum, Rob.

Vitriolum Sal Vitriolum. Est album,
viride, nativum, et ceruleum.

Vitriolum album est sal metallicum
Zincki ex acido sulfurico et Zinkco cons-
tans. Nunc *Sulphas Zincki.*

Vitriolum viride . . Sal metallicum fer-
ri ex acido sulphurico et ferro constans.
Nunc *Sulphas ferri.*

Vitriolum Stanni Sulphas Stanni.

Vitriolum ceruleum acido sulphurico,
et cupro fit.

Hæc vitriola sunt emetica, caustica. .
interno usui prohibenda, Cæruleum præ-
sertim *Sulphas Cupri*.

Vitrum *Materia quædam dura*, pel-
lucida ex materia sabulosa, sale alcalino
vi ignis fortissimi liquatis parata. Hæc
materia in pulverem redacta est venenum
mechanicum nocentissimum.

Vitrum Antimonii, antimonium pu-
rum per ignem in calcem, seu oxidum
igne fortiori in vitrum hyacinthinum re-
ductum. . Emeticum validum. Hodie *oxi-
dum stibii sulphuratum vitreum*. Datur
vitrum antimonii ceratum summe lau-
datum. . sed maxime pertimescendum ex
Dan. Trillero in Dispensat. Pharmac.

Vitulus. Vid. Bos.

Vulneraria *Planta leguminosa*, *Lago-
pus* etiam dicta. Ph. Herba. . detergens,
suppurationem inhibens, et vulnereum la-
bia conjungens.

U.

Unguenta Arthanitæ, et Agrippæ.
Purgantia satis valida sunt abdomini il-
linita. Cautè ideo puerulis applicanda.

Ungula Alcis ex *Alce Animale gre-
gario cornuto*. Ph. Pulvis. . antiepilepticus:
sed tamen hæc nimis laudata ungula mi-
sere claudicat, nec spectationi respondet.

Urtica *Dioica*. Ph. Urticæ majoris ra-

dix, herba, semina . . subinsipida . . diuretica, antihæmorrhagica, tactu urens, exantematica.

Uva ursi. Vid. Arbutus.

Uvæ. Vid. vitis vinifera.

Wintheranus cortex *ex Winterania canella*. Ph. Wintherani (canellæ albæ) cortex . . albidus; in cylindrum convolutus . . fragrans, acriusculus, amaricans, calefaciens . . stomachicus.

Uvularia. Vid. Ruscus.

Z.

Zea vel Zeia. Vid. Spelta.

Zedoaria *Kempheria Zedoaria*. Ph. Zedoariæ longæ Radix, semina . . aromatica . . stomachica, sudorifera . . spiritus, oleum.

Zibethum *Unguinoso substantia* in Folliculo piloso Perinei Animalis Zibethici sito, et ea repleto. . fragrantissima, subacris . . parum usitata. Moscho analoga.

Zingiber. Vid. Ammomum.

METHODUS

FORMULAS MEDICAS EXACTE

CONSCRIBENDI.

Formula Medica Remedium simplex, aut compositum includit indicationi satisfaciens.

Si remedium est simplex præparatio, dosis, et modus utendi regulariter adjiciuntur. v. gr.

R. Corticis peruviani pulverati unciam.

Divide in octo partes æquales.

Cortex Peruvianus est remedium satisfaciens indicationi.

Pulveratio præparatio est.

Uncia est Dosis.

Divisio in octo partes est modus utendi.

Si remedium est compositum

Dosis, et utendi modus adnotantur, v. gr.

R. Electuarii lenitivi unciam.

Sumatur duabus vicibus.

Aliquando remedium præcipuum, quod *Basis* appellatur exigit adjuvari, vel corrigi, v. gr.

- R. Mannæ electæ unciam. . . Basis.
 Radicis Jalappæ pulveratæ
 scrupulum Adjuvans.
 R. Resinæ Jalappæ grana
 octo Basis.
 Saponis Officinalis scrupulum Corrigens.

Hæc Adjuvantia, et corrigentia Remedii præcipui virtutem augment, et saporem, odorem, qualitatem horridam, seu noxiam corrigunt, seu emmendant. Aliquando virtutem illorum minuunt, corrigunt vel cicurant, v. gr. Alkali fixum seu Potassa Resinis mixta istas corrigit, enervat in saponem mitem eas convertens.

Medicamenta in formulis recepta in aliquam formam conciliari debent, v. gr. Decoctum, pilulas. . . illud quo hoc fit *constituens* dicitur, seu *excipiens*.

Hoc constituens debet esse proportionatum rebus excipiendis v. gr. Aqua, vinum . . excipiunt vegetabilia, ut fiant Decocta, infussa . . spiritus vini, seu Alcohol resinas excipit, ut fiat solutio . . extractum, vel mucilagines pulveres excipiunt, ut redigantur in Pilulas. . Syrupi pulveres redigunt in Electuarium.

Si Medicamenta excipienda sint diversæ naturæ aliquis proxeneta, seu intermedium apponendum, ut exacte mis-

ceantur, v. gr. Oleum therebinthinæ, balsamum peruvianum, sive potius balsama, et olea quæ cum liquoribus aquosis respuunt uniri ut pote res naturæ diversæ vitello ovi, aliisque permiscentur.

Cavenda sumopere ingredientium in eadem formula miscella eorum, quæ natura sua contraria sunt. v. gr. acida cum Alchalinis; acidi spiritus cum emulsionibus. Hodierna chemia ad ista vitanda in ægrotantium utilitatem, et in Medicorum decus necessaria est.

Remedia ordine quodam naturali in formulis præscribenda.

In decoctis v. gr. Primo apponenda radices, ligna, cortices, ut pote duriora, et ideo aliquantulum præcoquenda; postea folia, semina, et fructus huic decoctioni lævi adjicienda, et in decoctionis fine flores apponendæ, quæ levissima coctione virtutem suam decocto communicant.

Quantitas aquæ pro decoctione est libra una pro uncia quaque radices, corticis, foliorum, &c. et tertia pars hujus aquæ regulariter est in decoctione consumenda.

Quomodo conficienda Pilulæ, Mixturæ, electuaria, &c. statim dicetur.

Et quoniam formulæ medicæ vel sunt. Pulveres, pilulæ, decocta, Infussa, &c. de his breviter agendum post optime captam atque intellectam Materiam medicam.

DE PULVERIBUS.

Pulvis est medicamentum siccum particulis minimis non cohærentibus, et æqualiter mixtis constans.

Pulverizatio variat juxta texturam corporum, quæ huic operationi exponuntur.

Pulveres alii sunt *grossi* crassioribus particulis constantes, qui etiam dicuntur *Tragea*. Alii mediæ subtilitatis, qui simplici *Pulveris* nomine veniunt. Alii subtilissimi, qui in polinem impalpabilem *Alcohol* vocatum rediguntur.

Materia pulveris est quidquid vel ex se, vel sub aliorum mixtione in formam siccam, pulverulentam redigi potest, v. gr. Præparata terrea... Antimoniata fixa, et alia metallica, salia... Radices, folia, cortices... Gummata, resinæ...

Gummata mucilaginosæ apta non sunt ex se ut in pulverem redigantur. Interventu aliorum ita possunt converti.

Purgantia resinosa in pulverem tenuissimum redacta melius purgant, et minus irritant quam grosso modo trita.

Antimonium parum tritum est inefficax, divisum admodum est efficacissimum remedium, et valde penetrans.

Cortex ipse Peruvianus, et Radicis hipecacuanhæ cortex, quibus principia gummosa, et resinosa insident caute, et

methodicè sunt in pulverem redigendi. Prima enim pulverizatio debilis, ulterior est admodum efficacior.

Fœtida, acria, amarissima, præparata mercurialia, alchalina. . . aptius forma pilularum administrantur.

Dosis pulverum commoda, et usitata est à scrupulo ad drachmam dimidiam, vel unam. Quina dempta.

Repetitio, aut partitio in partes determinanda, v. gr. dividatur massa in duas, quatuor, sex. . partes æquales.

Pulveres subtilissimi, qui obtinentur solutione per idonea menstrua, dein separatione pulveris à menstruo, vel per affusionem alius materiæ præcipitantis, vel per vario modo instituendam liquidi à pulvere abstractionem dicuntur *Magisteria*, v. gr. Magisterium sulphuris hodie *Sulphur præcipitatus*. Horum pulverum aliorumque præparatorum formulæ ex Materia medica ejusdem Boerhaavii, dosibus in purgantibus et emeticis præsertim refractis, depromendæ. Pharmacopœa hispana præ omnibus à nobis hispanis consulenda, ejusque formulæ admittendæ, atque imitandæ.

Aliquæ tamen in exemplum proponuntur, ut quilibet proprio Marte se postea possit exercere, atque ita præparatus pro fine suo apte atque respective conficere, atque variare poterit.

E X E M P L A.

- R. Kermetis mineralis grana tria.
Nitri depurati, vel sacchari puri
drachmam unam.
Misce et post divide in sex partes
æquales.
- R. Pulveris radice Jalappæ, vel Rabar-
bari electi drachmam dimidiam.
Crystali tartari scrupulos duos.
Misce pro dosi. In aqua sumendus.
- R. Camphoræ grana quatuor.
Nitri depurati, vel sacchari purifi-
cati scrupulum. Misce.
Fiat pulvis sumendus cum limo-
nada, emulsione, aliove simili.
- R. Radicis hiepecacuanhæ pulveratæ, et
opii puri singulorum grana duo.
Sacchari purificati scrupulum unum,
misce, et diu terendo fiat pulvis
(qui *Doweri* dicitur) pro dua-
bus dosibus.

DE PILULIS.

Pilulæ sunt : *medicamentum solidum, partibus cohærentibus constans, et in globuli formam coactum.*

Materies Pilularum sunt : quæcum-
que sicca, tenacia, et arcte cohærentia,
v. gr. Gummi-resinæ, succi inspissati, ex-

tracta, saponēs, pulverēs efficaces, medicamenta generosiora, v. gr. Mercurius dulcis, Kermes mineralis. . foetida, acria, alcalina, amarissima . . . in pilulis aptius præscribuntur.

Modus commodior assumendi Medicamenta quælibet, quantumvis horrida est iste in pilulas ea redigendo. Levatur ita fastidium, nausea, amarities, foetor. . delicatuli præsertim huic formulæ minus aversabuntur. Emetica ipsa ita possunt pro iisdem præscribi, dummodo post harum pilularum emeticarum recenter confectarum intussumptionem aquæ tepidæ seu alterius liquoris copia cum regimine superbibatur.

Excipiens natura cum ingredientibus quadret, v. gr. Resinæ, Gummi-resinæ, extracta resinosa cum spirituoso: extracta gummosa, pulverulenta cum glutine aquoso, v. gr. Syrupō præscribi debent. Mel coctum: gummi tragacanthum, arabicum: succus liquiritiæ inspissatus, extracta mollia. . excipientia sint.

Medulla panis aptum constituens regulariter non est.

Magnitudo Pilularum unius vel duorum granorum sit, et ne conglutinentur pulvere Glyzyrrhizæ de cinamomo. . conspergantur; non vero foliis auri, nec argenti.

Dosis scrupulum non transcendat.

Tempus sumendi Pilulas aptius est hora somni.

Pilulæ purgantes officinales sunt circumspectè præscribendæ. Omnes ferè spissa farragine rerum sunt intritæ, et præterea drastica medicamenta admittunt, ut heleborum utrumque, colocintidem, scamoneum, thymæleam, turpetum, essulam, hermodactylos, euphorbium.. vitanda omnia.

Præstat magistraliter, seu extemporariè eas ordinare, atque omnibus attentis circumstantiis præscribere. Rheum, jalappa, polipodium, mechoacana pulverata.. Diagridium, extracta sennæ, aloes, seu aloe rosata, aut violata, fumarix, barbari, electuaria catholicum, et de cassia Pharmacop. Hispan.. cum syrupis florum persicorum, rosarum, carthami, ramni catartici, de cichoriis cum Rheo.. pro nostratibus sufficient.

EXEMPLA.

R. Electuarii catholici Pharm. Hispan.
scrupulum.

Resinæ Jalappæ grana quatuor.

Syrup. de cichoriis cum Rheo quod
sat ut fiant pilulæ pro una dosi.

R. Aloes succotrinæ scrupulum.

Myrrhæ et croci singulorum scrupulum dimidium.. Conterantur,

miscantur , et cum sufficienti
quantitate syrupi communis fiant
pilulæ (*Ruffi* nominatæ) pro dua-
bus dosibus.

R. Extracti tormentilæ drachmam.
Pulveris corticum granatorum drach-
mam dimidiam.

Lapidis hæmatitis præparati scrupulum.

Syrupi Myrti quod sat , ut fiant
pilulæ pro quatuor dosibus.

R. Limaturæ martis levigatæ drachmam.
Boracis puræ scrupulum.

Croci optimi scrupulum dimidium.
Terebinthinæ puræ quod sat ut fiant
pilulæ pro quatuor dosibus.

R. Electuarii Catholici scrupulum.
Tartari emetici granum.

Oximelis scilitici quod sat ut fiant
pilulæ recenter pro dosi sumendæ
matutino tempore aquam tepidam
superbibendo.

R. Opii puri , seu extracti gummosi
opii grana quatuor.

Succi liquiritiæ inspissati scrupulum
unum. Misce exacte , et fiant pi-
lulæ pro quatuor dosibus.

R. Radicis cynoglosi pulveratæ scrupulum.

Extracti opii aquosi grana duo.

Pulveris croci grana quatuor.
Pulveris castorei grana sex. Misce.

Cum sufficienti quantitate syrupi simplicis fiant pilulæ (*cynoglossi dictæ*) pro quatuor dosibus.

TROCHISCI...

Trochisci, seu Pastilli sunt Medicamenta instar pilulæ orbicularis, sensim in ore dissolvenda, et deglutienda.

Componuntur ex pulveribus, seu insipidis, seu grato sapore præditis, ex succis inspissatis, gummatibus, resinis, electuariis aliquo mucilaginoso, v. gr. Gummi arabico, tragacantho exceptis.

Dividuntur in *sublinguales* ad mala faucium, pharyngis . . ad foetorem spiritus, ad præservationem à contagio, ad acidum ventriculi corrigendum, et in *Beblicos* ad expectorandum, &c.

Horum usus minus frequens est, nisi eorum, qui in officinis dulciariis parantur, v. gr. Pastilli de Althæa, violarum.. Pastilli amari ex cortice peruviano ad stomachum roborandum etiam confici possunt, et conficiuntur. Trochisci Hypocacuanhæ, Ramich . . Pharmacop. Hispanæ pro exemplo sint.

Morsuli, Morsellæ, seu Tabellæ, Rotula, seu orbiculus convexus, et Bolus, seu Buccela sunt medicamenta nota *Electuaria solida* licet improprie nominata.

Materies fere eadem ac Trochiscorum-Pilularum, electuariorum. Figura diversa. Raro extempore præscribuntur, et rari usus sunt omnia ista, præter pastillos dulciarios, qui alio spectant.

MIXTURÆ.

Sunt *Medicamenta interna fluida, sola variorum inter se mixtione parata.*

Tres sunt Mixturarum species.

1. *Julapia* vocantur dum syrupi cum aquis absque pulveribus miscentur.

Julapium vel Julepus est mixturæ species simplicissima, dilutissima, pelucida, fere ex colore, sapore, ac odore gratis conflata.

Materia sunt succi acidi, confectiones, spiritus fragrantés, acida dulcificata, syrupi in satis magna aquæ gratæ quantitate v. gr. Naphæ, rosarum, cerasorum, rubi idæi, cinamomi communis.

2. *Mixtura simplex* est quando liquor præscribitur in minori quantitate, et remediis efficacioribus minus gratis constat sive conficitur. v. gr. Pulveribus, confectionibus, syrupis. Hæc aliquando pluribus dosibus destinatur, aliquando pro una vice disponitur, et tunc *Hauftus* nominatur.

3. Dicitur *mixtura contracta*, seu *concentrata*. Hæc minori quam priores

mole efficax est. Hujus dosis per guttas, aut scrupulos determinatur.

Harum mixturarum contractarum materia sunt tincturæ validæ, spiritus, essentialiæ, elixiria, balsama liquida, extracta essentialia, olea aromatica, stilaticia. Hæc si aliquo liquore simpliciore diluantur unciatim sumi possunt.

E X E M P L A.

- R. Aquæ fontis libram.
 Syrupi Rubi idæi, vel limoniorum
 unciam unam, et dimidiam.
 Spiritus vitrioli dulcis scrupulum.
 Fiat *Julepus* pro tribus dosibus.
- R. Aquæ florum tiliaë uncias sex.
 Syrupi capillorum veneris unciam.
 Liquoris anodini mineralis Hoffmanni
 scrupulum.
 Fiat *Julepus* pro duabus dosibus.
 Si pulveres, aliave administrantur
 non *julepi* vocabuntur sed *mix-
 turæ simplices*, v. gr.
- R. Aquæ cerasorum uncias octo,
 Tartari vitriolati drachmam.
 Nitri purificati scrupulum.
 Syrupi acetositatis ciri unciam.
 Fiat *mixtura simplex* pro duabus do-
 sibus.
- R. Mannæ electæ uncias duas.
 Tartari solubilis drachmas duas.

Solve in aquæ fontis unciis octo.

Colaturæ adde Elæosacchari guttas octo. Fiat mixtura, quæ *Potio* seu *Haustus* nominatur.

- R. Salis nostri cathartici amari (vulgo de la fuente de la higuera) unciam.

Dissolve in aquæ fontanæ unciis sex. Solutioni adde syrupi rosati solutivi unciam. Fiat *Haustus*.

- R. Infusionis cardui benedicti uncias tres
Radiciis hipecacuanæ pulveratæ scrupulum,

Oximellis scyllitici drachmam

Misce. Fiat *haustus* emeticus.

- R. Salis absinthii drachmam.

Succi limonum semunciam.

Vini rubri unciam. Misce.

Hauriatur ipso efervescentiæ tempore pro enormi vomitu compescendo.

- R. Spiritus nitri dulcis scrupulum.

Olei stilaticii camomilæ guttas tres.

Fiat mixtura *contracta*, seu concentrata pro tribus dosibus guttatim supra frustulum sacchari eam injiciendo, vel aquæ miscendo.

- R. Liquoris terræ folliatæ tartari drachmam.

Elixirii proprietatis scrupulos duos.

Misce.

Fiat mixtura *concentrata* pro tribus dosibus.

EMULSIONES.

Emulsiō sive emulsum est medicamentum internum, liquidum, oleoso-aqueum, consistentia, et colore utcumque lacti simile, ex materie pingui, seu ex seminibus lactescentibus cum aqua tritis, et emulctis paratum.

Materies emulsionis sunt nuclei, atque semina oleo unguinoso gravida.

Semina sunt v gr. cardui benedicti, citri, cucurbitæ, anguriæ, cucumerum, papaveris albi, raparum, cannabis.

Nuclei sint amygdalarum dulcium, pineæ, pistaceæ . .

His addi possunt saccharum, Jullepia, syrupi.

Semina præscribuntur ad unciam unam pro quaque emulsionis libra.

Nuclei per numeros designantur.

Flatulentia emulsionum corrigitur additione salis cujusdam medii, v. gr. tartari vitriolati, arcani duplicati, vel mixture aquæ cinamomi, anisi, fœniculi . . Et etiam coctione lævi.

Emulsionēs etiam improprie nominantur dum balsama nativa, Gummi-resinæ, Resinæ, aliave pingua, ut olea expressa alicujus rei interventu aqua permiscuntur. Hujus generis sunt vitellus ovi saccharum, mucilago, sapo, &c.

Gummi Ammoniacum amygdalis dulcibus hic terendum non aceto solvendum. Resina Jalappæ, Scammonii, Guajaci, Nucleis Pinni.. Terebintina, olea expressa.. vitello ovi, gummi arabico, tragacantho.. aliisve dissolvenda.

E X E M P L A.

R. Seminum cucurbitæ, anguriæ, cucumeris.. singulorum drachmas duas.

Amigdalarum dulcium excorticatarum numero quatuor.

Contundantur cum pauxilo aquæ donec exquisite subigantur, post adde aquæ communis, vel decocti hordei... libram. Coletur totum, et colaturæ adde sacchari, syrupi viperinæ, vel borraginis.. unciam. Pro dosi.

Si emulsioni huic additur gummi arabicum ad drachmam dicetur *emulsio arabica*. Si Syrupus de meconio ad unciam dimidiam erit *anodina emulsio*.

R. Resinæ Jalappæ grana quatuor. Nucleorum pineæ recentium scrupulum.

Sacchari drachmam.

Terantur optime, et addendo aquæ fontanæ uncias sex fiat emulsio

(*spurea*) cui adde syrupi corticis citri (vel alterius) unciam dimidiam. Pro dosi una, et delicatulis pro duplici dosi.

R. Gummi ammoniaci drachmam. Amigdalaram dulcium numero quatuor.

Terantur, et cum aquæ hyssopi unciiis sex fiat emulsio (quæ *Brunneri* dicitur) cui colatæ adde vini albi generosi uncias duas. Pro duobus, aut tribus haustibus.

I N F U S S A.

Infusum est medicamentum internum ex menstruo liquore materiæ idoneæ parte aliqua ope macerationis citra ebullitionem imbuto constans.

Materies sunt præsertim Plantarum partes, et inter has folia, summitates, flores quæ conscindi, vel contundi debent.

Menstruum potest esse aqua, serum, vinum, spiritus vini. Aqua solvit gummata, mucilaginem, saponem, olea essentialia quoad partem, et salia exceptis aliquibus, quæ ideo ad infussa non debent recipi. v. gr. Crystallus tartari, arcanum duplicatum.

Infusio corticum non omnibus arridet.

Not. 18. ad Pharmac. Londin An. 1788.

Vinum eadem quæ aqua solvit, et

etiam Resinosas plantarum partes.

Spiritus vini, in totum resinosas partes, et olea essentialia extrahit.

Materies infundenda triplo, vel quadruplo majori quantitate exhibenda, quam in substantia.

Infusio potest fieri in menstruo frigido vel calido.

Cortex Peruvianus grosso modo vel subtilius tritus aqua frigida præstat infundi. Ista lentè extrahit principia hujus corticis adstringentia, tonica, amara, eaque æquiponderantia sustinet. Aqua fervens non ita æqualiter procedit, sed abrupte, et confuse.

E X E M P L A.

R. Crystallorum tartari drachmam (libra aquæ ferventis coquendo solvendam.)

Huic adhuc bullienti adde

Foliorum sennæ Hispanicæ mundatorum semunciam

Foliorum scrophulariæ drachmam

Seminum Feniculi vel anisi drachmam dimidiam.

Postquam refrixerit cola pro una, vel duplici dosi.

R. Radicis hipecaquanæ pulveratæ scrupulum

Vini albi drachmam

Sachari drachmas duas

Aquæ fontis uncias quatuor.

Fiat infusio quæ stet per noctem.

Coletur, et exhibeatur mane una
dosi.

R. Picis liquidæ unciam

Sub jugi agitatione cum baccillo lig-
neo afunde

Aquæ frigidæ libram.

Stent quieta per noctem sine calore.

Mane filtra et erit *Aqua Picea* sive
Balsamica tribus vel quatuor dosi-
bus sumenda.

R. Corticis peruviani triti vel pulvera-
ti unciam

Radiceis gentianæ pariter tritæ se-
munciam

Herbæ trifolii contusæ uncias duas

Aquæ communis libras duas

Vini albi uncias tres.

Fiat infusio per viginti quatuor
horas quandoque vasculum agi-
tando.

Postea per filtrum transcoletur pro
quatuor, aut sex dosibus.

R. Cantharidum pulveratorum Drach-
mam.

Spiritus vini tenuioris libram. Misc.

Digere per aliquot dies, dein
filtra.

Pro usu externo deserviat tantum
tinctura ista.

Tinctura Aloes composita seu *Elixir proprietatis* ex Aloe, Mirrha, et Alcohole confecta:

Tinctura Ferri alcalini, seu *Tinctura Elastica*, quæ est liquor ex limatura ferri pulverata, et sale tartari, seu potassa mixtis, et aeri expositis emergens:

Tinctura Opii, Laccæ, Rabarbari. . videantur in Pharmacop. Hispana.

DECOCTA.

Decoctum, decoctio, Apozema est Medicamentum fluidum simile infusso, sed menstruo liquore cum materie solvenda ad ignem ebulliente paratum.

Materies eadem quæ infussi, nihilominus ad decocta recipiuntur quæ firmioris sunt texturæ, et vires suas medicatas non nisi per coctionem menstruo tandem tradunt.

Menstruum semper debet esse aqua, aliquando vinum, et vini spiritus ad resinosas partes penitus extrahendas adhibetur; sed hic peracta coctione, et decocto ab igne remoto adfundendus, et hoc modo fit *Decocto-infussum*.

Quantitas Materie coquendæ minor sit quam infundendæ.

Ut ordine *Decocta* fiant i. coquenda duriora, ut radices, ligna, cortices, dein addenda minus dura v. gr. folia, sum-

mitates, in fine laxa v. gr. Flores, glutinosa, mucilaginosa.

Tempus decoctionis, seu hujus duratio maxime observanda. Intensior ebullitio teneriora sæpe mutat, et quandoque justo plura elicit. Radix liquiritiæ diu cocta amarescit. Sennæ folia longiore coctione purgans exhibent tormina excitans. Rheum vim laxantem amittit.

E X E M P L A.

R. Radicis Fragariæ, Acetosæ, cichorei . . cujuslibet unciam.

Foliorum, Borriginis, Portulacæ, Acetosæ . . paritèr Unciam.

Fiat decoctio (*refrigerans*) in aqua communi S. A. ad tertiæ partis consumptionem.

In decoctionis fine adde florum violarum, vel nimpheæ . . semunciam.
Cola.

Colaturæ adde nitri, aut salis prunelæ . . Drachmam.

Syrupi Limonum, seu Oxymellis simplicis . . uncias duas.

Pro duabus dosibus.

R. Radicis Graminis, Rubiæ Tinctorum, Enulæ campi . . cujuslibet unciam.

Corticis tamarisci, Fraxini, seu Aurantii . . Semunciam.

Foliorum Abrotani, Absinthii, Fu-

mariaë , vel Menthæ . . . unciam.

Fiat decoctio (*aperiens, hepatica, emmenagoga*) in Aqua. S. A.

In decoctionis fine adde florum hyperici, Rorismarini, vel stæchados. semunciam. Cola.

Colaturæ adde salis centauræ minoris scrupulum.

Tincturæ elasticæ guttas octo. Misc.

R. Radicis Gentianæ semunciam.

Summitatum Absintii, et centauræ minoris, singularum Drachmas duas.

Foliorum Trifolii fibrini, Agrimonniæ . . semunciam.

Seminum Cardui benedicti Drachmam.

Fiat decoctio in aqua communi S. A.

In fine decoctionis adde

Florum Camemelli, et calendulæ, singulorum semunciam.

Coletur.

Si huic decocto *Amaro* addantur Senneæ folia seu Rabarbari radix dosi debita erit Decoctum Amarum *purgans*.

R. Radicum Hyssopi, Erisimi, Tusilaginis cujuslibet unciam.

Foliorum hederæ terrestris, buglosæ, vel pulmonariæ. Semunciam.

Hordei mundati, Avenæ lotæ, Pascularum . . semunciam.

Mellis optimi unciam.

Fiat decoctio (*pectoralis, incidens*)
in aqua communi S. A.

In fine decoctionis adde florum Malvæ, Nimpheæ, Papaveris Rhædos.. semunciam. Cola.

Colaturæ adde gummi arabici, vel Tragacanthi . . scrupulum.

Oxymellis simplicis uncias duas vel oxymellis scyllitici Drachmas duas.

R. Radicis Glycyrrhicæ, Althææ, Plantaginis . . cujuslibet unciam.

Foliorum portulacæ, malvæ, althææ. Semunciam.

Jujubarum, numero quatuor.

Fiat Decoetum (*pectorale, incrassans.*)

In fine decoctionis adde

Florum Malvæ, Nimpheæ, violæ...

Semunciam. Cola Colaturæ adde syrupi de althea, violarum, borraginis . . cujuslibet unciam.

R. Radicis Cichorei, et Taraxaci singularum semunciam.

Pulpæ Tamarindorum uncias duas.

Fiat decoctio (*Laxans eccoprotica*)
in aqua communi S. A.

In decoctionis fine dissolve mannæ electæ uncias tres.

Tartari solubilis drachmas duas.

Cola pro duabus dosibus.

Ad Decocta referuntur *Jusculum* seu *Jus* et *Serum*, quorum en exempla pro Tyronibus.

R. Viperæ (colubri veri) recens præparatæ numero unam.

Santali rubri trituro drachmam semis.

Aquæ puræ uncias octo. Coquantur lente in balneo arenæ. Coletur pro dosi, et erit jusculum seu consummatum Viperæ sanguini purificando, et viribus reficiendis utile.

R. Pulli gallinacei præparati numero unum.

Rosæ rubræ siccæ unciam.

Trochiscorum Ramich pulveratorum drachmam.

Cariei ligni siliquæ (vulgo *Carcoma de Algarrobo*) drachmam.

Repleatur his ventris cavitas, consuatur et coquatur duodecim libris aquæ puræ ad libras octo, et erit jusculum lientericum (*Valentinum*) Lienteriæ ac Passioni cæliacæ Remedium ante alia præsentissimum.

Descriptio hujus jusculi in Pharmacop. Matritensi uberior est, et efficacior. An utilior?

Ita videtur, pro malo isto alias indomabili corrigendo.

R. Pulli gallinacei præparati numero unum.

Carnis Testudinis mundatæ uncias quatuor.

Coxarum Ranarum mundatarum
In numero octo.

Caudarum cancerorum fluviatilium
contusarum num. XII.

Rasurarum cornu cervi philosophi-
cè seu sine igne præparati Se-
munciam.

Radicis Chinæ in taleolas sectæ un-
ciam.

Hæc omnia cum aquæ fontis sesqui-
libra, seu libra et dimidia co-
quantur lente ad libram.

Coletur pro duabus dosibus, quæ
ad dulcificandum, et nutrien-
dum optimè deservient.

R. Lactis vaccini, seu caprini libram.
Isti ebullienti adde aluminis crudi
drachmam.

Lac coagulatum coletur, et erit *Se-
rum aluminosum*, validum ads-
tringens . . anti-diabeticum.

Libra una hujus seri pro tribus aut
quatuor dosibus deserviat.

R. Lactis vaccini, seu caprini libram.
Isti ebullienti adde vini Rhenani
v. gr. unciam.

Eodem modo emerget *Serum vino-
sum* anti-septicum, exhilarans, ro-
borans . . præstantissimum.

SUCCI EXPRESSI

CONFECTIO : ELECTUARIUM : OPIATA.

Succus expressus est medicamentum internum fluidum ex Plantis recentibus, harum foliis, radicibusve per incisionem, contusionem, atque pressionem elicatum.

Si coctione, aut évaporatione ad spissam consistentiam rediguntur, vocantur *Extracta*.

Fructus et Flores etiam deserviunt ad succos, et extracta efformanda.

Semina plantarum ad id non valent quia oleo magis, quam humore aquoso scatent.

Succi coctionis ope et albuminis ovi clarificantur; sed melius id consequitur per subsidentiam, et decantationem.

Succi plantarum cum vel sine saccharo ad mellis consistentiam inspissati vocantur *Rob*, *Roob*, vel *Robob*.

Defrutum est mustum ad dimidias partes seu mellis consistentiam coctum.

Sapa est mustum ad tertias partes seu mellis ultra consistentiam coctum.

Gelatinæ dicuntur mucidi animalium, v. gr. ex cornu cervi vel et improprie vegetabilium v. gr. rubi ideï, grossulariæ *Succi* coctione ex vino aut aqua elicit, et ad consistentiam talem inspissa-

ti, ut refrigerati in transparentem solidam tremulam massam coeant.

Conditum est Medicamentum gratum simplex vel compositum syrupo sive saccharo in electuarii, ut et sicciores formam redactum.

Confectio, *Conserva*, *Electuarium* fere idem sunt.

Opiatum est Electuarium, seu confectio, in qua opium admiscetur.

E X E M P L A.

R. Corticis peruviani pulverati unciam infunde per biduum in aquæ distillatæ libra una.

Infusiones repete donec insipidæ emergant, vapora eas ad extracti consistentiam.

Si molle maneat ad pilulas fingendas deservire potest, si durum evadat in pulverem teri potest.

Dosis dimidium seu tertia pars sit, v. gr. Drachmæ quinquæ pulveratæ æquivaleret semi-drachma, vel scrupulus extracti.

Utinam *Extracta* ista totam plantarum virtutem exhaurientia optime conficiantur! Quot nausæ, Quot fastidia... levarentur!

Simili modo alia *Extracta* præparantur v. gr. Baccarum juniperi, camomilæ,

gentianæ, jalappæ, liquiritiæ, opii, rābarbari, sabinæ, sennæ . . utilissima.

Medicamenta ista *Infusiones* nempe *Decocta*, et præsertim *Extracta* ex vegetabilibus deprompta maxime commendanda. In genere naturæ nostræ maxime accomodata sunt.

Corpora metallica pertinaces producunt effectus quia singulæ particulæ figuram suam servant rigidæ, et immutabiles permanentes, quod quidem in vegetabilibus locum non habet, ita Boerhaavio (de Virib. Med. p. 123) pronunciante.

Considerantur Vegetabilia tanquam medium quid inter Regnum Minerale, et Animale, et proximius isti animali Regno et accomodatius Regnum Vegetabile præ minerali illo. Plantæ omnes efficacissimam certe continent virtutem. Harum partes singulæ singulis necessitatibus humanis sublevandis à Divina Providentia absdubio destinatæ fuerunt. Industria humana ab omni Avo, et his nostris temporibus hodierna chemia suis extractionibus, combinationibus . . aliqua rimata est in commodum et sanitatem humani generis observatione casta ulterius promovenda, et confirmanda. DEUS OPT. MAX. conatibus istis salutiferis faveat, et cognitionem nostram hac in Re mancan admodum fœcundet, atque in levamen hominum extendat.

EXEMPLA.

R. Rasuræ cornu cervi libram dimidiam.
 Aquæ communis tepidæ libras quatuor.
 Coquantur lente, colentur fortiter,
 addendo sachari albi uncias sex.
 Vini albi uncias duas.
 Succu limonum unciam unam.
 Bulliant leviter ad *Gelatinæ* consis-
 tentiam.

R. Succu granorum Kermes tepesfacti,
 et colati uncias sex.
 Aquæ rosarum damascenarum unciam.
 Olei cinamomi guttas duas.
 Sacchari purissimi uncias duas.
 Fiat S. A. Confectio, quæ *Alkermes*
 nominatur in Pharmacop. contracta.
 Londini An. 1749. edita. Dosis ad drach-
 mam dimidiam, et ultra.

Confectio ista, et Electuarium cor-
 diale Pharmacop. Hispanæ potiora sunt
 confectionibus Alkermes, Hyacinthorum,
 et Gentilis cordialis... quæ Margaritas,
 Lapidem lazuli, Hyacinthos, Coralios,
 Rubinos, Ambram, Moschum, Folia
 Auri et Argenti... continent, quæ prætiosa
 certe omnia, sed inutiles, imo noxias istas
 confectiones reddunt. Illa ad Mundum
 muliebrem ornatu insaturabilem, super-
 vientem... ableganda prorsus, et in desue-
 tudinem Medicorum adducenda.

MEDICAMENTA MEDIA.

Injectiones, Gargarismata, Clysteres &c. talia sunt.

Injectio vocatur quicumque liquor medicatus in cava corporis, secundum, vel præter naturam foras patentia, plerumque siphonis ope infundendus.

Materia injectionum sunt infusa, decocta, Mixturæ.

Oculi, Nares, Aures, Os, Urethra, Vesica, Anus, Vagina, Uterus, Vulnera, Abscessus aperti, sinus, fistulæ . . . cava exhibent, quibus ista remedia topica, injectiones nempe destinantur.

Injectiones in uretram gonorrhæa affectam caute, et prudenter, si unquam validæ administrandæ.

Collyria remedia sunt, vel liquida, vel solida oculis destinata et illis idoneo modo adplicanda.

Pingua qua oculi illiniuntur debent esse recentia, et blandissima.

Errhina sunt medicamenta, quæ naribus admoventur ad membranam schneiderianam, et ad ipsum cerebrum stimulandum, evacuandum, confortandum. Huc Apophlegmatizonta spectant.

Hæc sunt vel liquida, seu mollia, vel solida, seu pulverulenta.

Deserviunt præterea ad morbos na-

rium. v. gr. Ozænam, hæmorrhagiam, destillationem excedentem, vel deficientem.

Quæ sternutationem excitant *Ptar-mica* vocantur.

Gargarisma est Medicamentum liquidum cavi oris maxime vero faucium colutioni aptatum. Vocatur etiam *Diaclysmata*, vel *Collutorium*.

Suppositorium est Medicamentum plus minus solidum rotundum aut oblongum Globuli, Conuli, vel Glandis forma quod ano varios ad usus intruditur.

Pessarium est suppositorium vaginæ (si fas est) immittendum. Hoc raro applicandum nisi ad Uteri prolapsum, aut urinæ incontinentiam.

Clyster seu *Enema* est liquor oleosus, vel aquosus simplex, vel idoneis virtutibus impregnatus, qui instrumento comodo per anum intestinis injicitur alterandi, evacuandi, nutriendi. . fine.

E X E M P L A.

- R. Aquæ Euphrasiæ, chelidoniæ, fænuculi. . cujuslibet uncias quatuor.
Camphoræ grana quatuor.
Vitrioli albi grana duo. Miscæ pro
Collyrio, *anodyno*, *Stiptico*.
- R. Herbæ majoranæ, betonicæ. . cujuslibet unciam.
Florum lavendulæ drachmam.

Fiat pulvis subtilissimus *ptarmicus*,
ad cerebrum expurgandum, con-
fortandum..

R. Decocti hordei libram
Mellis rosacei uncias duas. Misc.
Fiat injectio repetita in os quæ *Collu-
torium*, seu *Gargarisma* dicitur.
Huic addi possunt sal prunellæ ad
drachmam.

Spiritus salis duleis ad scrupulum.

R. Mellis coctæ ad duritiem uncias duas,
cui sub finem adde

Salis Gemmæ drachmas duas.

Fiant duo *Suppositoria* communia.

Si addatur *Diagridium*, *Scammo-
neum*, *Jalappa* .. erunt supposito-
ria irritantia, pro morbis soporosis.

Pessaria oblonga, rotunda . . . able-
ganda. Circularia seu orbicularia
ad Uteri prolapsum reddendum
utilia quandoque esse possunt.

Ex subere cera obducto confician-
tur, et prudenter applicentur.

R. Decocti Malvæ et Mercurialis .. sin-
gulorum libram dimidiam.

Electuarii catholici unciam. Fiat ene-
ma.

Huic Decocto addi possunt pro aliis
Enematibus *Terebinthina*, *Opium*, *Tar-
tarus ipse Emeticus* (ex *Piclero*) *Lac*,
Vinum, *ovorum vitelli* .. pro scopis variis,

R. *Lactis recentis* v. gr. uncias octo

Syrupi de Meconio unciam. Misc.
 Pro quatuor Injectionibus *Anodynis*
 in *Gonorrhœæ*, aptius *Blennorrhœæ*
venereæ initio.

R. Aquæ hordei uncias octo
 Mellis rosacei unciam.
 Tincturæ Aloes, vel Mirrhæ guttas
 octo.

Misce. Pro injectionibus *detergenti-*
bus in medio ejusdem.

R. Decocti Gallarum, seu Plantaginis
 uncias octo

Aquæ calicis secundæ unciam.

Misce. Pro quatuor injectionibus *con-*
solidantibus in fine.

Num his addenda Balsama, Alumi-
 na, Mercurius purus, ut *validæ* istæ In-
 jectiones efficiantur? Dubito, et timeo.

An Cerusæ, Litargiria, Ammoniaca-
 lia, Vitriola, Mercurialia salina, Cuprea,
 Acida mineralia? . . Suspecta certe omnia:
 ideo vitanda.

His omnibus præferendæ *Fricciones*
mercuriales in perinæo, genitalibus, Clu-
 nibus, inguinibus, quas, remissa hujus
 mali ferocia, proponit tanquam efficax,
 et commodum remedium Joan. Astruc
 De Morb. Vener. Lib. III. Cap. I. §. V.
 num. 7.

MEDICAMENTA EXTERNA

EPISPASTICA, VESICATORIA, BALNEA.

Medicamenta Epispastica sunt illa topica, quæ applicata cuti subjectam hujus partem cum vario æstus gradu laecesunt, erodunt, vel exedunt mediocriter, vel fortiter solida stimulando, et humores atrahendo.

Ista Medicamenta commode dividuntur in Dropaces, Sinapismos, Vesicatoria, et Caustica ex Boerhaavio §. 1243.

Dropaces ita nominantur quia *Pice* ut base constant, licet aliis etiam rebus mediocriter stimulantibus ibi citatis possint confici.

Inter Ista *Bitumen* Judaicum, seu Asphaltum proponitur, quod est fossile sulphureum, et inflammabile. In Mari mortuo Palestinæ copiosè reperitur. Raro sincerum possidemus. *Pice* frequenter adulteratur, et tunc *Pissasfaltus* dicitur. *Pix* nostra commodior, et præstantior.

Sinapismi ita nominantur, quia semen sinapi in sua confectione recipiunt. Isti ad ruborem tantum inducendum destinantur ideo *sinapismi lenes*, *Phænigmi*, seu *Rubefacientia* topica etiam dicuntur.

Vesicatoria sunt illa, quæ ob mayo-

rem stimulandi , et atrahendi virtutem vexicas excitant.

Materia seu Res , quibus conficiuntur *Vexicatoria* ista est eadem ac ea , qua *Sinapismi* lenes , sed majori dosi. Si *Acre* sit *Bryonia* , *Allium* , *Cepa* , *Nasturcium*.. potest esse æquale , et etiam superius dosi respectu *Ficum* , seu alterius massæ recipientis . . si vero sint alia à *Boerh.* (ibi-dem) numerata ad tertiam , quartam , vel sextam partem apponenda.

Præstantius , et commodius Remedium ad conficienda ista , sunt *Cantharides* in pulverem redactæ , et Emplastro aliquo aut Unguento proportionato mixtæ.

Ad ista disponenda prostant in *Officinis* Emplastra , Massæ . . sed cum varia in istis cantharidum proportio reperiatur , præstat magistraliter quantitatem *Acris* designando ea in schedulis à *Profesoribus* ordinari , respectu habito ad ætatem , temperiem , irritabilitatem , sensilitatem . . . morbum , aliasque conditiones ægrotantium , quibus applicantur.

Emplastrum igitur epispasticum , et unguentum pariter epispasticum *Pharmacopœæ* *Hispanæ* , quæ ferè dimidiam partem cantharidum admitunt et cum oleo *euphorbii* incluso ultra dimidiam *Acris* mitiora possunt reddi superaddendo debitam quantitatem *axungiæ* *sui-læ* , emplastri de *Mucilagibus* , unguen-

ti *Alteæ* . . alteriusve similis pro Medici intentione exacte, et utiliter exequenda.

Unguenta mollia pro his conficiendis emplastris durioribus præstant.

Camphora ad grana aliquot regulariter *Epispasticis* adjicienda.

Caustica vel sunt potentiale, vel actuale. Istud est *Ferrum ignitum*; quod licet horridum ad plurima valere alias dignoscendum.

E X E M P L A.

R. *Picis unciã*.

Olei communis semunciã.

Liquentur, et postea super alutam extendantur, et erit *Dropax* simplex *Nuchæ* regulariter applicandus.

R. *Fermenti acris*,

Micæ panis aceto et aqua madefactæ,
Vel *Pulpæ ficuum*, seu *caricarum maceratarum* . . *cuyuslibet libram dimidiã*.

Seminis sinapi pulverati unciã.

Herbæ rutæ recentis contusæ semunciã.

Aceti optimi drachmas duas. *Misce*.
Fiat *Pasta mollis* pro duobus *sinapismis* plantis pedum applicandis, et per quatuor aut sex horas retinendis donec plantæ caleant, rubeant, doleant.

R. *Emplastri seu ungenti de mucilagibus unciãs duas*,

Terebinthinæ semunciam,
 Cantharidum drachmas duas,
 Camphoræ scrupulum. Misce.

Pro quatuor emplastris ad formam
 bolæ manus super alutam exten-
 dendis, et applicandis, donec ve-
 siculæ excitentur, quod sedecim
 vel viginti horis accidit.

R. Emplastri ceræ (quod olim *atrabens*
 dicebatur, et nunc *vexicatorium*,
 quia his conficiendis deservit) un-
 cias duas.

Cantharidum pulveratorum scrupu-
 los quatuor. Misce.

Fiant quatuor emplastra.

Si emplastrum illud nimis durum fuerit
 Adipe suilla, et aceto mollescet.

Præter Remedia Externa ista, alia
 dantur Tyronibus noscenda.

Talia sunt Unguenta, inter quæ
Mercurialia eminent.

Epithemata, Suffitus, stilicidia, seu
 Embroche, Insessus, Balnea.

Ista Balnea varia admodum sunt, et
 ad diversa mala alias difficilime
 sananda utilissima.

Talia sunt Balnea Aquæ dulcis te-
 pidæ, vel frigidæ.

Balnea Aquæ Marinæ.

Balnea Aquæ variis rebus medicatæ.

Balnea Mercurio salino imbuta, ad
 Luem Syphiliticam luendam.

Balnea pedum Decocto corticis peruviani ad febres intermittentes sanandas.

Balnea Terræ Solaniana.

Balnea Olei , Vini , Vinaceorum , Lactis . . Vaporis.

De Balneis , eorumque usu scripserunt multi. Claudinus in Libro de Ingressu ad infirmos in Appendice de Remediis generosioribus de his satis apte pertractat.

Ego pro coronide de istis Vaporis Balneis tantum dicam ista partibus determinatis externis directa stupenda effecta producere , ut alibi dictum. Intus per inspirationem admissa magnas utilitates offerre ob facilem communicationem Aeris puri , et medicati massæ sanguinis per tenuissimas vesicularum pulmonalium membranas , per facilem proximamque ejusdem substantiæ ipsi pulmonali communicationem . . quibus corrigi absdubio poterunt quam plurimæ pulmonum præsertim ægriitudines alias fortasis indomabiles.

Pro argumento isto adeo utili ac turpiter derelicto exornando videndum Joannis Arbuthnot Specimem Adfectum Aeris in humano corpore cum Auctariis P. F. Fortunati de Felici , et præsertim consulenda nova Chemia , quæ immane quantum hæc in Re adlaboravit , conata est , promittit , et adimplebit. Utinam!

HERMANNI BOERHAAVII.

O R A T I O.

QUA REPURGATÆ MEDICINÆ

FACILIS ASSERTITUR SIMPLICITAS.

Veritatem fulgere pulchritudine, ut nudatæ speciem haud ferrent mortales, constans Sapientum fere est sententia. Hanc ergo, si minus personata spectaretur, simplicissimam fore qui dixerit, næ ille hujus elegantiaë detractum velle censebitur! Ita tamen ut sentiam speciosis equidem inducor argumentis. Si enim, quænam demum illa sit, quæ tam admirabilis celebratur, Veritas, liquido quis viderit; hac ipsa simplicius nihil, nihil minus admirabile, quidquam reperiet. Illa quippe, in clara contemplatione idearum fundata dumtaxat, haud aliud negotii suis dat Cultoribus, quam ut juxta perspectas has imagines de convenientia ipsarum, vel diversitate, serio secum cogitent. Quod ipsum pura perfici intellectus attentione ad ea, quæ in semet contuetur ipso: undecunque demum nata gerat, cogitata, quis inficiabitur? Hæc vero, ubi ab omni

alieno casta contagio , offeruntur menti , vah quam sunt simplicia ! Quin et ipsa illa attentio his affixa solis , inter omnes est mentis actiones simplicissima . Adeoque decantata illa ut omnis admirabilitatis parens , ubi possidetur vera , quam est tandem simplex , Veritas ! Cernit vera , qui aliena rejicit . Personam , fucum , vestes quisquis abstulit , facilis , quod latet veri sub his , detegit . Vos ego compello , castissimi intemeratæ veritatis Cultores , Mathematici . Intricatissimi cujusque problematis quamdiu , quæso , percellit admirabile ? Tandiu sane , donec nodus resolutus sit : tunc enim cum detecta veritate emergit mox simplicitas , evanescitque omne admirabile . Hujus quoque respectu scientiæ unam modo laudatis , dum quæstioni solutio præstatur multiplex , illi nempe palmam decernentes soli , quæ summa se præ cæteris simplicitate commendaverit . Vos quoque , Geometrarum pars optima , Mechanici , qui unum simplicissimum probatis instrumentum , quoties multa eidem operi efficiundo apta habetis , Vos suffragantes annuero sententiæ . Vera tandem quisquis detexit penitissime , censendus erit ideo præstitisse aliis , quia nudas res ad intaminatam simplicitatem commode redegit , atque scienter . Quod ipsum in quocunque demum Sipientiæ humanæ genere verissi-

mum haberi, sæculorum index, memorat historia. Æsopum, Socratem, Democritum, Hippocratem, Verulamium, Cartesium, veri ubique, cui indagando se dederunt, revelati gloria eximios vel ipsa clamat invidia. Tantæ vero claritatis quænam in propatulo habetur causa? Vitam lustranti, horumque monumenta, princeps excellentiæ instrumentum dicta apparebit nuditas. Veri ergo character ubique est simplicitas, illi indagando fidissima hæc index est. Quæ dum ipse mecum reputavi sæpius, in ea illam arte colendam simul credidi, à cujus fide pendet tuta salus hominum. Illa autem quin sit Medicina, ecquis nostrum ambigit? Quam ipsam, ubi integra puritate colitur, simplicem esse atque facilem paucis persuadebo. Lege enim consuetudinis de re dicturo medica dignior haud adfuit, quam mea vobis oratio poliret, materies. Maxime, quum dedita id multum agant opera, quo infinitum adeo laborem Artis jactitent, ut desperatione debilitatis, spe infracta, langueat industria, nihil superesse rati, quo arduum accessum mollire queant seduli. Nec alienum simul à ratione novi hujus muneris visum fuit, cujus magna pars simplicium explicatione constat. Dum simplex mihi dictio liberi animi sensa breviter explicat, auribus favete! Et, an propositum bona

firmem specie , noto candore ferte sincerum rigidi iudicium.

Ea solum ad Medicinam pertinere, quæ, vitam tuendo atque sanitatem, ab injuria morborum tutos præstant homines, planum haberi arbitror. Quorum quidem vim et materiem esse infinitam, tralatitiæ fere opinionis fide traditur. Quare inter omnes, quæ cluent, Artes, Medicinalem ut copia diffusissimam, ita hinc difficillimam esse, pervulgatus sermo est. Verum, qui dubia à certis, à veris falsa prudens separaverit, sinceræ Artis pauca habet dogmata. In hac enim condenda assumendum nihil, cujus perito est suspecta fides, jubet erroris præmetuens prudentia, et, quæ ad nostra capita pertinet, funesta fallaciæ perniciës. Quæ sane nunquam felicius vitabitur, quam explodendo quidquid sectis proprium. Nec apparebit veritas facilior, quam si sincerum id modo admittitur, quod Idonei omnes communi semper approbant suffragio. Ad hanc si castigatur Medicina legem, quæ aliena turgebat mole, ad suum reversa habitum, in parvam statim residet magnitudinem. Id ut confirmem, in rem erit capita lustrare, quorum, compilando, cæteri sunt simiæ. Quisquis hoc animo monumenta excussit medica, divo is Hippocrati accepta feret pleraque. Sed, si illius volumina emaculata fuerint, pau-

ca dabunt certa, et illa simplicissima. Ignem et aquam; Elementa, horumque potestates; Naturam, ejus amores, odia, attractiones, repulsas, et ratiocinia; calorem naturalem; cœlestes causas; vitia in Anatomicis admissa; expungite! tum id, quod ab his pendet, atque mirifice auget scripta Hippocratica, evellatur funditus! quid superat? Corpusculum observationum nec à sensibus, nec ab intelligentia valde remotarum. Mellifluis suis ore Plato, tantique Viri numerosa secta, quod scriptis medicas ornavit Bibliothecas? Sed triangulos, numeros, ideas, elementa, humores, genios, appetitus, harmonias, parabolas, et horum omnium sacra mysteria repudiate, simulque eorundem tot falsa consecraria, Vos oro, quæ sunt reliqua? Pauca, quæ prior dixerat Hippocrates.

At, si in illum animos convertitis, qui non minori ambitu principatum spirant in scientiis, quam ferox ejus Discipulus imperium in orbem; en Auctorem, à cujus ore omnis ferme à Platone usque in Paracelsum suspensa hæsit Medicina! Neque tamen boni quid, vel ullius in Arte frugis, habet schola Aristotelica, quin ex Coacis raptum monumentis purum sit, et putum Hippocraticum. Adeo autem obscura, vel falsa et generalia sunt reliqua, ut nihil momenti Medicæ adfe-

rant scientiæ. Tu tandem *Claudi Galene*, Anatomica exceperis, quidnam bene utilis tam vastis consecrasti tabulis? Pura quidem in hisce *Coaca* nitent, verum iis excerptis, reliqua sine splendore sordent, caditque nervis moles vidua. Concludo itaque: sed præcipitem dictionis impetum interpellat venerabilis *Arabum* chorus! Quam copiosa splendet his librorum suppellex! Quam dives est, qui his reconditur *Medicinæ* thesaurus! Tantus sane, ut ad mutandam me sententiam permovisset, nisi docuisset usus, *Aristotelem* et *Galenum* Solos in scriptis *Arabum* sed lingua tantum loqui variata. Quæ omnia si, ut *Eruditis* exploratum est, vera sunt, quid sequitur? Aliud profecto, quam temere quis sperasset, paradoxon: ab orbe nempe condito usque in ætatem *Chemicorum* universa, quæ conscripta sunt *Medicinæ* necessaria, exiguis arctari posse pellibus, et esse simplicissima. Longe adeo maxima sapientiæ *Medicæ* ex *Priscis* addiscendæ difficultas est illa, ut noscat, quos evitet, *descriptores Priorum*, paucosque, quibus se applicet *Tiro*, *Auctores rerum*. Adeone ergo excitandus, qui *Veteribus* scrutandis totum se dedat *Artis studiosus Medicæ*? Peribit certe, hujus consilii effectu, irreparabilis bene agendi occasio! Hos evolvat solos, quos rimatus tuto caret reliquis. Nisi forte profec-

turus is credatur multum, qui rectam ut viam absolvat, in orbem decurrit gnauiter. Inscitia, imprudentia, precaria falsorum principiorum hypothesis, à labore in assensum decliuis desidia, hominum, non sæculorum vitia sunt. Fuere priscis, sunt damnosa hæc præsentibus. Studio ducitur, nec ponderat scientia, qui pulcherrima quæque Recentiorum incepta elevans Antiquos instar Deorum solos veneratur. Et est mordacis utique invidiæ favere plus vetustis, quam bonis præsentibus. Verum in alia longe ire solent plurimi, qui de labore Veterum satis abjecte cogitare prouisi, suæ ætati largi tribuunt, quam Antiquis ademptam læti ferunt, gloriam. Hinc de promotis Medicinæ hac tempestate pomœriis jactantia. Inde tot Satyræ in Veterum inscitiam. Sed rationis quum sit subtiliter à radice limare omnia, laboris in his librandis exantlati fructum libere, et sine odio, nunc proferam. Qui dogma sequuti summi Mathematici, quo elapsum modo decoratur seculum, promovendæ Medicinæ incubuerunt, magni erroris flagitio corruerunt artem. Enimvero finxere ingenio, ex quarum virtute deinde explicarent eventus Medicos, causas. Quum interim nostræ scientiæ conditio id exigat, ut ex observatis corporum Phænomenis in ignotæ causæ indolem detegendam assur-

gens intellectus, ex illa sic prius inventa deinceps demum derivaret cætera. Igitur ex fictis dum deduxit pleraque, adeoque solis confisa generalibus, immani inde saltu ad singularia transiliit Carthesiana schola, hinc ille ejus labor ita est Medico inutilis, ut tantum onus tuto Ars Medica excutiat. Quantæ vero molis sic liberetur pondere, vos, quæso, spectaveritis! Quodcumque enim novi post Harvæi tempora, exceptis Anatomicis, et paucis ex Mechanica, in Medicinam introductum est, omne id Cartesii Discipulis, vel Chemicis debetur. Quid autem dixerim de emolumento, quo postremi hi rem locupletare Medicam? Vera loquenti jurgia speranda sunt, silere vetat instituti ratio. Sua si exempla æquo ferunt animo, absque invidia verum quod est dixero. Nempe applicando corpora corporibus, natos hinc effectus dum observant seduli, proprias quibusdam vires, harumque actiones, qua licet hujus Artis facultati, detexerunt optime. Quæ illorum opera quin necessaria sit et Physico et Medico, odiosus sit, qui dubitet. Verum ubi leges dare hinc conati, quibus cuncta obedirent corpora, turpissime mox lapsi sunt. Ut enim dediti experimentis laudandi erant, ita dum ex angustiis singularium in immensa generalium spatia statim præpetes provolant, errori sunt obnoxii.

Ergo dum rebus hi admoti Medicis , plus detrimenti, quam adjumenti , captum est. Mox elementorum sine sensu strepitus! fermentorum commenta tam inania! fictæ ferventium actiones corporum! Sales adversi solæ operantis naturæ Machinæ! promissa nihil mortale jam spirantia! cuncta Chemiæ producta salutifera! actiones Medici his submissæ fabulis! En, inquam , infiniti erroris fœta capita! Hæc ex Paracelso, Helmontio , Tachenio , hæc ex vetustis Chemicorum scriptis caute si sustuleris , si quæ in his apta rei Medicæ accurate elegeris , an , rogo , multa supersunt? Pauca mehercle , et simplicia, quæ labore impigro, cauta prudentia, candida fide , et sermone plano , arte bonus Boylæus omnibus explicuit. En nostris detectam sensibus faciem , qua nota jam nobis Medicina cernitur. Habetne , obsecro , tantum illa corporis , ut hujus nos moles terrefaciat? Suppetitne illi , dum sincera colitur , tam vasta nunc materies? Nequaquam. Propria Arti nos cernimus paucissima , horumque clarescit in paucitate simplicitas. Quidquid extra hæc speciem auxisse visum est , id idpsum non magis Medicam , quam aliam , quæcunque fuerit , tangit scientiam.

Sed vero tenui hactenus scientiæ suæ constet , demus , simplicitas , at consummata forte olim sera timenda difficultas

est. Longe aliter ut sentiam , nisi me vera fugerit , recta cogit ratio. Est enim una tantum cuique rei propria, et sua , indoles. Hanc qui pulchre tenuit , de ea re aliud cogitabit nunquam. Sed qui de incognitis multa præceps disputat , eo plura aggeret , quo minus vera protulit. Ut , qui rectam , qua ad metam itur , viam decurrit , parvo labore votis solus fruitur, dum qui ab hac , quæ una semper est, deflectunt , innumerabiles dolos , semperque novos , supervacanea pererrant diligentia. Sapientiæ ita in Medicis perfectio , quò veritatem fælicius , eo pulchrius simplicitatem, conciliabit sibi. Quum enim olim supina oscitantia , et procax pro arbitrio fingendi licentia , fabricam nostræ compagis non viderat , sed finxerat , quæ tum in corpore humano , quamque formidolosa discentibus , nos terruit varietas! Verum ubi incensa sedulo industria disjunctam prius à sensibus structuram oculis exposuit , miratur , subnixa fidis magis indicibus , Medicina , hæc erepta sibi , quæ , ut sua foverat. Formas nimirum solidorum abditas ; Cryptas Archæi, singularium fermentorum myriadas , infinita variatis cribra meatibus , efficacissima inenarrabilium facultatum agmina. O arduam , quæ his modo cognitis adquirenda ferebatur, Medicinam! Vix præluxit facem clarus ille Harvæanus phos-

phorus, vix affulsit nobis Malpighianum sidus, quin conspectu abditæ prius machinæ omnes luxuriantis ingenii nebulæ discussæ sint. Sed simul, nimiam stupens in luce simplicitatem, vix suæ confisa fuit aciei luminum Candidi Viri prudentia. Quid ergo? Mens prudens aliud scrutandum rata plus mirificum, geminatæ indaginis solertia, planiores, quam prius, naturæ vias reperit. Ut palam exclamet, postquam recondita corporis penetralia explicatissima habuerat, quo magis gnarum, eo sibi plus imminui, scientiam! Quis liquidior petat, quam quæ microscopii effectu splendet, visceribus perlustrandis lucem? Illa vero in minimis detegit eadem, quæ in majoribus vasis oculus adverterat: indoles, figura, simplicitas, postremo ipsa actio, ubique certe eadem, adeo ut curatissima perspectio tollat quidquid olim creditum discriminis. Tandem pulchrum illud, oblectans, miroque jam excultum successu artificium, quo grandescunt minima, obscura clarent, extricantur abditæ, et confusa ordinantur, an alio fructu colitur? De injectu loquor colorati liquidi in Mæandros corporis, qui exhausti disparebant. Sane et hujus Artis eventus eos arguit, qui tam varia, atque humanum fere captum superantia de absconditis corporis humani partibus somniabant. Omni

scilicet, quod indagando juvat, artificio liquet, minima et recondita, maximis et apertis esse quam simillima. Quum igitur de difficultate postremorum conquestus nemo fuerit, eritne de prioribus justæ querelæ locus? Non est: sed apparebit nostræ machinæ eò simplicior, quò notior, conditio.

Ne autem acrior cura urat animum humoribus perscrutandis intentum, pauca ut porro extricem, inceptus jubet labor. Quum enim innumeros horum effectus observent Artis periti, inde multiplicem eorundem indolem concludunt, sed injuria. Singulos nimirum eventus suis hæerere causis ut vere asseritur, ita has à sola pendere varietate humorum assumitur falsissime. Ejusdem quia liquoris eadem actio, si diversis applicatur corporis canalibus, effectus mire variat. Quorum proinde ortus non infert liquidi agentis diversum ingenium. Quod si vero ipsa liquida spectaveris, novo argumento constat, fingi in his majorem, quam apprehendi, multipliciter. Aqua, sal volatilis, oleum, et terra ex liquoribus humanis Arte separari solent. Quæ pauca, et facile reducenda ad corpora simplicissima, ne vel sic tamen in vivo scatent homine. Namque in eo sola materies adest, quæ labore chemico ita est mutabilis, ut inde demum natas partes exhibeat. Qua-

re humor naturalis simplicior, quam est, non ipsa multiplex, Artis hæc progenies. Rem ponit ob oculos, quam assero, Dioptrice. Microscopio enim si vitalia cernit oculus liquida, heu quantam in iis spectat simplicitatem! Salsa ibi aqua rubros vehit globulos, qui pro variato adunatorum concursu suos colores mutant, solitarii tandem decurrunt, postquam in angustias vasorum appulerunt, atque inde, per diversos colorum à rubro in pellucidum gradus, disparent. His tandem solis permutata modis aguntur liquida in meatus vicinos molis capaces suæ, ubi rursum eisdem acta causis, licet sint simplicia effectus edunt plurimos. Quæ ut ipsa acies detegit clarissime, ita simplex alimenti, quod recreandis nostris sufficit humoribus, conditio nunquid idem comprobatur? Ex aqua et fœno, aut molliori gramine, nostris simillima generat bos liquida. Cujus lacte solo homo sustentatus, inde trasmutando sua fluida conficit, quæ eadem ex aqua et pane sobrius regenerat. Crescit igitur simplicitas pro rato, quo accuratius cognoscitur fluidorum indoles. Disparuere inde tot inania, de mira causa caloris vitalis, de abdita humoris radicalis natura, de variato fermentorum munere, de tot intestinis fluidorum motibus, de productis Chemicis in sanguine præsentibus, de salibus cruoris

acerrime oppositis , de conflictu horum
explodente scintillas lucentis vitæ , de bal-
samo quo vigeret vita , de sulphure ut
causa purpurascens sanguinis , de Sale
condiente , ne putrescant , liquida ! Dis-
paruere tot operosa Nugantis certe cere-
bri commenta. Ficta quidem omnia ! com-
mendata tamen , quasi horum fide vel
staret , vel caderet , Medicina tota ! Ho-
rum expurgata fœce , erutaque , quæ inde
radices ceperat , opinionum numerosa syl-
va , quantula erit , quæ fide stat scien-
tiæ in liquidis simplicitas ? Esto autem
asserta sit hæc sanis ! An non aliud est,
quod ea rerum copia Medicinam urget,
ut nata hinc molestia omnes disciplinas
superet ? Morborum scilicet nondum ad
nummerum revocata cohors. Illi tot , illi
tam varia , illi tam personata nobis facie il-
ludunt , ut vel recensendis longa ætas im-
par sit ; illi ergo soli opus immensum
creant. Quæ ita censeris compertum diu ha-
beo ; sed eos hæc maxime jactare , qui in
Artis opere versantur omnium minime,
adeoque sermone clari , factis perquam obs-
curi sunt , et hoc novi quam rectissime. Hos
tamen ego omnes rogatos velim , an non
simplicissimæ partis labes simplicissima,
sux actionis defectu , morbum creet pro-
prium ? Hic autem ipso nexus vinculo vici-
na inficere quin possit simili contagio , nul-
lus est qui dubitat. Sed eo solo actiones im-

pedit earum, quas obsedit, partium. Quod impedimentum quum morbus novus audiatur, ex una ægritudine effectus orti plurimi, varia se specie, ut distincti, offerunt. Illos dum incautus contemplatur Medicus, ipse deceptus mox imponit aliis, quasi essent diversæ, quos in censum redigit, naturæ. Quum interim severiori pateat examine, una omnes stirpe cretos, hac eradicata, extirpari illico.

O quam amœnus exspatiando campus oculis se porrigit! Sed evagari Vestra vetat lenitas, qua frui dum datur, abuti certe nefas est. Unum dicturo veniam justus impetrabit impetus. Si liquor fluit ex amplitudine canalis in ejus angustias, quodlibet fistulæ internæ punctum excipit vim ejus portionis fluidæ, quæ recta ab origine motus via in id ruit. Quando igitur acutum corpusculum in aliquo cavi hujus incilis puncto ita se fixit, ut ejus apex firmus ibi hæreat; tum illa pars, quæ supra glabritiem cavam eminent, sustinebit impetum omnis fluenti, cujus directum iter objectu sui corporis intercipit. Ergo agatur eo majori momento, quo assurgens ejus moles grandior est eo puncto, in quod recta propulsi fluidi pars æqualis impingere solebat. Omnis autem hæc vix arietat in illud unum punctum ejus ductus, cui infixæ hæret acris illa particula. Unde vas ibi divelli, solvique, iterque vitali

ibidem humori intercipi, debet. Simulac vero id mali accidit, liquidior pars intercepti liquoris per factam rimam effluet dum crassior stagnat, coit, et compingitur. Sed fluxus his impeditus per alia vasa libera impetum accelerat, auctoque attritu, febris fit, et æstus longe major. Quo ipso stagnans calescit, et ex blanda indole in acre fugax vertitur, hincque duplicato malo destruit tenerrima, quibus conflamur, stamina. Quod si accidit parti, cujus integritas est vitæ necessaria, nonne lethale damnum est? Atqui in hoc transitu ab sanitate in mortem, labefactari necesse est medias omnes actiones, quæ à vitæ salubritate pendebant. Quæ dum sunt quam plurimæ, morbus una natus, eaque simplicissima, causa in corpore sanissimo, mille diversis speciebus gravis fit.

Hinc aliud cadit damnosi erroris caput, quo humores morbosi, in fine ægritudinis reperti, pro materie, et prægressa mali jam devicti causa, habentur. Qui diversi admodum allegari solent, ut multiplex mali principis probetur differentia. Sed aliter ut sentiamus, res, ut videtur, exigit. Sincera enim liquida per morbi efficaciam momento quolibet variant. Quæ ergo mutatio non causa hujus, sed effectus mali est. Adeoque ille, qui omnes has diversitates primo notas

petit ; ut in sanationem primarii morbi eat curatio , inanem ludit operam , radice intacta fructum vellit , et , sine profectu , Artem sibi jam gravem mole majore aggravat. At vero , adjumento hujus regulæ quam immani levatur , quo gemuit pressus onere Artifex ! Diffusa nempe et confusa crisis doctrina , quæ ut ex dictis habetur nota , ita sine his nequidquam intelligitur. Id enim , quod finis morbi , ut excrementum , per crisis abjicit , in principio mali erat naturale corpori , sed vi ægritudinis corruptum jam degenerat. Si itaque in initio extinctus esset morbus , critica materies vitæ amica perennasset. Nam qui vim pestiferam , simulac recepta venis , Arte correxerit , omnem jam crisis antecepit Medicus. Hujus tamen maturatio , periodus , directio , Artis Medicinalis conficiunt dimidium. Tanto autem paradoxo ab exemplo vulgari clara constabit fides , si veneni virus in corpora salubria advertimus. Hauserit Argentum vivum , cui à rodendo nomen , homo robustissimus. Quid fit ? Omnium pervertitur actionum ordo , candescit æger æstu , putrescunt humores , atque corrupti coluvies per omnia corporis emissaria , quæ data porta , ruit. Attamen omnis hic impetus post tot excreta silens indicat ejus ; quod asserui , veritatem liquidam. Non enim crisis hanc otiosus præstolatur

Medicus ; sed Toxici assumpti virus illico domans , omnem liquorum corruptellam antevertit : adeoque eo pulchrius officium fecit , quo pauciora præstitit. Gradus igitur perfectionis fastigio proximus apicem simplicitatis simul in Arte detegit. Quod clarius iterum redditur contemplanti cum Hippocrate Chronicorum indolem. Qui sponte oriuntur sensim , quando assumpta non mutantur in formas sanis similes. Id autem languor viscerum , vel penuria vitalis humoris admiscendi , efficit. Inde enim spontaneam sibi naturam retinentes cibi nobis alieni sunt. Hujus vero pertinaciæ eventus observati facile plurimorum Chronicorum ingenium docent , quum alii ab acutis male curatis pendeant.

Perorassem , nisi unum adhuc restaret , quod objicitur. Remediorum scientia Artificem consummat sola : ea vero et infinita numero , et uni tamen singula suo morbo propria sunt. Nihil ergo agendum , nihil ne tentandum quidem in Arte erit nisi illi , qui propriam morbi speciem propria medela tollit. Quæ si quid evincit , eo valet oratio , ut omne Medicum explodatur studium. Nemo scilicet , insanus nisi fuerit , ad cultum scientiæ adspirabit , cujus bonos usus novit impossibiles. An vero sic se gesserunt in Artis exercitio , viri qui laudantur , Hip-

pocrates et Sydenhamus? Impetum moderantur, excitant torporem, aut vires victu sustinent, curaturi acutos. At quibus hæc instrumentis perficiunt? Iis, quæ copiam minuunt, acria molliunt, diluunt spissa; tenuata cogunt, stringunt laxa; laxant adstricta, impetum in innoxia derivant loca, vel sopiunt, quoties sedandum: Sed his, quæ tenuando stimulant fibras, si languenti opitulandum naturæ erit. Aqua, Acetum, Vinum, Hordeum, Nitrum, Mel, Rheum, Opium, Ignis et culter phlebotomus, scopo huic sufficiunt. Candore solito exclamat Sydenhamus: agendi gnaro raram remedii penuriam. Ille tamen Idem conqueritur, adeo se fastidiosam offendere varietatem in morbis, dum hoc scrutatur cura sollicita, ut durati cordis constantia, et ætas protractior impar sit ferendis laboribus, quos exigit methodus curandi cuique morbo propria. Ita est. Sed, qui tristi hac nota fata medica Junior descripserat, senex jam factus in meta vitæ nobis faustiora cecinit. Morbos nempe, quos varia singulos via tractandos olim scripserat, universos communi sanari posse methodo, qua misso cruori subeuns purgatio opio sedetur, dum victus cætera absolvit. En scientiam et morbi et auxilii, qua freti Artis Principes! Ab his dum diversa, an meliora attulerunt alii? Imo despectis laudata pro-

fuere minus : est enim auxilii bonitas simplicitate censenda , quum periculosa ex libertate Medicina sit. Quid ergo opus tam vasta pomposæ ostentationis materie Medica? In hac colligenda quot sudarunt sæcula? In hac digerenda quot lassati Medici? In hac præparanda quot exhausta capita? At Cassiano illi (a) , cui bono? nemo respondet. Laboriosæ Pharmaciæ et operosæ Chemiæ vix melior simplicitate fructus est. Nam contra chronica , quæ usus Artis comprobat , an multa sunt? Medicati fontes , Salium potestas , artificiosa Sudoris expulsio , saponis , Argenti vivi , chalybis virtus , et paucorum vegetantium , bonaque cum his exercitatio corporis omne punctum ferunt. Quo ergo tot Medicamina ex fossilibus , plantis , et animalibus , vel arte parata , vel natura? Ut Artium dignissima emunctæ naris Viris evadat jocularia. Facile enim videt , cui sensus abundat communis , quis tam inconditæ abundantiae usus sit? Ne incerto rerum Medico desit , quo inanitatem tegat ignorantiae , ut præsto sit , tentatis falso plurimis , cujus nondum explorata

(a) L. Cassius ille , quem Populus Romanus verissimum et sapientissimum Judicem putabat , identidem in Causis quærere solebat , cui bono fuisset. Cicer. Orat. pro Sextio Roscio Amerino. num. XXX.

ægro vanitate, deceptum lactet animum. Quod æquum fieri censeo ne desperet ægrotus; sed miror pariter ipsos Medicos ita se habere, ac si aliud quid, et pulchrius his agatur omnibus. Vos enim qui Veteribus perspectas Medicamentorum vires jactatis, si ignoratis ipsi, cur fingitis? Si noveritis, cur siletis? Quæ nimirum Hippocrates, Theophrastus, Plinius, et Dioscorides, laudant, nescimus et semper ignorabimus, exceptis forte paucissimis. Vires descripsit, sed picturam plantæ sua tempestate satis notæ neglexit Antiquitas. Recentiores autem in facie pingenda accurati, atque in ordinandis solertissimi, de potestate Herbarum vix tradidere quidpiam, nisi quod dubio nomini adscriptum ambiguo eventu descripserunt ex Veteribus. Si qui verò sint, qui arcana se habere jactitant, quæ in præmium privati laboris celent, successum saltem horum orbi vere approbent. Lateat arcanum, pateat virtus, explorata dignitas movebit hos, qui remunerari prohi sunt et validi. Sed semper periit revelatis bonitas; non quod violata sit Religio, sed quia in medio data est occasio, qua constet de inertia remedii jam cogniti. Postremo si expenderis laboriosissimæ præparationis tædia, quid tanto dignum reperis molimine? Herculeo labori exantlato pretium nihil! Hydrargyrium,

Opium, Peruvianus Cortex, Ignis et Aqua, sunt, ut norunt Optimi, in ipso opere certissima auxilia. Quæ tamen, ut cruda ab alma Natura porriguntur, plus boni efficiunt, quam si negotiosa in otio Arte permutata fuerint. Nil desperandum simplicitate duce, sed fallit spem laboris involuti successus! Luculento id docet Pitcarnius argumento, dum vires Hydrargyrii, in morbis tam mirabiles, simpliciter explicuit. Has enim qui observaverant, tam singulares viderant, ut maxime insolita à causa pendere, omnes asseverint. Ille nihil horum, sed minutatim divisæ hujus materiæ pondus, omnibus obvium, considerans, inde agendi potestatem extricat. Quam splendido id firmat exemplo Hombergius! Ille vires et Medicatas et pestiferas ita docili solertiæ patere nuper docuit, ut actionis simplicitas, quod incredibile, ne Geometricum quidem calculum effugiat. At quo id argumento conficit? Quo docet, acidorum vim respondere ponderi, quod aquæ diluenti inesse deprehenditur. Quo fessum me rapis Chemicorum præstantissime? Ab una hac regula emanat lux viam pandens, quæ calcata in penitissima nos adyta Naturæ ducit. Tibi hoc damus, capiundis in Chemia experimentis aptissimum, in ratiocinio hinc nectendo, cautissimum, Te haberi unum.

Grata posteritas omnis ævi tempore id decoris rependet Ludovico XIV. neminem extitisse, quotquot fuere, Principum, cujus curæ, et liberalitati, tantum debeat ingeniorum cultura et scientiæ naturalis. Namque ab sapienti et liberali instituto Academiæ Regiæ spes est rebus Medicis affulsuram brevi almam in simplicitate veritatem. Sed, quod tempus monet, finio sermonem: non quod dicendo materies exhausta sit, sed quia proposito fidem paratam suspicor.

Quod ergo hoc in actu unum tandem superest, *Illustrissimi Academiæ Batavæ Curatores*, atque *Civitatis Lugdunensis Amplissimi Consules*, pro Vestris in me benefactis gratias Vobis ago! Me namque, obscurum hominem, in Clarissimam Academiam producere, et explicandæ Medicinæ admovere, tunc Vobis placuit, quum Vestro tantum suffragio electus, nec ullo spectatus applausu, in theatrum adscendi. Tenues dein conatus meos probatos lenitati Vestræ, stipendio et promissis auctis testari non fuistis indignati. Hodie summum, quod habetur, pretium persolvere liberalitati Vestræ visum fuit, unde perpetuo debiti vinculo obstrictus Vobis vivam. Ab ambitu vacuus hoc munus benigne datum suscipere audeo, quod Vestra prudentia explorando ponderans me non ineptum

censuit. Dabo operam, ut favoris hujus nunquam Vos pœniteat; et, quam agere me jussistis, personam pro dignitate conabor tueri. Si vero in gerendo hoc officio pretii quid assequar, Vestræ id erga me benevolentiae vivum habebō semper monumentum. Reverentia, obsequio, gratitudine, industria Vos venerabor. Ultra non valeo, Ultra nil exigitis. Professores Clarissimi, Vestro adscriptum ordine ne fastidiose me admittatis, oro! Ego omni venerationis et amicitiae officio demereri Vos studebo; hoc enim communis Vobis dignitas me jubet, hoc me pietas, quam discipulus quibusdam Vestrum debeo, semper monebit. Sunt viginti et quatuor anni, Eruditissime Gronovi, quum rudi stylo expoliendo Tua mihi disciplina profuit, utque vel hac ora causam Romana lingua tueri ausim, primo aptavit. Quo eodem tempore Te Acutissime Senguerdi integro colui triennio Philosophorum placita clarissime docentem simul et amicissime. Atque, O utinam Celeberrime Voldere! sapientissime, morumque et virtutis Sanctitate Integerime Vir, serenam Tuam, meoque adeo charam pectori, frontem, lætus hinc jam conspicerem! utinam non cogerer ad vacuam Tuam sedem acerbissima prosopopœja orationem vertere. Ante octodecim enim annos ex liberalitate Tua Mathe-

matica didici, quorum ita me pellexit dulcedo, ut eam vitæ partem, quam Te duce his impendi, suavissimam et utilissimam, jure summo reputem. Te denique, Clarissime Marki, Sacra docentem privatis laboribus, facilitate mira, et indefessa diligentia, audivi primo, quo huc transieras, biennio. Tot ergo honorum et benefactorum devinctus nominibus, ne insertus Vestro corpori videar ingratus, vestrave indignus benevolentia, pro virili annitar. Medicinæ studiosi, qui grato plausu mihi docenti vigorem incitare soletis, Vos fortunæ hodiernæ fabros agnosco. Nam vestra approbatio meis major meritis, mea major exspectatione, favorem mihi conciliavit Procerum, in vestra qui semper et vota et commoda vigilant, hujusque effectum locum hunc obtinui. Si profui, dum precarii muneris et stipendii tenuioris respectus meos à Vobis divisit labores, ut plus porro juvenem spes nata erit. Nam largiori nunc pretio et certa firmatus sede, Vestris me commodis promovendis dabo totum. Quod si mea Vobis fides, si probatur facultas, agite bonis, et lætis, auspiciis ingrediamur unà, quæ ad Honores ducit, Laboris Ædem.

D I X I.

HERMANNII BOERHAAVII.

O R A T I O.

DE HONORE MEDICI,

(NATURÆ)

S E R V I T U T E.

QUUM ITERUM PONERET RECTORATUM

A C A D E M I Æ.

Mentem si quid auget perspicientia veri, ad hominem quod attinet, sanctæque virtutis præcepto regit animum, id vero mortalibus utile in primis habetur. Sed et illud quoque, quod corpori, cujus servitio utimur, sanitatem conciliat, ab usu laudat sapiens. Hisce autem commode fruendi instrumenta qui procurant, pacem scilicet, natamque inde vitæ securitatem, cæteraque, quibus carere humana natura sine dolore nequit, salutare societati hominum et hos præcipue habemus.

Eo igitur præstabilius quisque, quo magis civium animos ornat sapientia, valetudinem corporibus tuetur, et præ-

clara artium cultura civili vitæ commoda ministrat.

Illum equidem amabunt, atque honorabunt, boni, quem aptum hisce promovendis atque deditum cognoverint.

Testificatio libera, et publica, quam de hisce dotibus vox populi pronunciat, certis innixa rerum documentis, nonne verus honor est? Utilis agniti celebratio gloria censeatur; quæ stulta, quoties utili caret, si Jovis auditur ad Palladem responsio.

Palma igitur nobilis, posita in medio, illi cedit, qui agendo, vigilando, bene consulendo, optimum se dedit civem Republicæ. Inanis cæterum omnis de honore contentio: neque enim pavidus superbi ad pedes provolutus, neque extorta formidine honorum verba, animum testantur venerabundi; sed benefacto devincti liberrima oratio. Hunc sibi honorem quum bonus quisque ambiat, detur et mihi summum in Academia Magistratum ponenti vice ultima de HONORE MEDICI verba facere. Illum vero eo contineri solo, quod sit NATURÆ SERVULUS, demonstrare animus est. Suo se jactent altiores Disciplinæ loco naturæ servire imperanti, ea demum Medici suprema esto gloria. Juris relinquo Vestri judicare, si quid veri dixerō.

Cogitatione quidquid attingunt ho-

mines, aut DEUS est, aut Rerum Universum. Supremum Numen veneramus, æternum, simplex, unum, et aliorum omnium causam. Adorare Majestatem hujus, et amare, mortalibus datur, ut se solus Ipse novit, ultra hic nihil datur.

Natura vero universa ratione incomprehensibili nobis, adeoque et ineffabili, à Jovè producta, res complectitur, singulari quasque præditas ingenio, eoque singulatim prorsus definitas. Ad paucos hæc planetas, cometas raros, numero carentium stellarum ordines, horumque atmosphæras, reducuntur. Hæc autem omnia firmis adeo inter se teneri legibus, ut, ultra quinquaginta jam sæcula, constantissimi ordinis tenacissima, ne minimum quidem aberraverint, varios quotidie per adspectus semper firma, Astronomi demonstrant: ut in his equidem mutare quid audax gentis humanæ temeritas ne quidem affectaverit, nisi immanes terræ filios gigantes, magorum ineptissimos, delirantesve aniculas, siderum scilicet dominas, inter homines quis censuerit.

Tellurem hanc, verum planetam, contemplati propius, animantibus, stirpibus, fossilibus, igne, aere, aqua, constitui discimus. Obnoxia iterum omnia certo Auctoris Naturæ instituto, et nunquam violabili præcepto parere jussa. Ut, qui cu-

ratius ea excussere, pulchre viderint, cuncta rerum produci, et dirigi, ab UNO, qui alius ab his omnibus, ante illa, supra eadem, et extra, existens, uno efficacis sapientiæ decreto constituit, regitque, et universa, et singula.

Atqui hæc inter homo est. Homo naturæ confidentissimæ Zoroastri dicta machina. Hic, omnium curiosus, negligens sui, infinitæ in alienis pervestigandis industriæ, et successuum quoque felicitate clarus, Delphici vero moniti vel immemor, vel contemptor, semet turpiter ignorat, se, inter illa, quæ sui ponit arbitrii, omnium crebro gubernat quam stultissime. Futuras astrorum post sæcula apparitiones, ad scrupulos horæ, certae telluris plagæ præfinit, ostenditque eo ipso vires humano ingenio à DEO infusas. At quotusquisque ille, qui, iisdem facultatibus nitens, animum regere, et corpus, curat? Sane, ne Socratica quidem suada, suavissima illa Euripidi philomela, et dulcissima Athenarum, at veri tenax, siren eo vel unum perduxit Alcibiadem, cui tamen formando unice se dederat. Mente homo constat et corpore, diversis, at reductis in unum. Intelligentiam, memoriam, voluntatem, affectus, et Hippocraticum, mirum illud, impetum faciens, una cum actiosa immensæ imaginationis vi, habet animus. Cor-

pus certam compagis fabricam, humores, et utrorumque motus. Sano corpore mens valet, ægrescente illo et hæc laborat, doletve. Medendi ideo peritiam sapientum cuique scitu necessariam, Democriti vox est ad Hippocratem. Percipiendi aciem mathematicarum disciplinarum cultus acuit, affectus Philosophia moderatur, corpus sola Medicina curat. Corpus illud tantum gigni ab homine solo, matre et fœmina, prius natis, ætate certa, definita lege, singulari de materie, uno modo, constat quam certissime. Hominum vero si quis primus fuerit, quam, quæso, hic origine? Si mas, si fœmina, suæ speciei solus similem excitare impos erat. Si duo requiruntur illi simul, ut cæteri de his nascerentur postea, duo tamen illi alia ergo lege, quam reliqui nati fuerant. Nonne hinc colligitur, fuisse olim tempus, quo telluris hujus non erat ullus homo incola? Quin, et si semel omnes mortui essent, universæ tum naturæ rerum impossibile foret, gentem humanam de integro instaurare. Natos sponte de terra Athenienses, ne cicadæ quidem aureæ, capillis horum innexæ, suadebunt. Deucalionis et Pyrrhæ cæco post tergum jactu lapidum mutatio sic potius creet aborigines! Erit forte ut et seminato Draconis è galea dentes in milites sur-
rexisset armatos falli patiens credulitas

agnoscat. Fabulosus hercle ridetur cautis Paracelsus, dum ebrius delirat de Pigmæorum abnormi ortu. Archelai certe, Empedoclis, et Stoicorum, insaniens sapientia turpiora protulit. Primus homo accepit ortum de causa infinites majore quam natura hominis est, imo vero, quam totum universum. Autoresque primigeni posterorum bini, simul nati, suis instructi partibus, una factis, mas et foemina, ætate integra, requirebantur. Corpus igitur hominis creando DEUS, masculinum vel tunc illud, et foemininum, fecit, deditque tum utrique simul, semelque, cunctas partes, apta semper eadem, compositione ita consentientes in concinnam unius fabricam, ut actiones inde modo possent perfici, quas illi singulari proprias Creator destinaverat. Durare hinc in tempus certum, et speciem habili foetura, aliam ex alia prolem generando, sufficere valet. Quando vero exercendis omnibus officiis erat quam aptissimum, tum demum corpus hoc facultatem possidet illam, quam naturam hominis dicebat Hippocrates, sua scilicet in specie perfectissimam intelligendo valetudinem. Ut sapienti viro natura humana audiat summa requisitorum, omnibus ut muneribus suis corpus fungi queat, expedite, absque dolore, satisque constanter.

Huic dein apponere quid, aut sub-

ducere, qui incipit, legem naturæ violabit illico, efficietque longe minus aptum concessas à natura facultates exsequi: statim quippe erit non hominis porro corpus, sed aliud quid, ab eo, quod divinus Artifex formaverat, diversum.

Volupe cui fuerit, naturam hanc cognoscere, sensus ille suos, acres fidosque rationis speculatores, omni Arte acuat, auctaque horum per Artem facultate fabricam exploret; sola sic natura præmonstrante, per intentos sensus assequetur structuræ modum. Neque alia datur, quidquid incauti fingant, quidquid moliantur præcipites, via. Materiem ita, constructas inde partes, proprietates harum, viresque, concinnum apta per vincula nexum, usque ad minutissima quæque complectetur animo, sed ab apparente sensibus natura unice edoctus.

Omnis igitur Medici scientia, quæ hanc notitiam adipiscitur, doctrina nititur solius naturæ. Hanc sedulo observet ille erudentem magistram, infelix, ubi tumidus se effert, quasi suo ex promptuario nata hic cognitione saperet: natura, hac in parte disciplinæ medicæ, unice docet, casta utens Anatomie ministra.

Quoties vero unam se corporis particulam seorsus excutere artifex contendit, toties aliarum simul notione se egerit experitur: hæret nempe omnibus, quam

seclusam ab aliis eligit indagandam. Non finis hic, non principium, sed circulus est humanum corpus, in quo initium, medium, ultimumque, ubique est idem, neque posterior pars ab altera prius nata hic gignitur, at natæ profecto omnes simul, implexæ, fateor, informatæ tamen. Cor partem clamat principem Philosophus, atque auctoritati facile credulum succinit vulgus. Quasi vero vigor hujus à nervis non penderet, ab arteria magna, et venis advehentibus. Non successiva nascuntur novarum formatione, sed simul jam et illæ quoque genitæ, quæ series tandem longam in diem prospicient usibus. Cordis in fœtu pulmonisque contemplatio docet, simul, semelque, cuncta in unum usum adaptata, ut solita naturæ dictamini hic rursus auscultandum sit, neque ultra fingendum quidquam.

Imo vero et minimæ quoque particulæ productio toto eget corpore jam prius confecto, si enim illud antea non existeret, artium tunc omnium unitarum effectum unum pilum creari, negaretur. Quin etiam universæ scientiæ humanæ nefas, capillum facere unicum de corpore jam sano, nisi vasa ibidem, instrumenta, humoresque, præsto adhuc supererant, quæ huic ipsi gignendo jam in originis primordio præfecerat naturæ Fa-

ber. Absint autem hæc : versate Vos nocturna tum , diurna versate , sollicitudine , tam fingendo , quam imitando , quidquid habetur industriæ perspectum humanæ , haud valebunt omnes Medici simul perditum hoc corpusculum renovare illa in plaga corporis , ubi olim læte creverat et sponte unica naturæ potestate.

Quid porro de varietate partium dicam ? O quam hæc infinita ! formam , primordia , magnitudinem , hic memorabo ? an de compositione , multitudine , situ , nexuque potius agam ? ne ætas quidem idoneum sufficeret tempus : multiplicia adeo , at eodem semper elaborata modulo , eidem apta operi , et tamen sic affecta , ut si de innumero horum numero unicum exemeris , statim de actione naturali aliquantum pereat. Quare , ò homo , cernis , Te de fabrefacti corporis particula minutissima nihil quidquam intelligere posse , nisi quod naturæ acceptum debeas uni , quatenus se per sensus observandi copiam tibi fecit.

Si jam humores sano proprios homini spectamus , vasa his impleta nutrita vitam , ejusque illibatæ actiones sustinent , faciendo , ut quale semel salutis possederat beneficium , diu satis retinere queat. Succi tamen hi , de cibo , potuque , orti , sunt indolis ab ingenio naturalium liquorum alienæ prorsus , ideoque , à peregri-

na cruditate, in maturitatem nostris eandem, coquendi. Eja vero, unum cogamus in corpusculum sæculorum inventa omnium, eximia probatissimorum Artificum molimina, Mechanici, Hydrostatici, Hydraulici, Physici, Anatomici, Chemicum, Medici, conscribantur! Poteruntne hi guttulam conficere roris, quo insucantur oculi, vel narium ambages? Salivam, lubricantem mucum, succum gastricum, intestinorum humores, hepatis liquorem, fel vesiculæ, pancreatis laticem, chylum, lympham, articulorum unguen, sanguinem, serum ejus, an hi arte sua dabunt? Palam ajo, horum nihil confore. En panem, en vinum. Coacti in conciliabulum Sophi parent inde cruoris unicam particulam. Frustra erunt. Sed cibaria sano corpore rudissimi rerum omnium recepta, per solam ejus naturam, instrumentis sanitatis usam, in singularia quæque certo mutabuntur, non aberrabit, sed producet suis locis propria, eademque semper, liquida; quod industriæ acerrime excultæ nefas. Hippocrates, sollicito his volutis animo, exclamat obstupescens, quæ faciunt, non sciunt, sed videntur scire, quum fiant divina necessitate, destinatum Jovis institutum implent. Nos, quid ad hæc? DEUS, corpore valentis hominis necessarios saluti succos ut pararet, instruxit illud artificiosis tot

machinis , affabre in unum opus aptatis , tot irrigavit , et variis humoribus , eoque temperavit motuum citamine , ut tandem universorum conspirantium ope tales , nec alii unquam , enascerentur : unum si deest ex tam multis , frustra eosdem speramus postea. Adeo hic nihil temerarium , supervacaneum nihil , casu nihil genitum. Commansio alimentorum præstanda ore , quot dentes , ossa , musculos , humores , postulat? mansorum deglutitio quot organa adhibet? Ut salubris coctio contingat in ventriculo , quam multiplicatæ causæ requiruntur? detinent hæ , aliæ calefaciunt , illæ terunt , quædam mutant , fervere cogunt , putrefaciunt , sunt quæ miscent , et quæ secernunt , dantur et expellentes suis divisæ temporibus. Quam est mirabilis dia intestinorum fabrica? quam variis irrigua succis? aureæ bilis rivuli , turbida fluenta jecoris , limpidi de scaturigine callicreatis latices , impressa undique lymphæ , spirituum infusorum copia , huc affluunt. Fistulæ intestinalis omni in plaga nova ubique fabrica , motus ab ipsa crebro morte superstes sinuosus , alligatio ad rugosas mesenterii fimbrias ne post tot jam impensa examini sæcula satis explorata , bibula villosæ lanuginis oscula , valvæ mox bifores haustum in vias dirigentes chylum , electro purior illi mixta aqua. Illicet numero ob-

ruimur. Quo fiat salutaris gutta humoris, myriades variorum canalium laborant, milleni advolant indigenæ humores, unus si fuerit officii negligens, gignetur succus, sed non, ut ante, naturalis. Est facultas hæc naturæ adeo propria soli, ut Chemicorum exercitatissimi nequeant sanguinem renovare miscendo ea denuo, quæ ipsi arte inde prius produxerant. O mortales DEUM adoretis, quæ consistentia, et fluida unam in fabricam ita hic composuit, ut ejus tandem unius potestate perditis simillima parare valeat, omni vero alteri causæ id reliquit prorsus impossibile. Si quis, diligenter vim speculatus naturæ, constans imitatur, tum speret lætus, vere se sanitatem tueri posse. Sed periculosæ plena est ars alexæ, quæ quid secus audeat.

Quamvis tamen humores, vi naturali coporis jam geniti, vasa replent sana; ne sic tamen ideo vita inde actiosa surgit: sanus, sub aqua suffocatus, habet, quæ prius, omnia, motus abest solus, abest vita. Si vero, nondum corrupto mora, corpori aer in pulmones vi satis forti agitur, et remittitur, sicque illorum reciprocatur actio, suscitatur quiescens sanguis, redit frigenti vita, et aliis quoque reparanda modis. Corpus ergo nostrum affabre factum, suisque dives humoribus, est quidem machinamentum

vitæ suscipiendæ satis aptum, sed si causa modo prius accesserit externa motum primum imprimens. Hæc autem rectius applicari nequit, quam si per nares, vel os, impulso aere pulmo erigitur hactenus collapsus. Si enim cuncta in solidis, fluidisque, requisita præsto tunc fuerint, statim agitated thorax, cordis auriculas, et cava, arterias, cerebrum, cerebellum, nervos, lacertos, et viscera, movebit, motusque hic, semel natus, ex structura necessario continenter perget certa lege. Mirabilitas hujus legis, Michaeli Serveto primum conspecta, ab Andrea Cæsalpino memorata, Realdo Columbo utcunque descripta, tandem magnifico Gulielmo Harvæo absolute demonstrata, per Antonium denique Leewenhoeckium oculis subjecta fidelibus, patefecit tandem mortalibus mobilis perpetui, tandiu quæsiti, imaginem veram. Rapidus ille humorum tractus per viscera, vita; æquabilitas illius universa per vasa, sanitas; utriusque ratio postulat procreatum simul cum omnibus suis partibus corpus, exigit præsentem humores vitales, horumque jugem, et definitum, per vasa circuitum.

In quibus sola iterum natura per omnia agit simul, semel inchoatos motus ex se assiduo regenerans, quamdiu compagi sua modo constat integritas.

Ortum primi impetus quis explica-

bit? leges ejusdem quis intelliget? aberrantis quis corriget vitia? Ille rursus solus, qui perspexit ea, quæ humanæ gentis Pater atque Custos, creavit, conjunxitque, circuitui tali exordiando, et continuando, paria. Sed una hæc iterum vice, uno proposito, nata denuo agnoscit. Cordis actione cessante, mors est; ea vigente, vita. Ut agat cor, nervorum eget virtute, quæ lacertos ejus excitet. Neque nervis hæc facultas nisi à cerebello est. Atqui hujus potentia imputanda arteriarum sanguini, per pulsum ejusdem cordis ad cerebellum appresso. Causa ergo hic, effectu suo prior, tamen ab hoc pendet. Nequit moveri musculosa nobilis fabrica visceris, quin aorta sanguinem corde expressum reprimat vi æquilibrata virtuti ejus in proprias cordi arterias, coronariæ vocantur. Sed, qui exspectes opus ab arteria, nisi cor constrictum pulsi sanguinis violentia aortam jam prius dilataverit? Et hic adeo effectus suam iterum causam facit! Non ruit in vacuos cordis thalamos pressus de auriculis, et sinibus venosis, sanguis, præter eum, quem cor prius dederat. Movet omnia, ab omnibus movetur: non valuit humores stagnantes cor propellere, nec potuerit hi quiescens cor agitare, sed in principio vitæ motus ab alia ortus fuit causa. Nemo promittat notitiam sanitatis ex

conceptu singularis causæ, verum ex natura facti jam prius corporis integri, cui, sic aptato, semel datus impetus, repente agitat molem, et motum continuat. O quam sensere semet elusos, qui, subtilitate freti acutissima, sperabant causam vitalis humorum reciprocationis investigare in sola fabrica partium! Alii solis in humoribus! Hi in una parte principe! Illi in aliquo liquore singulari! Sero tamen visum fuit, post vana tot molimina, oportuisse prius intelligere, quidquid in consistentibus fluidisque obtinet, atque causam motus simul rite assequi: vitæ aliter rationem, integritatis hujus, quæ sanitas, affectiones utriusque, quas actiones vocant, quis est, qui intelligat?

Si igitur in cognoscendis motibus his, horum quæ salutari regimine, potissima se exercet Artis occupatio, nudo etiam naturæ hic obsequio Medicus quid proficit. Hæc observanti suas dictat leges, quibus affixa ciet motus, sustinet, mutatque. Harum legum cognitione, præstitoque cognitis obsequio, vitam conservat Artifex, sanitatem tuetur, curat morbos, ducitque hominem in illa longæva vitæ spatia, quæ limitata et in hisce, natura iterum poterit admittere.

Acutissimæ mentis valet nihil acies intentissima, ut ex se hæc intelligat, à sola vero natura discit omnia. Gymno-

sophistæ Indi, Babylonii, Chaldæi, Ægyptii, Græci, et post hos gentium sapientissimæ, à sexaginta fere sæculis, per attentas industria vires ingenii contendebant capere arcanam in his rationem corporis. At quanta spe exciderunt! Simplex naturæ scrutator Harvæus, suo diffusus ratiocinio, sensibus unice utens et sedulo, abscondita protulit. Adeo parum lucis fundit consulta notionum speculatio, tam multum emittit instituta per sensus naturæ exploratio.

Altiozem hic cerno rerum nasci ordinem! Quid enim? Medicinam video scientiam eorum, quæ constructum à DEO corpus humanum agit in semet, et in alia, quæque pati potest ab aliis corporibus. De iis, quæ in partes exeret proprias, atque in alimenta, pauca dixi, medicamenta vero et venena jam perfunctorie consideremus. In hæc corpus agit nostrum, sed et agunt illa in idem. Pleraque tamen pendent unice à particulari prorsus indole, qua naturam instruxit humanam Conditor, neque ratione alia, quacunque demum de causa, unquam poterunt intelligi. Quæcunque ad opem potentia applicantur viventi corpus ita mutant, ut tandem mutantur, sicque operando amittant vires, desinantque ultra agere. Nullum tamen horum vim consuetam in cadaver exercet, excepto

igne, et paucis rodentibus. Actione vitæ sola redduntur actiosa. Virulentissima de Stibio, vel Veratro, vomitoria, purgantia fere lethalia de Colocynthide et Tithymallo; laticem cicutæ saccatum de corpore ex stillatio Terebinthinæ oleo, urgentissima de Theriacali aceto et ammoniaco, vel viperino, sale pellendo sudori remedia; Argenti vivi mirifica virtus, eximia facultate omnia exsuperans, tantundem in cadavere præstant, quantum facerent puris condita in vitris. Venam seca, sanguis haud exsilit, tunde arteriam, vix, nisi jejunus, cruor de vulnere defluit, inflammantia, rodentia, vesiculas elevantia, nihil agunt quidquam, neque balsami consolidant, digerentia pus non generant, neque composita recte ossa, adhibitis etiam osteocollis fracta concrescunt.

Remediorum ergo eadem, quæ alimentorum, potestas hoc respectu: Agunt nempe, quatenus à natura humana, ejusdemve reliquiis, accepta, motaque, inde suos in actus demum deducuntur, ut ita ope horum adjuta natura morbos sanet medicabiles. Quis igitur apte dixerit de viribus medicamentorum? Unus ille, qui mutatam ab his applicatis naturam et mutantem alia, observavit caute. Extra hæc qui vel pedem movet errat illico, neque et in his ex ingenio, solertissimo,

vel minimum quid licet fingere.

Horum ergo certus venena consideret. O quam aliena hic omnia, quam videbit miraculosa! His acer Achilles, Diomedes fortis, prudens Ulysses, annosus Nestor, cadunt. Tu vero Medice, quoniam hæc cognosces? quos inde effectus prædices? quomodo occurreş? Sis in artis sapientiã princeps, tiro hic eris, Hippocrates se idiotam profitebitur. Mortalium fortissimus, sanitatis vigore et ætatis superbus, toto trahat pectore vaporem, qui de spumante musto fervens exsilit exiguum per spiramentum ex ingenti cado, æstuante præcipuè vindemiæ tempestate, horresco referens! mortuus cadit ut fatale Jovis fulmen velocius non feriat. Lethali Cicuta necat et frigidus, stupore, deliriis, terrificisque horrendum spasmis aquaticum Sium nostras, Oenantharum maxima stupendis exitialis anxietatibus; Aconita præfocant; exurunt Euphorbia, furores Solanum, dementiam fatalem Hyoscyamus, Stramonium memoriæ vim deletam, parit, et mortem indefactumque certa miscela Indorum Toxicum, ipso tremendum sono, Poust, deleta omni divinæ auræ particulæ facultate, tabidi corporis aridam modo imaginem linquit. Dipsas siti, putredine Seps, Cantharides ardore urinæ, sputo sanguinis Lepus marinus, ictero Vipera, Aspis somno, infla-

tu Prester , sanguinis per omnia efluxu
 Hæmorrhous , occidunt , alitu solo , ra-
 biosus Canis , heu , quo deducit homi-
 nem ! Quid Anatome ? quid humorum
 cognitio ? quid perspectus eorum circui-
 tus ? quid Mathesis ? quid Physice , om-
 nisque alia sapientia Medica , juvat ? Si
 vera loqui juvat , natura humana ita se
 habet ad venena , hæc ita ad illam . Hic
 subsistit prudentia , nec inani figmento-
 rum licentiæ indulgens , solertiam acuit ,
 attenta spectat et tacita modos , queis
 agunt , et domantur . Atqui commovetur
 animus ! pessima quippe horum mortuo
 ultra faciunt nihil ; an ergo vitæ amabi-
 lis actioni caræ et virulenta quoque im-
 putanda luis efficacia ! hujus certe supers-
 tes facultas , antidoto adjuta , sola est quæ
 enervando , aut expellendo , à maligno
 liberat . Estque mirus adeo hic nostram
 naturam inter et virus concursus , ut suum
 haud noceat Viperæ venenum , neque ar-
 deat proprio igne tenellum Cantharidibus
 corpusculum . Exitiale homini , Coturnici
 pabulum , Veratrum , cani lethalis , non
 homini , Nux Vomica , huic salubris , mor-
 tifera avium pluribus , amarior . Amygda-
 lus . Hæc , et infinita id genus alia , qui
 ex affectionibus corporum communibus
 extricare conati , frustra caput scalpendo
 diu et rodendo ungues , nil dixere tole-
 rabilis . Infligit ictum aculeo caudæ Scor-

pius extremo digiti articulo. Mors post
 dira venit mala, irrito medelæ conami-
 ne: si recens tritus plagæ imponitur, sa-
 nat, aut si inungitur pauco vulnus oleo,
 in quo vivi Scorpii decocti sunt, ut mali
 nihil de vulnere sequatur. Observetur
 natura hominis obnoxia venenis; Toxi-
 corum in illam facultas exploretur, quid
 corporis nostri valeat in ea potestas, in-
 dagemus; quænam doment maligni vi-
 rulentiæ, quærat artifex, sollicita de-
 mum legis à natura latæ observatio da-
 bit necessariam Medico scientiam.

In sanandis tandem morbis princi-
 patum obtinet natura, quæ vulnera pura
 cito consolidat et ossa fracta, si minis-
 ter Medicus peregrina sustulit, separata
 in situm naturalem reposuit, atque ap-
 tata, quiescentia, et humecta, de-
 tinet. Ulcera depurantur solo genito
 pure, solius naturæ sobole. Quid sanat
 inflammata? sola natura, febre resolvens,
 suppurans, aut separans. Natos tumo-
 res vitalium humorum circuitus, si sa-
 nabiles, discutit, aut digerit.

Ars naturæ propositum sequendo, ca-
 lore, emollitione, et fricatione, adjuvat.
 Si his non cedit, ferro tentatur, vel ig-
 ne, malum, aut immedicabile non at-
 tingitur. Fracta, luxata, separata, aut pro-
 priis elapsa locis, raro valet natura re-
 ponere, quippe victa. Ars vero vias na-

turæ calcans , exercitata dextera situm reddit pristinum disjunctis , et dum caute retinet quieta , cæterum deinde natura sola perficit , qua deficiente , reponit frustra Artifex : fractum semel os in cadavere non unitur. Laboranti tamen naturæ evidentius nunquam ab Medico succurritur , quam in vulnere , fractis , luxato , elapsis , plethora , et violenta inflammatione.

Sed ad modos sanandi naturæ consuetos , artisque fortunatos , veniamus. Vix alieni quid natum in vivente , aut extrinsecus in illud susceptum , furtim licet , ipsa statim fabricæ conditio , falli nescia , motus excitat , ad expellendum , quod mora noceret , ad mitificanda aspera , resolvenda spissa , ad dissoluta nimis cogenda. O quæ molimina vomitus , aliarumque expulsionum per alvi , vesicæ , cutis , vias ? quæ excitationes , attractionesque , humorum ad sedem mali , ut diluat , abluat , detergeat , leniat , proturbet , noxiam ! Qui febriles impetus , ut expellant , enervent , invertant , maturent , assimilent materiem peregrinam mali , vel ut secernatur sincero quod corrigi nefas , denique , ut , novis turbata , dein iisdem ferendis natura assuescat. Id nempe eximii tenet febris , ut , insueti stimulo nata , faciat habilem naturam , ut ipsa febre idonea fiat impune admittere postea , quæ

prima vice læserant : quod pestis , fervidæ pustulæ , vari ulcerosi , victus insolitus , peregrinus aer , ipsa venena , docent. Febrim laudamus Medici instrumentum felicissimum , quo natura perficit mille morborum acutorum , et diuturnorum , aliter incurabilium , sanationem perfectissimam. Febre , à natura data , Medicus utens , eique diluentia , blandisque resolventia , sufficiens , præstat salu-
tifera. Medicus naturæ gnarus , ejusdemque imitator , impari ad crhonicos naturæ succurrit , suscitata febre per artem , quam ciere ipsa impos erat. Quibusnam ad hæc utitur ? attenuat , calefacit , dolores ciet , exercet , fricat , fovet , movet , rubefacit , victu , medicamentis , manu : ut febrim creet laboriosus , qua ingeniose directa languentem erigat naturam , durumque frangat morbum. Ut enim in acutis impetus hostile maturatum , subactumque , per abscessus , metastases , evacuationes proturbaverat , vias parando sæpe occultissimas soli illi intellectas , neque ulla sagacitate , nisi naturæ indicio , prævidendas. Medicinæ facultas , fida illius pedisequa , pares motus , coctiones , separationes , cuculos , exilia , proscriptiones , molitur , ut ægrotantes liberet. Horumque tanto felicior eventus , quo minus distiterit vera naturæ præmonstratione. Vix mihi tempero , quin palam cognito exemplo sim-

plicitatem naturalis sanationis, et artificialis, ob oculos ponam. Guttula aceti oculi membranam externam attingat, certe tenellam læderet, sed, fidelis custodia, limina servans, dolor vi convellit orbicularem palpebrarum muscolum. Ille bulbum oculi ad glandulam lachrymiferam apprimit, exprimit laticem, cujus leni copia aceti acre temperat, et infractum tuto ejicit. Arsenicum, dolose ventriculo receptum, si se penetraret in adyta, ocyssime occideret. Sed incorruptus custos furtim insinuatum hostem vomitu atroci expellere insurgit. Ut faciat, aquæ abundantiam undique de vasis in stomachum allicit, et ad intestina invocat. Nec mora, per sitim intolerabilem, aquæ potum imperat, non requiescens, donec his ministris vincat, aut succumbat. Quid ars ad hæc? callidæ speculata naturæ conatus, tepidæ affusu, diductis palpebris, aceto sic infracto, liberabit oculum. Ventriculum tempestive ab arsenico solvit, exhibendo æs vomitorium, quod ex tempore subvertit stomachum, infunditque quam largissimam tepidæ copiam. Sic, nec aliter, tuto sanat.

Idem in aliis demonstrarem facile: sed leni abuterer Vestrum patientia, melioribus sacra tempora morarer. Et jam satis constat, Medici esse, naturæ leges audire sedulo, fideliter sequi, ut servi jus-

sa herilia exsequi. Si ergo rei ex officio bene gestæ justa debetur gloria, verus honor Medici erit, si serviendo liberaliter fidelem se præstiterit naturæ SERVULUM. Talem se dedit maximus Hippocrates: naturam agnovit morborum medicatricem, hanc sibi ad omnia sufficere, vitæ munia dispensare, regere, conservare, nil inepte, nil frustra, moliri, et consuetis gaudere, dicitur. Medicum ejus ministrum, observando, recordando, comparando, ex his solis ratiocinando, decere, ut liberalis offerat necessaria, amoliatur providus obstacula, naturam juvet, hanc sequatur. Ita contra illam nihil contendendo quidquam, sed fidam ducem sequendo, ad sanæ vitæ longævitatē duci. Talem laudavit inclytus, ò qualis vir, nisi per chemica jactantior, Helmontius. Talem ille agnovit naturam genitricem moliminum, queis se tentat expedire à susceptis noxiis, dum minima scintilla in late depopulans crescit incendium, ut pestis, papulæ, vari, veneris lues, venena, contagium rabiosi canis, docent; addidit ex Paracelsicis, suisque, dari, quæ minima de molecula spirent salubres auras vitæ humanæ ad sanandos morbos alias incurabiles.

Talem se gessit sapiens Sydenhamus, suo de sinu propria prius ibi condita, reposita, et digesta, naturæ observata, quo-

ties usus erat, promens. His equidem propterea, quod fideliter servierant, summum, quod habebat, pretium natura persolvit.

Hippocrati honores ab Hercule secundos, victum in prytaneo cum posteris, statuam æneam, viventi detulerunt Athenæ. Quum interim Alexander, mille inter mortes pro salute dimicans, desperat, vel sic mereri, ut possit laudari oratoribus Atheniensium.

Vos, Præclari Juvenes, qui generoso vitæ instituto ad honores grassamini, qui sapientia Medica parantur, utamini priscorum exemplis, fruamini oportunitate, et felicitate temporum, quam cura PATRUM hac in Academia vobis largitur. Generales naturæ leges à Mathematicis discite, qui communes corporibus proprietates, et ortas inde vires, Mechanice, Hydrostatice, Hydraulicæ explicant. Cognoscite dein singulares, certoque proprias facultates corpori, quæ tam ingeniose, quam laboriose, per experimenta Physica, et Chemica, demonstrantur à Viris, quibus, spe bene merendi, omnis labor placet. Conditionem spectate, qua tenui de pulvere corpus homini construxit DEUS, exponente Clarissimo Viro, qui stationem hanc pulchre adeo peragit; Qui feliciter vobis explicat, quidquid sæculorum ordo, nostræque ætatis eximia prosperitas, labor proprius, habet. Audite enarrantes

annosæ artis experimenta Eos , qui , ætate in his consumpta , didicere magistra natura , Vosque docent , quæ tuendæ valetudini , morbis curandis , producendæ vitæ , prosunt. Sectemini egregium Virum , qui Paradisi hujus pomeria extendere dignus , panacæ succos , herbasque salubres , indicat , venenatas prudenti admonitione ostendit. Usu tot , tantorumque bonorum erigantur animi , ut læti veniant in curas , et labores , ut instant operi , successus urgeant , eventuum securi. Non fuit alia tempestate , alio non datur loco , fortunatior his sacris colendis opportunitas. Eam vero grati acceptam feramus Autoritati , Sapientiæ , et Vigilantiæ , ILLUSTRIMUM , et NOBILISSIMORUM , ACADEMIÆ CURATORUM , et NOBILISSIMORUM , AMPLISSIMORUMQUE , CONSULUM invictæ hujus Urbis. Qui , sanctæ mentis puritate in publica commoda Athenæi unice intenti , anxie et religiose optimos quærere , repertos honore et liberalitate allicere , et bene merentes dignis honorare præmiis , suum esse putant.

Datum à DEO CURATOREM ACADEMIÆ , TE , EXIMIE DUSSENIE , fortunato inter HOS conspicio , Te Curatorem hoc de loco saluto. Si TE PATRIÆ inter PATRES egregium liberæ Reipublicæ vox laudat , justum eo rependit de-

cus Perspicientiæ Tui ingenii , liberalium artium disciplina excultissimi , intemperatæ animi virtuti , morum integerrimorum sanctæ simplicitati , facultatibus ad judicandum , consulendum , et faciendum appositissimis. Hæc , propria TIBI dona , in TE agnoscit Academia , atque suscipit , TE adeo CURATOREM oculis , animisque , excipit , pro salute Tua , et auspiscato in augustum hoc virtutis templum et sapientiæ ingressu , vota facit solemnina. Libertati , Communitati publicæ , liberalibus studiis , et inermibus Musis , sis felix O , Bonusque , diu ! Præsidium sis , et decus , huic sacro artibus et virtuti loco , huic civium Patriæ utilium seminario. Lætus diu intersis populo Academico , donec , decurso virtutis stadio , serus in cœlum redeas !

Quod unum superest , locum hunc , lege et Majorum more , vacuum facio , Numen veneratus pro salute Publica , et Academia !

D I X I .

ARTIS MEDICÆ

ORNAMENTO

HERMANNO BOERHAAVIO,

MEDICUM NATURÆ

SERVUM SUIS COLORIBUS DESIGNANTI

FELICITATEM!

Decus Medentum nobile, pristini
 Tutamen ævi, in quo sapientiæ
 Splendor renidet publicæque
 Eximium columen salutis.

Musæ salutant Te reducem Sibi
 Pallasque Phæbi depositum, metu
 Mali minantis vix solutum,
 Sollicitis venerata votis,

Audire gestit vocis amabiles
 Et rore tinctos ambrosio sales:
 Sacrosque Naturæ recessus,
 Tramite non dubio legentem

Mirata, plausu prosequitur novo,
 Lætum per Orbem præpete gloria,

Regina cui Virtus in arce
Constituit meritos honores.

Infirmittatis conscia mens vigil
Agnoscit artis præsidium leve,
Dum magna promittunt probroso
Stultitiæ prætio superbi.

Credemus? immo credere nos juvat
De se fatenti BOERHAAVIO, cui
Natura se doctis probavit
Usibus ingenuoque cultu.

O sancta summi simplicitas Viri!
BOERHAAVIANÆ est gloria copiæ
Ductrice Natura per omnes
Ire gradus famulante sensu.

Huic serviendum omni obsequio et fide,
Mercede certa, qua sine nil, nisi
Furvæ tenebrarum latebræ,
Ludibrii vaga monstra, restant.

Tantis modesti viribus ingeni
Natura partes credit et vicem,
Mentisque divinæ sagaci
Arbitrio sua sacra confert.

Nil scire fassum pars bona civium
Scivisse dixit plurima Socratem,
Interque mortales Apollo
Omnibus anteferebat unum.

Ægris levandis quem pietas jubet
 Servile nomen sumere provida
 Natura designavit Orbi
 Subsidium misero supremum.

Sit ista terris læta salus diu
 Votis diurnis poscimus; et tholo
 Suspensa vivaci perennent
 BOERHAVIÆ monumenta laudis!

HENR. SNAKENBURG.

ERRATA.

PÁG.	LIN.		CORRIGE.
		aliquo	alicui.
11.	13.	angustionem	angustationem.
51.	15.	Cacocymia	Cacochymia.
79.	30.	insertionis	insertiones.
83.	33.	crismon	crimen.
96.	28.	Sinibus	Sinibus.
129.	14.	Virus	Virtus.
139.	24.	describeut	describere.
139.	28.	adnotaret	adnotare.
146.	32.	duriete	duritate.
150.	16.	Semseper	Semper.
154.	28.	microseomicum	microcosmicum.
161.	24.	Cruditam	Cruditatem.
172.	5.	debent	debeat.
193.	33.	mitiora	mitiores.
248.	16.	applica	applicata.
258.	2.	Acepti	aceti.
292.	28.	Pisone	Piso.
320.	11.	Vitulinus	Vitulinum.
323.	24.	Fracatorii	Fracastorii
336.	25.	Theriaca cælestis	Theriacale.
364.	3.	Lac	omitatur.
409.	30.	qurecinum	quercinum.
431.	22.	Lac præstantis.	omitatur.
472.	26.	Adfectuum	Edfectuum.
496.	19.	orj	hora.
512.	19.	horum quæ	horumque.



